
Fil[illegible]


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 C
M21

PHILOSOPHIA IVXTA INCONCVSSA TVTISSIMAQVE DIVI THOMÆ DOGMATA,

LOGICAM, PHYSICAM, MORALEM ET METAPHYSICAM

Quatuor Tomis complectens.



Authore

P. F. ANTONIO GOVDIN
Lemouicensi Ord. Præd. Sacr. Theol. Doct. Philosophiæ Professore in schola Diui Thomæ ab Illustriss. D. Dominico de Marinis, ex eodem Ordine, Archiepisc. Auenionensi, in eiusdem Vrbis Academia erecta.



TOMVS PRIMVS.

LOGICA.





MEDIOLANI, MDCLXXIV.

Ex Typographia Francisci Vigoni.
Superiorum permissu.

Donato alla Casa del ... dal P. Fran.co M.a Costantini

[illegible]

[illegible]

Facultas Reuerendissimi Vicarii Generalis Ordinis Prædicatorum.

NOS F. Petrus Maria Passerinus S. Theologiæ Magister, Procurator, & Vicarius Generalis Ordinis FF. Prædicatorum; Harum serie, nostrique authoritate officij tibi R. P. F. Antonio Goudin licentiam facimus, & facultatem edendi in lucem Cursum Philosophicu, Logicam, Physicam, Moralem, & Metaphysicam quatuor Tomis complectentem; modò priùs à duobus sacræ Thologiæ Magistris, aut Professoribus Ordinis nostri reuisus, & approbatus fuerit, à Reuer. admodùm Patre Prouinciali, Prouinciæ nostræ Tolosanæ designandis, aliàque de iure seruanda seruentur. In quorum fidem his, &c. Datum Romæ apud S. Mariam super Mineruam, die prima Iunij 1669.

F. Petrus Maria Passerinus Procurator, & Vicarius Generalis Ordinis.

F. Iacobus Barelius Magister, & Socius.

Facultas R. P. Prouincialis Prouinciæ Tolosanæ.

NOS Frater Ioannes Andreas Faure, Prouinciæ Tolosanæ humilis Prior Prouicialis. Tenore præsentium, nostrique authoritate Officij RR. PP. Hyacinthum Milet, Priorem Conuentus Auenionensis, & Iosephum Patin Sacræ Theologiæ professores nominamus & instituimus Censores Philosophici Cursùs, quem R. P. Antonius Goudin in Auenionensi Vniuersitate publicus Professor in lucem editurus est. Datum Auenione, die decima-octaua Iunij, anni millesimi sexcentesimi sexagesimi noni. In quorum fidem his officij nostri sigillo munitis propria manu subscripsimus.

F. Ioannes Andreas Faure Prior Prouincialis qui suprà.

F. Franciscus Viculet Socius.

Censura Vniuersitatis Auenionensis.

NOs infascripti sacræ Theologiæ Doctores aggregati in Vniuersitate Auenionensi, legimus Librum, cui titulus est, *Philosophia iuxta inconcussa tutissimaq; D. Thomæ dogmata, &c.* à R. P. M. Antonio Goudin Collega nostro, publico Philosophiæ Professore conscriptum, In quo nihil non ad veræ fidei & Christianæ Philosophiæ normam exactum, nihil non eruditè, solidè, ac perspicuè tractatum inuenimus, quo nimirùm scriptio huiusmodi & tyronibus prosit, & emeritis, doctisq; probetur ac placeat. Ita testamur, & continuo opus prælo dignum, ac publica luce censemus.

Fr. Bartholomæus Vaugier August. Doct. & Dec.

Georgius Priuat Doctor.

F. Ludouicus Bancel Ordin. Præd. Doct., & Theol. Professor.

Franciscus Genest Doctor.

Censura Professorum Ordinis.

NOS infrascripti sacræ Theologiæ Professores Ord. FF Prædic. de mandato Reu. Adm. P. Io Andreæ Faure Prouinciulis Prouinciæ Tolosanæ eiusdem Ordinis, summa cum animi suauitate legimus Librum, cui titulus est, *Philosophia iuxta inconcussa tutissimaq; D. Thomæ dogmata, &c. Authore* R. P. Antonio Goudin, &c. In quo nihil prorsus aut Catholicæ fidei, aut bonis moribus dissonum inuenimus; imò potiùs illibatam D. Thomæ doctrinam, SS. Patrum dictis firmatam; antiquorum tum Philosophorum, tum Oratorum sententiis exornatam, & summa cum perspicuitate, ac soliditate, eaq; qua par est, breuitate explicatam mirati sumus: ideoq; in communem studiosorum vtilitatem prælo mandandam censuimus: Auenione die 6. Octob. 1669.

F. Hiacinthus Millet Prior Auenion. & Vicarius Prouinc. Tolos.

F. Ioseph Patin Professor Theologiæ.

Die 21. Iulij 1674.
REIMPRIMATVR.
Fr. Ant. Maria Cruceius S. Th. Magister, & Commiss. S. Officij Mediol.
Iacobus Saita Can. S. Ambrosij pro Eminentiss. D. D. Card. Archiep.
Arbona pro Excellentiss. Senatu.

IN-

INDEX TITVLORVM TOMI PRIMI.

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ, LOGICA MINOR.

QVÆSTIO PRÆAMBVLA, De Methodo, & Modo sciendi.

PRIMA PARS LOGICÆ MINORIS De Termino.

PRIMA PARS

LOGICÆ MAIORIS,

DISPVTATIO PRIMA

De Vniuersalibus.

QVÆSTIO PRIMA

De vniuersalibus in communi.

QVÆSTIO SECVNDA

De Vniuersalibus in particulari.

in-

QVÆSTIO TERTIA

De Proprietatibus vniuersalium.

DISPVTATIO SECVNDA

De Postprædicamentis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Antepraedicamentis.

QVÆSTIO SECVNDA,

De primo Prædicamento, scilicet de Substātia.

QVÆSTIO TERTIA

De Quantitate.

ART.

QVÆSTIO QVARTA, De Relatione.

QVÆSTIO QVINTA, De quarto Prædicamento, scilicet Qualitate.

QVÆSTIO SEXTA, De reliquis Prædicamentis.





IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM PRÆFATIO.



T instituti nostri simul, & totius operis rationem statim aperiam, consilium est exatum vniuersæ Philosophiæ Cursum iuxta Angelicam DIVI THOMÆ Doctrinam ita tradere, vt in eo non modò conclusiones tanti viri authoritatibus confirmentur, sed etiam eius principijs, rationibus, & vt plurimùm, verbis ipsis, cuncta, quæ in quatuor Philosophiæ partibus discuti solent, quantùm fieri poterit breuiter quidem, clarè tamen expendantur. Nam si Pythagorica Schola tantum magistro suo concessit, vt eius authoritatem pro vltima ratione redderet, αὐτὸς ἔφα si Auerroes putauerit se demonstrationem habere, dum certum Aristotelis consensum in aliqua quæstione poterat afferre; quanti maioris ponderis erit illius Viri authoritas, iuncta validissimis eius rationibus, cuius Doctrinam Christus approbauit, quem miris elogijs Ecclesia ad cælum vsque extulit, cuius dogmata nuper à Sancta Sede inconcussa tutissimaque pronunciata sunt, quem totus orbis vt doctorum Principem & Angelum veneratur? Scio quidem iam ferè omnes tanti Viri admiratione captos, partim fictè illum licèt inuitum ad se pertrahere, vt opinionibus suis ex eius Nomine robur concilient, aut saltem ne apertè videantur à tanto Doctore recedere; partim sincerè ipsum sequi, vt ab eo cælitus edocto veritatem discant; partim etiam, vt Scholam Themisticam omnium Principem suis laboribus exornare possint. Cæte-

rùm in tanta turba vnum spondere possum, Me scilicèt, quamuis ad posteriorum sublimitatem attingere non sperem, saltem priorum malam fidem declinaturum; & in toto Cursu daturum operam, vt potius Me Diuo Thomæ, quàm illum mihi accommodem. Quia verò plures, etsi Thomistarum sententias præ cæteris omnibus profundas ac solidas fateantur, abstrusas tamen, & quæ ob suam sublimitatem non satis incipientium ingenio accomodatæ sint, existimant; conabor præcipuè in hoc opere illas eâ claritate verborum, expressionum familiaritate, sensibilium exemplorum frequentiâ expendere, vt non modo Tyronibus quibus scribo peruias fore, sed etiam faciles sperem: Insertis etiam nonnunquam curiosis ad emolliendam rerum Philosophicarum austeritatem: Nam

- Omne tulit punctũ, qui miscuit vtile dulci.

Hac declaratione præmissâ, vt statim rem aggrediar, in ipso limine quædam prælibanda duxi circa Philosophiæ Naturam, Diuisionem, Necessitatem, & Doctrinæ Diui Thomæ, quam profitemur, præstantiam; vt iuxta Ambrosium, primus discendi ardor nobilitas sit Magistri; *& Philosophiæ Alumni studiosiùs huic incumbant, si semel constet, eam humanorum bonorum non modò præstantissimum esse, sed etiam maximè homini necessariam.*

Hæc omnia comprehendemus tribus Articulis præambulis. In quorum Primo quæretur, Quid, & Quotuplex sit Philosophia? In Secundo, an sit homini necessaria? In Tertio, quæ doctrina sit in Philosophicis eligenda, quisve Magister?

ARTICVLVS PRIMVS.

De Philosophia Nomine, Definitione, & Partitione.

PHilosophia Græcè, Amor sapientiæ Latinè redditur. Huic nomini Pythagoras initium dedit, qui solum Deū Sapientem ratus, se solùm Sapientiæ amatorem, id est Philosophum, profitebatur. Pro ipsa tamen Sapientia hæc vox vsurpatur. Sapientia autē variæ sunt acceptiones. Aliquando sumitur pro omni virtute, præcipuè in Scriptura sacra, in qua sapiens idem est, ac vir bonus: In hoc sensu Plato *Epist.* 10. dixit, *bonos mores veram esse sapientiā, cuius scientia sunt ornamenta.* Aliquando sumitur Sapientia pro dono Spiritus sancti, quo fit, vt diuina nobis sapiant, & de his ex quadam connaturalitate iudicemus, & in ipsis delectemur; sicut gustus ex ipsa naturali affectione iudicat de saporibus. Aliquando sumitur Sapientia pro excellenti peritia in qualibet arte: sicut Paulus 1. *Cor.* 3. vocat *Architectum sapientem*, id est, peritissimum in illa arte. Sed missis his omnibus acceptionibus, sumitur hic Sapientia pro quadā sublimiori rerum cognitione; vndè sic sumpta Sapientia definitur cognitio rerum per causas altiores; vt enim inquit Aristoteles. 1. Meth. Sapientis est cōsiderare causas altiores; vndè quantò quis res in sublimioribus causis speculatur, tantò sapiētior habetur: Ideòq; illæ sciētiæ, quæ per sublimiora principia res cognoscunt, donātur nomine Sapientiæ.

Sapientia sic sumpta, seu altior illa rerum cognitio diuiditur in naturalem, & supernaturalem. Supernaturalis est, quæ cognoscit res per causas, seu principia supernaturalia, qualia sunt principia fidei; & hæc dicitur Theologia. Sapientia naturalis est, quæ ex principijs naturalibus procedit, & Philosophiæ nomine solet intelligi, quam hic tradendam suscipimus.

Diuitur autem hæc Philosophia in quatuor partes, Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Moralē: Ratio diuisionis est, tum quia istæ quatuor scientiæ procedunt per principia vniuersaliora, & de rebus vniuersalioribus agunt, vt patebit tradendo singulas; tum quia scientiæ diuiduntur ad diuisionem rerum; vniuersalior autem diuisio rerum est in ens Logicum, seu ens rationis, qualis est syllogismus, & ens Physicum idest motui subiectum, vt sunt elementa, cæli, & alia huiusmodi; & ens Metaphysicum, id est supra naturam eleuatum,

Die 21. Iulij 1674.

REIMPRIMATVR.

Fr. Ant. Maria Cruceius S. Th. Magister, & Commiss. S. Officij Mediol.

Iacobus Saita Can. S. Ambrosij pro Eminentiss. D. D. Card. Archiep.

Arbona pro Excellentiss. Senatu.

IN-

INDEX TITVLORVM
TOMI PRIMI.

ART.

ART.

PRIMA PARS
LOGICÆ MAIORIS,

DISPVTATIO PRIMA
De Vniuersalibus.

QVÆSTIO PRIMA
De vniuersalibus in communi.

QVÆSTIO SECVNDA
De Vniuersalibus in particulari.

QVÆSTIO TERTIA

De Proprietatibus vniuersalium.

DISPVTATIO SECVNDA

De Postprædicamentis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Anteprædicamentis.

QVÆSTIO SECVNDA,

De primo Prædicamento, scilicet de Substãtia.

QVÆSTIO TERTIA

De Quantitate.


ART.

QVÆSTIO QVARTA,
De Relatione.

QVÆSTIO QVINTA,
De quarto Prædicamento, scilicet Qualitate.

QVÆSTIO SEXTA,
De reliquis Prædicamentis.





IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM PRÆFATIO.

VT instituti nostri simul, & totius operis rationem statim aperiam, consilium est exatum vniuersæ Philosophiæ Cursum iuxta Angelicam DIVI THOMÆ Doctrinam ita tradere, vt in eo non modò conclusiones tanti viri authoritatibus confirmentur, sed etiam eius principijs, rationibus, & vt plurimùm, verbis ipsis, cuncta, quæ in quatuor Philosophiæ partibus discuti solent, quãtùm fieri poterit breuiter quidem, claré tamen expendantur. Nam si Pythagorica Schola tantum magistro suo concessit, vt eius authoritatem pro vltima ratione redderet, αὐτὸς ἔφα si Auerroes putauerit se demonstrationem habere, dum certum Aristotelis consensum in aliqua quæstione poterat afferre; quanti maioris ponderis erit illius Viri authoritas, iuncta validissimis eius rationibus, cuius Doctrinam Christus approbauit, quem miris elogijs Ecclesia ad cælum vsque extulit, cuius dogmata nuper à Sancta Sede inconcussa tutissimaque pronuntiata sunt, quem totus orbis vt doctorum Principem & Angelum veneratur? Scio quidem iam ferè omnes tanti Viri admiratione captos, partim fictè illum licèt inuitum ad se pertrahere, vt opinionibus suis ex eius Nomine robur concilient, aut saltem ne apertè videantur à tanto Doctore recedere; partim sincerè ipsum sequi, vt ab eo cælitus edocto veritatem discant; partim etiam, vt Scholam Themisticam omnium Principem suis laboribus exornare possint. Cæterum

ARTICVLVS PRIMVS.

De Philosophia Nomine, Definitione, & Partitione.

PHilosophia Græcè, Amor sapientiæ Latinè redditur. Huic nomini Pythagoras initium dedit, qui solum Deũ Sapientem ratus, se solùm Sapientiæ amatorem, id est Philosophum, profitebatur. Pro ipsa tamen Sapientia hæc vox vsurpatur Sapientia autẽ variæ sunt acceptiones. Aliquando sumitur pro omni virtute, præcipuè in Scriptura sacra, in qua sapiens idem est, ac vir bonus: In hoc sensu Plato *Epist.* 10. dixit, *bonos mores veram esse sapientiã, cuius scientia sunt ornamenta.* Aliquando sumitur Sapientia pro dono Spiritus sancti, quo fit, vt diuina nobis sapiant, & de his ex quadam connaturalitate iudicemus, & in ipsis delectemur; sicut gustus ex ipsa naturali affectione iudicat de saporibus. Aliquando sumitur Sapientia pro excellenti peritia in qualibet arte: sicut Paulus 1. *Cor.* 3. vocat *Architectum sapientem*, id est, peritissimum in illa arte. Sed missis his omnibus acceptionibus, sumitur hic Sapientia pro quadã sublimiori rerum cognitione; vndè sic sumpta Sapientia definitur cognitio rerum per causas altiores; vt enim inquit Aristoteles. 1. Meth. Sapientis est cõsiderare causas altiores; vndè quanto quis res in sublimioribus causis speculatur, tantò sapiẽtior habetur: Ideòq; illæ sciẽtiæ, quæ per sublimiora principia res cognoscunt, donãtur nomine Sapientiæ.

Sapientia sic sumpta, seu altior illa rerum cognitio diuiditur in naturalem, & supernaturalem. Supernaturalis est, quæ cognoscit res per causas, seu principia supernaturalia, qualia sunt principia fidei; & hæc dicitur Theologia. Sapientia naturalis est, quæ ex principijs naturalibus procedit, & Philosophiæ nomine solet intelligi, quam hic tradendam suscipimus.

Diuitur autem hæc Philosophia in quatuor partes, Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Moralẽ: Ratio diuisionis est, tum quia istæ quatuor scientiæ procedunt per principia vniuersaliora, & de rebus vniuersalioribus agunt, vt patebit tradendo singulas; tum quia scientiæ diuiduntur ad diuisionem rerum; vniuersalior autem diuisio rerum est in ens Logicum, seu ens rationis, qualis est syllogismus, & ens Physicum idest motui subiectum, vt sunt elementa, cæli, & alia huiusmodi; & ens Metaphysicum, id est supra naturam eleuatum,

vt sunt Angeli, & Deus: & ens Morale, id est mores nostros concernens, vt est vitium, & virtus. Logica agit de ente Logico, seu à ratione nostra fabricato, vt sunt syllogismi, & definitiones. Physica considerat ens Physicum, seu res mutationi subiectas. Metaphysica verò agit de ente Metaphysico, id est de rebus supra naturam & motum sensibilem eleuatis. Moralis tandem disputat de ente Morali, id est de Moribus humanis.

Alia diuisionis ratio potest desumi ex D. Thoma in Proem. Eth. Cum enim sapientis sit ordinare, & rerum ordines considerare, iuxta diuersitatem ordinum attenditur diuersitas specierum Sapientiæ. Quadruplex autem est ordo: Alius, quem ratio facit in rebus à se consideratis, vt dum illas disponit in modum syllogismi, aut definitionis; Alius verò, quem à Deo factum in rebus ratio solùm considerat, vt est ordo naturæ; Alius, quem ratio facit in actibus voluntatis, vt est ordo Iustitiæ, Prudentiæ, &c. Alius demùm, quem Ratio facit in artefactis, vt est dispositio domus, nauis &c. Primus ordo, quem ratio facit in suis conceptibus pertinet ad Logicam: Secundus ordo, scilicet rerum naturalium, in rebus quidem corporeis & mutabilibus spectat ad Physicam, in rebus verò spiritualibus & supra motum eleuatis, pertinet ad Metaphysicam: De tertio ordine, scilicet Morum nostrorum agit Moralis: Ordo tandem rerum artificialium, cùm sit imperfectior & seruilis, non constituit nouam speciem Sapientiæ, sed pertinet ad Artes mechanicas: Vnde solùm supersunt quatuor species Sapientiæ, scilicet Logica, Physica, Metaphysica, & Moralis.

ARTICVLVS SECVNDVS,

An Philosophia sit hominibus necessaria?

ETsi Philosophia in summo pretio apud cultiores populos semper fuerit, solique Barbari eam neglexerint, quidam tamen reijciendam putant; Alij quidem ex zelo, qui non est secundùm scientiam, eò quòd putent illam non satis cum sanctitate sociari posse; quasi verò Deus, qui scientiarum Dominus est, seruos eruditos dedignaretur. Alij verò ex deceptione, rati Philosophiam esse simplicium deceptricem, hæreseon parentem & nutricem, rixarum ministram, sumentes non causam pro causa, & vitia hominum re optima abutentium Philosophiæ tribuentes; vt si quis

vellet abolere leges, & tribunalia, eo quod illis sæpè mali, & astuti homines abutantur ad perniciem innocentum; vel prohibere Medicinam, eo quod imperiti Medici sæpè mortem pro remedio propinent. Alij autem ex contemptu, eo quod existiment Philosophiam Christianis esse inutilem, totamque eorum eruditionem concludi in vna Scripturæ Sacræ intelligentia, & peritia Historiæ Ecclesiasticæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum; Quibus sanè verbum Domini iure aptari potest, *hæc oportuit facere, & illa non obmittere*. Matth. 23. Tum quia plura sunt in Scripturis, Patribus & Concilijs, quæ sine Philosophia vix intelligi possunt; tùm quia ipsi Sancti Patres id exemplo suo docuere, iungentes Philosophiam cum sacris litteris, vt patet ex eorum scriptis & gestis. Alij demùm ex malitia, vt scilicet rudibus hominibus faciliùs illudere possint: Ex quo motiuo Lutherus, & alij Hæretici scientias speculatiuas damnant; cùm tamen ipsi ad fabricanda sua sophismata ijs impiè abutantur: Hinc Mahometes suis sectatoribus studia interdixit, ratus ineptissimam sectam armis feliciùs, quàm rationibus promouendam esse, nec nisi apud ignaros valituram: Nam *omnis qui malè agit, odit lucem, ne arguantur opera eius*. Ioann. 3. Et antè hos omnes impijssimus Iulianus Christianos litteris incumbere prohibuit, vt destituta scientijs fides faciliùs extingueretur, referente Augustino libro 18. de Ciuitate cap. 52. Cæterùm, vt periculosissimus error confutetur, & stabiliatur Philosophiæ necessitas, hominem tripliciter considerabimus. 1. priuatè, vt homo est; 2. politicè, vt est membrum Reipublicæ; 3. Christianè, vt est fidelis, & his omnibus modis sumendo hominem, Philosophiam ipsi esse necessariam ostendemus per tres Paragraphos, tribus his statibus correspondentes.

§. I.

Ostenditur Philosophiam esse necessariam homini, vt homo est.

Dico primò: Philosophia est necessaria homini quatenùs homo est, id est ad perficiendam ipsam naturam humanam.

Probatur conclusio: In primis authoritate tùm Scripturæ, in qua Sapientia regnis, sedibus, diuitijs, & omnibus humanis bonis præfertur, non solùm diuina, illa, quæ docet timorem Dei, & sanctitatem vitæ; sed

etiam naturalis, quæ *scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum*, vt dicitur Sap. 7. & 8. Tum etiam summorum virorum; Vt enim legitur in vita Socratis, ipse nullum malum agnouit præter ignorantiam; nullum bonum præter scientiam (nam & virtutes dicebat scientias esse:) Et Plato Philosophiam vocat *pulcherrimum Deorum munus*; vndè Herillus in cognitione rerum posuit hominis felicitatem, vt narrat Cicero 4. Acad. Quæst. Cui sententiæ alludit Virgilius dicens, *dulces* esse *ante omnia Musas*: Et Hesiodus: *Felix, qui rerum potuit cognoscere causas*: Quam sententiam secuti sunt Primates Philosophi, & D. Thomas approbat 1. 2. quæst. 3. art. 6. si tamen intelligatur de beatitudine imperfecta (nam perfectiorem, & supernaturalem nobis Deus promisit, quæ consistit in ipsius visione, quæ est supereminens quædam Philosophia.) Quid autem tam necessarium homini, quam id per quod fit felix etiam imperfecta & naturali beatitudine; si quidem gratia non destruit naturam, sed vlteriùs prouehit.

Probatur præterea Conclusio varijs rationibus in vnam seriem breuitatis causa congestis. 1. quia id quod excolit mentem est necessarium homini, vt homo est; siquidem per mentem homines sumus: Sed Philosophia excolit mentem: Ergo est necessaria homini, vt homo est. Probatur Minor: Cùm enim in mente duplex sit potentia, scilicet intellectus & voluntas, Philosophia speculatiua perficit intellectum ipsum illuminando circa veritates naturales; Moralis verò dirigit voluntatem circa agibilia: Vnde meritò a Cicerone vocatur *Animi cultura, viuendi ars, animi medicina, omnium benefactorum dictorumque mater*, &c. 2. Philosophia fugat ab hominibus barbariem, eósque mitiores & humaniores reddit: Vnde studia præambula ad Philosophiam vocantur, Humanitates; & homines, quibus Philosophiæ lumen non illuxit, degenerant in belluinos mores, vt patet de Americanis & alijs barbaris nationibus. 3. Quia homo ad id genitus est, vt opera Dei & eius pulchritudinem in creaturis contempletur, quandiu est in hac vita; vndè Apostolus ait: *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, Rom. 1. & Sap. 13. *A magnitudine speciei creaturæ cognoscibiliter poterit Creator videri*; & Propheta: *Videbo*, inquit, *cœlos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti*. Atqui Philosophia nihil

nihil aliud est quam contemplatio operum Dei: Ergo est necessaria homini: Et ideò Deus eam Adamo vt necessarium ornamentum cum alijs dotibus infudit. 4. Necessarium est, vt rex cognoscat regnum suum, ciuis suam patriam, pater familias sua prædia: Sed homo est mundi Dominus; vndè Scriptura ait, Deum omnia subiecisse sub pedibus eius, & solem, lunam, cæteraque astra esse creata in ipsius ministerium: Est etiam ciuis huius vastissimæ patriæ vndè Socrates interrogatus à quodam, cuius esset? fertur respondisse: Mundanus sum. Ergo necessè est, vt homo cognoscat, ea quæ sunt in mundo; in hoc autem occupatur Philosophia. 5. Idem probatur ex ingenti illa admiratione & veneratione, qua naturaliter afficimur erga viros doctos, & sapientia præstantes. Sic Salomonem totus orbis admiratus est; Et Regina Saba seruos eius beatos dixit, quòd ipsius sapientia fruerentur: Imò, vt refert Scriptura 2. Reg. 10. *Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret eius sapientiam*. Sic Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, præ potentissimis regibus honorem, & famam consecuti sunt: Imò ea quæ ad sapientes viros aliquatenus pertinuerant, in summo pretio habita sunt, vt patet de lucerna fictili Epicteti, quæ tribus drachmarum millibus redempta est. 6. Denique idem probatur ex naturali hominis desiderio, quod non fertur nisi ad ea, quæ conueniunt homini, vt homo est: Sed naturaliter omnis homo scire desiderat; idque tantò vehementiùs, quantò ingeniosior est, id est, quantò magis de homine participat: Imò scientiam cæteris rebus naturaliter homo præponit; ita vt Alphonsus Aragonum rex dixerit, hoc vno regem pauperem fieri posse, si emi posset scientia; & Robertus rex Neapolitanorum aiebat dulciores sibi litteras regno esse. Ergo scientia rerum est necessaria homini, tamquam aliquid perficiens eius naturam.

Dices: Scriptura Eccles. 1. vocat scientiam afflictionem spiritus, & occupationem pessimam; & dicit quod qui addit scientiam, addit & laborem: Vndè Minerua scientiarum præses dicta est quasi minuens neruos, & vigorem: Imò Ierem. 10. dicitur: *Stultus factus est omnis homo à scientia*: Ergo non est necessaria homini, sed noxia.

Respondeo: Ad primum locum, scientiam dici afflictionem spiritus occasionaliter & obiectiuè, inquantum detegit miserias humanas & vanitatem rerum creatarum. Vndè hoc modo tertia Beatitudo, scilicet

Beati qui lugent, dicitur correſpondere dono ſcientiæ, vt dicit D. Thomas 2. 2. q. 9. art. 4. Cæterùm contemplatio ſcientiæ in ſe eſt iucundiſſima, vt probat idem D. Thomas 1. 2. q. 31. art. 5.

Ad ſecundum, Reſpondeo conſiderationem rerum vocari occupationem peſſimam, id eſt, laborioſiſſimam, & difficilem: Nam licèt fructus ſcientiæ ſint iucundiſſimi, attamen radices ſunt amaræ. Et quod hic ſenſus ſit Scripturæ, ex eo patet quòd dicitur hanc occupationem, ſcilicet inquirendi res naturales, datam eſſe à Deo; non autẽ à Deo eſſet ſi in ſe mala exiſteret.

Ad tertium locum, Reſpondeo, per ſcientiam augeri laborem occaſionaliter, vt mox explicuimus. Minerua verò ab Antiquis dicta eſt quaſi neruos & robur minuens, eo quod ſtudium debilitet corpus; vndè vt plurimùm viri ſtudioſi ſunt debiles: Sed tamen propterea nullum eſt inconueniens minuere vires corporis ad perficiendam mentem, quia corpus animæ ſeruire debet. Ad locum ex Ierem. reſpondet Hieronymus Prophetam loqui comparatiuè ad ſcientiam Dei, reſpectu cuius noſtra ſcientia, quantumuis magna reputatur quaſi ſtultitia; in quo ſenſu Iſaias dixit omnes gentes Deo comparatas reputari quaſi nihilum.

§. II.

Oſtenditur Philoſophiam eſſe neceſſariam homini, vt eſt pars reipublicæ.

Dico 2. Philoſophia eſt neceſſaria homini vt eſt membrum reipublicæ, & alijs politica ſocietate coniungitur. Vt concluſio probetur: Obſeruandum eſt hominem dupliciter præcipuè poſſe pertinere ad rempublicam; 1. quia ipſi præeſt, vt Principes & Magiſtratus: 2. Quia illi vtiliter ſeruit, quod fit præcipuè per iuriſprudentiam, Medicinam, Militiam, & alias artes. Vnde primò probabitur concluſio in communi de omnibus reipublicæ membris; 2. in particulari de iis, qui præſunt reipublicæ: 3. de iis, qui ipſi inſeruiunt.

Probatur ergo Primo Concluſio Philoſophiam eſſe neceſſariam omnibus reipublicæ membris. Quod eſt neceſſarium conſeruationi totius, eſt neceſſarium omnibus eius partibus; nam partes conſeruantur in toto: Sed Philoſophia eſt neceſſaria conſeruationi totius reipublicæ: Ergo & ſingulis eius membris: Probatur minor: Nam ab eodem res conſeruatur à quo producitur; vndè, vt notant Aſtrologi, ea præcipuè aſtra

ſunt

sunt propria conseruationi rerum, quæ præsident earum productioni. Sed Philosophia est genitrix, & formatrix rerum publicarum. Ergo est earum conseruatrix: Probatur minor discurrendo per famosiores respublicas, quæ à Philosophis vel institutæ, vel informatæ fuerunt: Nam respublica Iudæorum fundata est per Moysem, quem constat fuisse insignem Philosophũ, vt prefert Philo in eius vita: Respublica Ægyptiorũ præcipuũ authorem agnoscebat Mercurium Trismegistum, id est, ter Magnum, eò quòd esset simul Rex, Philosophus & Sacerdos: Respublica Chaldæorum, & Persarum suas institutiones à Magis, id est, Philosophis acceperat: Græci priùs barbari & syluestres; in societatem vocati sunt per Orpheum antiquum Philosophum, qui idcircò dicitur feras amœnitate cantus demulxisse, & congregasse, id est, barbaros homines in vnam rempublicam suæ doctrinæ suauitate vocasse: Atheniensem rempublicam fundauit Solon, vnus è septem primatibus Græciæ Philosophis: Lycurgus verò Lacedæmonum rempublicam instituit: Roma sub Romulo agrestis pastorum congregatio solùm fuit & asylus latronum, ac sceleratorum, vt patet ex Tito Liuio; sed à Numa Pompilio sapientissimo Philosopho iustæ reipublicæ formam accepit: Et demùm omnium rerum publicarum origines voluenti, semper occurret aliquis sapiens, & Philosophus, vel author, vel saltem reformator earum. Vndè Socrates iure dixit: *Philosophi officium esse diuina nosse, & humana regere.*

Probatur 2. Conclusio specialiter Philosophiam esse necessariam his qui præsunt reipublicæ, vt sunt Principes, & Magistratus; tùm authoritate Scripturæ, in qua Sapientia dicit: *Per me reges regnant*; & alibi: *Si delectamini in sedibus & sceptris, ò Reges, diligite sapientiam*; sapientiam illam, inquam, non solùm quæ consistit in timore Dei, sed etiam, vt posteà subditur, *Quæ scit dispositionem orbis terrarum & virtutem elementorum; initium & consummationem & medietatem temporum; vicissitudinem, permutationes & commutationes, temporum; anni cursus & dispositiones stellarum, vim ventorum*, Et alia eiusmodi, de quibus agit Philosophia; vnde vetus effatum fuit, beatas fore respublicas, in quibus vel Philosophi regnarent, vel reges Philosopharentur: Tùm etiam exemplis; sic enim Salomon vt benè regeret populum suum, vnicam à Deo petiit sapientiam, id est, naturalem Philosophiam, in qua eminebat, vt patet ex Scriptura; quam petitio-

nem Deus ipse laudauit: Sic Philippus Macedo, vt Alexandrum regno dignum efficeret, Aristoteli Philosopho instruendum commisit; & ipse Philippus regnandi peritiam, in qua excelluit, sub Lyside Pythagoreo didicit, dum obses Thebis moraretur: Sic apud Persas regum filij à Magis, id est, Philosophis instruebantur, & regno potiti eorum consilio cuncta disponebant: Sic demùm optimi Principes, vel ipsi docti fuerunt, vel saltem doctorum consilio vsi sunt; vnde apud Sinenses soli litterati reipublicæ præsunt: Tùm ipso naturæ exemplo, quæ vt notat D. Thomas Op. de erud. Prin. lib. 1. c. 2. caput cæteris membris præficiens, ipsum nouem sensibus; quatuor scilicèt internis & quinque externis instruxit, cùm alia membra vnico, scilicèt tactu, prædita sint; vt nos admoneret, eos qui præsunt corpori politico debere præ aliis abundare sapientia, & rerum cognitione: Imò secundum naturæ ordinem corpora reguntur ab intelligentiis, inter quas sublimiores sunt sapientiores. Tùm demùm ratione: Nam sapientis est ordinare & disponere; ordo enim est opus sapientiæ. Sed ad Principes & Magistratus spectat ordinare, & disponere de populis. Ergo debent præ cæteris esse sapientes, & in cognitione rerum excellentes; imò ipsa Politica, quæ est scientia regendi populos, Philosophiæ pars est cum aliis connexa. Adde tandem argumentum quod ex Persis refert Plato; nam politica regnorum est quædam imitatio politicæ mundi: Ergo sicut nullus pictor exactam imaginem formare potest, nisi respiciat ad eius exemplar; ita quoque rectores reipublicæ, vt eam optimè administrent, debent inspicere ipsum totius politicæ exemplar, scilicèt ordinem rerum naturalium, quod fit per Philosophiam.

Probatur 3. Conclusio, scilicèt Philosophiam esse necessariam his qui inseruiunt Reipublicæ, quod fit præcipuè per Iurisprudentiam, Medicinam, & Militiam. In primis autem de Medicina certum est, cùm ipsa subalternetur Philosophiæ naturali; vndè, vt dici solet, ibi incipit Medicus, vbi desinit Physicus; & Aristoteles Philosophiam ac Medicinam sorores vocat, quod sibi mutuam opem præstent. Ergo sine Philosophia imperfecta est Medicina; ideòque magni Medici fuerunt simul insignes Philosophi, vt patet de Galeno, Auerroè Auicenna, & aliis; vndè, vt ait Galenus, *Si quis optimus Medicus est, idem erit Philosophus*. De Iurisprudentia quoque idem constat, cùm illa sit pars

quædam

quædam Moralis Philosophiæ, à qua desumit sua principia, & argumenta, quibus leges defendit; vndè Alcidamas apud Aristotelem vocat Philosophiam, *propugnaculum & munimen legum*; & Cicero 5. Tuscul. 7. eam vocat: *Inuentricem legum*, *Magistram morum & disciplinæ*, *ducem vitæ*, *virtutis indagatricem*, *vitiorum expultricem*: & in libro de claris Oratoribus refert Scæuolam, & alios iuris scientia eximios, multum adiutos fuisse à Dialectica. Adde quod Philosophia est clauis omnium scientiarum: Sed Medicina, & Iurisprudentia sunt scientiæ: Ergo est necessaria ad vtramque.

Quantùm verò ad Artem Militarem, eam quoque egere ope Philosophiæ probatur efficaciter, tùm authoritate Scripturæ dicentis, *Meliorem esse sapientiam, quàm vires*, vt indicaret robur militare sine sapientiæ regimine parùm valere: Tùm ratione: Nam Militia est corpori politico, quod manus sunt corpori naturali; Philosophia verò est veluti oculus reipublicæ: Vndè sicut oculi sunt necessarij ad dirigendos manuum conatus, ita quoque Philosophia ad dirigendos impetus Militiæ. Ideòque scientia politica, quæ est pars Philosophiæ Moralis, imperat Arti militari, cuius ductu destituta militaris fortitudo, perniciosa quædam feritas est, vt patet in barbaris illis nationibus, Hunnis, Vandalis, Gothis & Alanis, quæ armis quidem validæ, sed scientiarum cultura destitutæ, potiùs greges leonum, & luporum omnia vastantium fuere, quàm hominum exercitus. Hinc est quod Antiqui finxerunt Palladem scientiarum Præsidem sub titulo Bellonæ currum Martis moderari, eamque casside, clypeo & cuspide armarunt: Quam etiam Macedones communi cum Hercule vocabulo, Alcidem, id est, fortem & pugnacem nuncuparunt; vt docerent litteras quoque armis necessarias esse. Tùm demùm idem ostenditur exemplo præcipuorum bellatorum, qui litteras quoque coluerunt: Sic Hercules Græcorum fortissimus in Philosophia excelluit, nam apud Atlantem Lybiæ regem de astris & sphæra cælesti philosophatus est; vndè fabula ortum habuit, eum ab Atlantis humeris cælum suscepisse: Idem quoque apud Chironem herbarum vim, & naturalem Philosophiam didicisse fertur. Sic Achilles, vt armis aptior esset, sub Chirone Philosopho & Phœnice scientias didicit. Sic Alexander antè Aristotelis discipulus extitit, quàm orbis domitor. Sic pater eius Philippus sub Lyside Philosopho eruditus est. Sic Pirrhus Epirotarum Rex Cineæ Philosophi consilio impensè

adiutus est in bellicis expeditionibus. Sic Epaminondas, Alcibiades, Scipio, Iulius Cæsar, & alij summi duces non minus litteris quàm armis excelluerunt. Circa alias Artes, vt Agriculturam, Nauticam &c. breuitatis causa nihil dicimus; solùm notasse sufficiat cum Cicerone, lib. 1. de orat. 5. Philosophiam Artium omnium parentem ac procreatricem fuisse; nam earum origo semper in aliquem Philosophum refunditur. Ergo ex his omnibus constat Philosophiam esse homini, etiam politicè sumpto & vt est pars reipublicæ, necessariam; eamque esse rerum publicarum genitricem, conseruatricem, & adiutricem.

§. III.

Ostenditur Philosophiam esse necessariam homini vt est fidelis.

Dico 3. Philosophia necessaria est homini vt fideli; id est, ad conseruandam, & propagandam veram fidem ac religionem. Conclusio intelligenda est de fide considerata non ex parte principij, scilicet Dei, à quo infunditur (nam Deus potest infundere, & conseruare fidem sine ope Philosophiæ; imò eam stabiliuit ipsa Philosophia, & omni humana industria renitente, per viros ignaros, vt tantum opus soli Diuinæ virtuti tribueretur) sed de fide sumpta ex parte subiecti, scilicet hominis, qui debet ipsius conseruationi, & propagationi cooperari, etiam per media humana, vt sunt authoritas principum, seueritas legum, vis armorum, & alia eiusinodi: Et hoc modo dicimus nihil magis necessarium esse fidei, quàm Philosophiam.

Probatur in primis Conclusio authoritate: 1. Quidem Scripturæ, quæ sæpè vtitur naturalibus rationibus; vt D. Paulus probat existentiam Dei ex effectibus naturalibus, vt ex pluuiis, ex ordine temporum fructiferorum, & aliis beneficiis naturalibus Act. 14. Et Act. 17. eius præsentiam in omnibus ostendit ex ipsius operatione, eo quod in ipso viuimus, mouemur, & sumus; & independentiam, eo quod omnia det omnibus. Idem patet in lib. Iob omni humanæ sapientiæ doctrina referto. In primis enim, vt notat Hier. ad Paulinum: *In eo Iob omnes leges Dialecticæ, propositione, assumptione, conclusione determinat.* Deinde Physicam penè vniuersam in medium adducit, vt Meteororum generationes, pluuiæ, grandinis, gelu, niuis, tonitrui, fulguris, solis, astrorumque naturam, & conuersiones; gemmarum

rum, & mineralium formationes; animantium industrias, &c. Metaphysicalia quoque non rarò discutit agendo de Angelis, de Scientiis, de Diuinis attributis, de Veritate, &c. Moralis verò nullibi copiosiùs traditur. Psalmorum liber Philosophicis quoque abundat; nam in Psal. 18. Diuo Thoma Interprete, Meteórologiam, & fulminis formationem exprimit Propheta. In Psalm. 103. mirè describit cæli, ac mundi dispositionem, montium, & vallium distinctionem, fontium origines, pluuiarum vtilitates, diei, noctisque discrimina, æstatis, & autumni fœcunditatem, hyemis sterilitatem, quando Deus viuificum siderum influxum subtrahens, folia, & fructus in puluerem, id est, materiam primam resoluit, veris calore iterùm denuò resuscitanda. Frequens quoque mentio fit in aliis Psalmis operum naturalium; vt originis ventorum, niuis & grandinis formationis, subterranearum aquarum, quas Propheta Dracones vocat, & abyssos in thesauris Dei reconditas, &c. Vt non sine causa dixerit Deo, delectasti me in factura tua, & in operibus manuum tuarum exercebor. Idem quoque ostendi posset in aliis Scripturæ libris, præcipuè in libris Moysi, non mysteriis tantùm, sed etiam naturali eruditione refertissimis; quorum doctrinam ideò sancti Patres diuidunt in Naturalem, Moralem, & Theologicam, vt Ambrosius, Psalm. 36. Basilius præfatione ad Prouerbia, Hieronymus præf. ad Eccl. Augustinus epist. ad Volusi: Vndè Rupertus lib. de operibus Spiritus sancti ostendit omnes Artes liberales ex Scriptura sacra erui posse. 2. Idem probatur authoritate Patrum, qui sæpè inculcant vtilitatem Philosophiæ ad sacras litteras, & fidei defensionem; vt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stro. vbi etiam id variis rationibus confirmat, & Augustinus lib. 3. contra Acad. cap. 18. *Eruditio*, inquit, *Artium liberalium, modesta sane atque succincta, & alacriores, & perseuerantiores, & comptiores exhibet amatores amplectenda veritatis, vt & ardentius appetant, & constantius insequantur, & inhæreant dulcius*. Vnde idem sanctus Pater 2. de Trinit. ait: *Non ero segnis ad inquirendam scientiam Dei, siue per Scripturam, siue per creaturam*; Creaturæ enim, vt dicebat D. Antonius, sunt liber Dei, qui, vt doceret homines, duos edidit libros, vnum per creationem, scilicèt mundum, & alterum per reuelationem, scilicèt Scripturam sacram. Diuus etiam Gregorius Nazianzenus orat. 20. impensè laudat Philosophiam, & reprehendit eos, qui prauo quodam iudicio illam vt insidio-

sam,

sam, & periculosam, ac procul à Deo auertentem aspernantur.

Probatur præterea exemplo sacrorum Doctorum qui penè omnes in scientijs naturalibus excelluerunt. In primis antiquos Patriarchas in naturalibus scientijs eruditissimos fuisse certum est: Nam ab Abrahamo Ægyptios Philosophiam didicisse fertur; de Isaaco legitur in Genesi, eum sub vesperam egressum fuisse ad meditandum in agro, id est vt aliqui interpretantur ad contemplanda sidera. Iacob verò dicitur habitasse in tabernaculis, quæ iuxta Hebræos, nihil aliud erant quàm publica gymnasia: vnde hunc locum vertit Onchelus. *Iacob erat vir integer & minister domus doctrinæ*. Iob eximium sui sæculi Philosophum fuisse constat, tùm ex iis, quæ suprà retulimus; tùm quia fertur publicè scientias docuisse apud Themanetas, quod innuit Eliphas dicens: *Ecce docuisti multos*, Iob. 4. Moysem quoque in Philosophia insignem testatur Scriptura; nam Actuum 7. dicitur: *Eruditus omni sapientia Ægyptiorum*; Et Philo in eius vita, *Moyses*, inquit, *post comparatas domesticorum scientias, doctissimos è Græcia, ingentibus præmijs aduocatos, magistros audiuit*: Iosue verò non minùs Moysi sapientiæ, quàm imperij hæres creditur. Dauidem Philosophiæ peritum ostendimus ex eius Psalmis, vndè etiam vocatur in Scriptura sapientissimus Princeps. De Salomone res nota est. Daniel eruditus est in omni sapientia Chaldæorum; Et reliqui Prophetæ humanæ, diuinæquè sapientiæ Doctores apud Hebræos semper habiti sunt. De Patribus Ecclesiæ, vt de Augustino, Hieronymo, Clemente Alexandrino, Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, &c. idem ostendere in promptu esset, nisi ex eorum scriptis, quantùm etiam in sapientia humana versati fuerint, innotesceret. Vnde Hieronymus in Epist. ad Magn. enumeratis pluribus Scripturæ Doctoribus, subiungit: *Qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententijs suos resperserunt libros, vt nescias quid in eis primum mirari debeas, utrum eruditionem sæculi, vel scientiam Scripturarum*. Nec soli Patres sæculari eruditione vsi sunt, sed etiam ipse Apostolus Paulus, qui ad Titum 1. vtitur Epimenidis versiculo, dicens: *Cretenses semper mendaces, mala bestia*, &c. Et 1. Cor. 15. verbis Menandri: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, Et Act. 17. Verbis Arati, *Ipsius scilicet Dei, & genus sumus*. Vnde Concilium secundum Turonense suam decisionem ex Senecæ sententia confirmat Can. 15.

Probatur demùm varijs rationibus. 1. quia per hoc faciliùs Infideles eruditi trahuntur ad fidem; vt patuit tempore Origenis, qui cùm doctissimus esset, infinitos Philosophos traxit ad fidem, sicut refert Baronius tom. 2. Annalium: Vndè sicut Paulus, vt omnes erudiret, Hebræis Hebræus, & omnibus omnia factus est; ita quoque fidelis vt eruditos pertrahat ad fidem, eruditus quoque esse debet. 2. quia sine Philosophia fallaciæ, & sophismata Hæreticorum detegi vix possunt: Ergo cùm frequentes sint disputationes Fidelium cum Hæreticis, necesse est vt doctor fidelis in subtilitatibus Philosophiæ versatus sit. 3. Quia sacra Doctrina iucundior est, quando humana sapientia exornatur. His tribus rationibus vtitur Clemens Alexandrinus lib. 1. Stro. 4. Idem probatur: Nam Theologia ad fidei conseruationem necessaria est, vt ostenditur 1. p. q. 1. art. 3. Sed Philosophia est dispositio necessaria ad Teologiam: Ergo etiam ad fidem. Vndè Prou. 9. de sapientia diuina dicitur; *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem*, id est, humanas scientias; quibus vtitur vt domina suis ancillis. 5. Idem suadetur ex discrimine quod est inter veram religionem, & sectas erroneas. Cùm enim veritas veritatis amica sit, vera religio fouetur, & magis confirmatur ex cognitione veritatum naturalium: E contra verò, errores deteguntur ex tali cognitione; & Ideò in falsis religionibus ignari quidem sunt pertinaciores, docti autem vix illis nisi speciè tenus adhærent; nam nulla falsa religio est, in qua plurima contra lumen naturale non tradantur, quorum falsitas detecta per Philosophiam reddit eiusmodi religiones contemptibiles. Vnde Socrates Gentilium Deos deridebat, & hac de causa tanquam contemptæ religionis reus ab Areopago ad cicutam damnatus est. Platoni mens eadem fuit, quamuis metu mortis eam parciùs exprimeret, dicens in lib. de Rep. his vanitatibus adhærendum esse, non vt veris, sed vt patriæ consuetudinibus. Aristoteles cùm idem sentiret, spontanea fuga legum seueritati se subtraxit. Cato deridens superstitiones veteris Romæ dicebat, vt refert Cic. lib. 2. de diui. se mirari quomodo Ministri harum vanitatum sibi obuij mutuum risum continerent. Magi Persarum, cùm Xerxes in Græciam transfretasset, Græcorum templa comburi iusserunt, quæ illusoriè vocabant fictitios diuinitatis carceres; cùm Dei mens simplex pura & libera nullis locorum angustijs claudi posset. Sub Numa Pompilio Romani nulla idola colebant,

bant, quia ipse per Philosophiam cognoscebat Deum esse mentem ingenitam, oculis mortalium minimè subiectam, cui proinde simulacris repræsentari non congruebat, Auerroes Arabs, Auicenna, & Algazel postquam in Philosophicis illuminati fuerunt, legem Mahometis despexerunt, vt ostendit Iauellus secunda parte Phil. Christ. tract. 5. circa finem; & Aristoteli magis credebant, quàm Mahometi, quamuis inter Mahometanos viuentes patrios ritus seruarent. Apud Sinenses, vt refert P. Trigault, solus populus Idola colit, Docti vnum Deum Cœli, Terræque Dominum agnoscunt. E contra verò Fides Catholica in viris doctissimis firmissima est, vt patet de DD. August. Hierony. Thom. &c. Imò illæ nationes diutiùs eam retinuerunt, in quibus litteræ magis vigent, vt patet in Hispanis, in Italis, & Gallis, & Germanis, vt notat Sotto, vbi relicta scholastica sermonis venustati se totos dedere, in infinitas errorum sectas prolapsi sunt; nec aliud nuperis Hæresibus, nisi ignorantia præteriti sæculi ianuam aperuit: vndè non immeritò Augustinus ait; licet, *Eruditio Artium & alacriores, & perseuerantiores, & comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis.* 6. Ex ipsa hominis conditione idem suadetur; nam homo naturaliter procedit a sensibilibus ad intelligibilia, a creaturis ad Creatorem, vt patet ex Apostolo. Cum igitur Gratia non destruat Naturam, sed eam supponat, ita quoque lumen fidei non destruit lumen naturale Philosophiæ, sed magis ipsum supponit vt præambulum, & dispositionem. Vndè Clemens Alex. vocat Philosophiam Cathechismum ad fidem, & Theodoretus Traditionem disponentem ad suscipiendam doctrinam fidei. Et confirmatur magis hæc ratio: sic enim se habet lumen fidei ad lumen naturale, sicut gratia ad naturam: Sed ea, quæ perficiunt bonum naturæ, vt virtutes acquisitæ, & bona indoles, non destruunt, sed adiuuant bonum gratiæ: Ergo etiam Philosophia, quæ perficit lumen naturale rationis, iuuat ad ipsam fidem; Et ideò nationes magis eruditæ faciliùs suscipiunt fidem, eamque magis retinent, quàm nationes incultæ, & ignaræ; vt experientia compertum est in Sinensibus & Iaponibus eruditis, & Americanis stupidis. 7. Probatur ex vsu Ecclesiæ, quæ suam doctrinam de existentia Dei, de eius prouidentia, de omnipotentia, de immortalitate animæ, de Angelis, de virtutibus sectandis, de vitijs fugiendis, philosophicis demonstrationibus probat, & præcipit Professoribus scientiarum,

vt

vt idem faciant. Imò mysteria conuenientijs ex Philosophia depromptis illustrat, & explicat, vt patet in Catechismo Tridentino, in lib. D. August. de Trinit. & alijs sacræ Doctrinæ libris. Eadem Ecclesia vniuersitates, veluti sacræ veritatis propugnacula instituit, vt in eis humanæ, diuinæque scientiæ studia vigerent; & D. Thomam miris encomijs prosequitur, eo quod Philosophiam cum fide coniunxerit. Nouit enim prudens mater, fidem satellitio rationum stipatam efficaciùs se hominum mentibus insinuare, altiùs inhærere, & fortiùs erroribus resistere. 8. Demùm idem demonstratur ex officio Doctoris fidelis, a quo Scriptura tria exigit. Primò, vt sit paratus ad reddendam fidei suæ rationem omni petenti se 1. Pet. 3. Secundò, vt potens sit exhortari in doctrina sana, ad Tit. 1. Tertiò, eos, qui contradicunt, arguere, ibid. Sed ad hæc præstanda necessaria est Philosophia: Ergo Philosophia est necessaria homini fideli: Probatur minor: Et quidem quantùm ad primum munus: Nam tripliciter possumus reddere fidei rationem, scilicèt; demonstrando ea, quæ sunt præambula ad fidem, vt existentiam, vnitatem, & prouidentiam Dei; ostendendo ipsa mysteria, vt Trinitatem, Incarnationem & Redemptionem, non esse repugnantia, sed magis conformia lumini naturali; soluendo argumenta, quæ fiunt contra possibilitatem horum Mysteriorum. Sed hæc tria pertinent ad Philosophiam, quæ suppeditat rationes naturales, conuenientias, & solutiones: Ergo. Quantùm etiam ad secundum munus, scilicèt ad exhortandum, valet Philosophia; loquitur enim Apostolus de exhortatione doctrinali, quæ fit non quidem per tropos Rhetoricos, expressiones patheticas, sicut Poetica, & Rhetorica; sed per vim rationum, & argumentationum, quibus veritas persuadetur; ad Philosophiam verò pertinet tradere modum ratiocinandi. Quantùm demùm ad tertium munus valet Philosophia, scilicet ad arguendum Aduersarios fidei, quod fit, vel eos impugnando, vel sophismata eorum soluendo: Vtrumque enim pertinet ad Philosophiam; & rationes in formam syllogisticam, vt efficaciores sint, ordinare, & sophismatum versutias detegere. Vnde Hieronymus super Ezech. ait: *Quidquid in sæculo peruersorum dogmatum est, quidquid ad terrenam sapientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subuertitur, & instar incendij in cineres, fauillasque dissoluitur.* Quod S. viri dictum comprobat experientia; nam Hæreticorum rationes, sub

verborum

verborum, & eloquentiæ fuco robustæ quidem, & ad persuadendum efficaces videntur; sed ad Philosophiæ formam reductæ, vitro fragiliores, & paleis debiliores deprehenduntur. Tunc enim apparet defectus, qui sub verborum veste tegebatur: Nam vt inquit Augustinus; *quod ornate dicitur, vere dici putatur*. Indè ortum habuit capitale odium, quo Hæretici abhorrent Scholasticam Theologiam, & ex sacris Doctoribus præcipuè D. Thomam, qui doctrinam fidei artificio philosophico ita disposuit, vt iam sit terribilis vt acies castrorum ordinata. Vndè sacrilega vox cuiusdam hæretici: Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.

Obijcies primò. Apostoli, primique fidei Prædicatores sine vlla Philosophia de orbe, & de ipsis Philosophis gloriosè triumpharunt, omniaque fidelis doctoris munia impleuerunt: Ergo Philosophia non est necessaria doctori fideli. Secundò, D. Paulus admonet fideles, vt caueant a Philosophia, tanquam a seductrice: Ergo non est vtilis, sed noxia Christianis. Tertiò, Sancti Patres frequenter exagitant Philosophiam, vt simplicium deceptricem, fallaciarum artificem, hæreseon nutricem, &c. Ergo idem quod suprà.

Respondeo ad Primum: Apostolos loco argumentorum ad conuincendam humanam Philosophiam habuisse miracula, sicut & videmus inter sanctos, eos quidem, qui scientiæ dono excelluerunt rara fecisse miracula, vt patet de Augustino, Hieronymo, Gregorio, Nazianzeno, &c. Nam illis ad propagandam fidem sufficiebat scientia infusa, & acquisita: E contrà vero qui non ita in scientia excellebant, habuere ad confirmandam fidem donum miraculorum. Conueniens autem fuit, vt notat D. Thom. op. 70. quæst. 2. art. 3. vt primitiua Apostolorum prædicatio esset in infirmitate, & simplicitate, vt conuersio mundi soli diuinæ virtuti tribueretur. Attamen posteà sapientia humana, & sæcularis potentia per paupertatem Christi, & stultitiam Crucis domitæ ac depuratæ, fidei victrici vtilissimè modò inseruiunt; sicut in bello qui priùs erant inimici, posteà victi fiunt vtiles serui, & arma hostibus erepta sunt victoribus vtilia: Cuius rei figura fuit cùm Dauid Giganti Goliath simplicibus armis, id est, funda & lapidibus prostrato, proprium gladium eripuit, quo caput ei detruncaret, & prælia Domini præliaretur. Addi potest etiam Apostolis collatum fuisse diuinitùs de scientijs humanis quantùm exigebat Prædicationis ministerium: *Quidquid enim alijs exercitatio tribuere solet,*

solet: hæc illis Spiritus sanctus suggerebat, vt inquit Hieron. ad Paul.

Ad secundum. Respondeo D. Paulum loqui non de qualicumque, sed vt ipse se explicat; de inani Philosophia; id est, quæ erroribus fidei contrarijs corrupta erat, qualis fuit Epicureorum, & Cynicorum: Et tamen isti errores non erant aliquid pertinens ad Philosophiam, sed quidam abusus Philosophiæ procedens ex defectu rationis, vt ait D. Thom. loco citato.

Respondeo ad tertium, quod Philosophia considerari potest in triplici statu: 1. vt inimica fidei; 2. vt præsumptuosa mysteriorum fidei arbitra; 3. vt humiliter captiuata in obsequium fidei. Primum statum habuit olim in Philosophis Gentilibus, qui abutebantur rationibus philosophicis ad impugnandam fidem. Secundum statum habet in quibusdam hæreticis, qui volunt metiri per rationem ea quæ sunt fidei. Tertium verò statum habet in Doctoribus Catholicis, qui vtuntur Philosophia non vt arbitra, sed vt pedissequa fidei. Quidquid ergo inuenitur in Patribus contra Philosophiam, procedit de illa sumpta, vel vt erat in Gentilibus Philosophis oppugnatrix fidei, vel vt in hæreticis est fabricatrix fallaciarum, & superba mysteriorum arbitra. Cæterùm, vt in Catholicis Doctoribus humiliter captiuatur in obsequium fidei, Patres eam laudant, vt patet ex dictis, solique hæretici eam timent, & vituperant, sicut lupi canes. Per quod etiam refutantur calumniæ Iansenij, quas, quo animo, ipse viderit, accumulat contra Philosophiam, & Doctores Scholasticos tom. 2. lib. proem. Non enim Philosophia peperit hæreses, nec astutias illas, quibus præcepta Dei eluduntur, sed humana superbia, vel malitia abutens Philosophia. Quid autem tam sanctum & tam vtile, quo malitia hominis non possit abuti? Hæretici abutuntur sacris Scripturis, & tamen sanctissimæ sunt. Illæ autem strigosæ, spinosæ, inanes, & minimè necessariæ quæstiones, quas ipse dicit Philosophiam inuexisse in doctrinam fidei, sunt veluti luxuriantes huius vtilissimæ arboris rami, qui si minus fructuosi deprehendantur, sapienter resecandi sunt, ipsa tamen arbor seruanda, & non propterea eradicanda. Cæterùm quantùm expediat in discutienda fidei doctrina sapientiam Scholasticam adhibere, ipse Iansenius magnum omnibus documentum est, qui à via Scholasticorum recedendo, in quanta præcipitia corruerit, quis non videt?

AR-

ARTICVLVS TERTIVS,

Qua doctrina sit in Philosophicis eligenda? Quisque Magister?

VT homini necessaria est philosophia, ita quoque philosophiæ studioso necessarium est inter tot sectas vnicum Magistrum deligere, cuius doctrinam in turbulento variarum opinionum mari pro nautico sidere prospiciat, cuiusque principia, veluti vnum, idemque filum constanter teneat, vt se à difficultatum labyryntho faciliùs possit expedire. Veluti enim nauis in mari, si variis & inter se pugnantibus ventis se permittat, non progreditur, sed periclitatur; vt stomachum cibi contrarij non adiuuant, sed grauant; vt canis plures insequens lepores nullum assequitur; Ita quoque ingenium multiplici doctrinarum mixtura non instruitur, sed potius confunditur, & obruitur; dumque pluribus Magistris adhæret, ad nullius doctrinam perfectè attingit. Hoc innuit Scriptura, dum ait: *Cor ingrediens duas vias non habebit successus*, Eccli. 3. Vndè Seneca studiosum monet, vt *si quò destinauerit, peruenire velit, vnam viam sequatur, non per multa vagetur: Non enim ire istud est, sed errare*. Hinc est quod perpetuus omnium nationum vsus fuit non in alijs modò, sed etiam in scientijs certos Duces, ac Principes habere, consentitque diuinæ prouidentiæ ordo, quæ multitudinem hominum per vnum perficere, ac ipsi sua dona communicare consueuit. Nam naturæ bonum ab vno primo, scilicèt Adamo, in omnes propagatum est; bonum politicum, scilicet pacificum regimen, ab vno Principe, aut saltem à pluribus per easdem leges adunatis in quolibet populo procuratur; bonum gratiæ ab vno capite, scilicèt Christo, in omnes diffunditur; lumen fidei ab vno infallibili Doctore, Petri scilicèt successore, cuncti fideles recipiunt: Imò in cælesti Hierarchia lex eadem seruatur: Nam omnis illuminatio a primate Angelo ad omnes alios gradatim procedit. Ne igitur ab hoc ordine in communicanda hominibus scientia Deus recederet, prouidit, vt veluti à sole astrorum multitudo lumen mutuatur, ita quoque scientiæ cuiuslibet splendores ab vno Magistro, quantùm fieri potuit, hominum multitudo reciperet. Hinc est quod quoties placuit Deo scientias vel incuria hominum, vel iniuria temporum extinctas reparare, semper susci-

tauit vnum primum Ducem,& Antesignanum, quem cæteri sequerentur. Hebræis post Patriarchas dedit Moysem non legis tantùm, sed Naturalis quoque eruditionis Doctorem; Ægyptijs Mercurium Trismegistum; Italis Pythagoram; Græcis primò quidem septem sapientes, postmodum in Moralibus Socratem, in naturali Theologia Platonem, in Philosophia Aristotelem, in Medicina Hippocratem, in Geometria Euclidem, in Eloquentia Demosthenem, in Poetica antiquum Homerũ;quamuis isti omnes fide destituti in pluribus defecisse videantur: Et quod circa hos populos factum videmus, de alijs quoque nobis ignotis vt de Phœnicibus, Indis, Arabibus & alijs, eò iustiùs præsumimus, quod nuper relatum est, & apud Sinenses idem fuisse seruatum; nam in Philosophia Morali, quam præ cæteris colunt, vnum magistrum agnoscunt nomine Confutium, nec Pythagora, nec Socrate inferiòrem, quem vt Ducem à bis mille annis constantissimè obseruant: Adcò & vtilitas suadet, & omnium nationum vsus admonet, & ipse Diuinæ prouidentiæ ordo propemodum iubet, vt hominum multitudo, si erudiri velit, in vnius magistri doctrinam conspiret. Cùm igitur Christiani non rationis solùm, sed etiam fidei lumine illustrati, humanas,Diuinasque scientias præ omnibus populis,qui vnquam extitere feliciùs colant, debuit quoque Dei prouidentia ipsis suum ducem, ac magistrum prouidere, qui rationis, ac fidei vtilissimum commercium consummans, scholasticæ Sapientiæ, quæ ex hac coniunctione nata est, parens ac princeps ab omnibus haberetur; cuiusque Doctrina non modò præ cæteris colenda esset,sed etiam pro scolasticæ Sapientiæ regula assumenda. Sed operæ pretium est inuestigare inter Catholicos Doctores, quis a Deo ad tantum munus euectus fuisse censendus sit, & à nobis hunc honorem promereatur. Quanquàm ,& hoc tam facile est discernere, quàm solem inter alia sidera demonstrare. Vnde.

Dico: In vtraque sapientia, Theologia scilicet,& Philosophia, Diui Thomæ Doctrina cæteris omnibus præstat; isque ille vnus communis Doctor est, quem scholasticæ sapientiæ magistrum, ac principem Dei prouidentia Christianis suscitauit. Hæc conclusio satis ex vnanimi totius orbis consensu constaret, à quo Diuus Thomas doctorum Angelus, & Doctor Angelicus nuncupatur. Vt tamen quam meritò tantum decus,& titulum obtineat, argumentis quoque comprobetur.

Com-



§. I.

Commendatur D. Thomæ doctrina ex oraculo Christi, elogijs Pontificum, Conciliorum exemplo, & Ecclesiæ oratione.

Probatur 1. Conclusio ex ipso Christi, & Ecclesiæ testimonio. Et in primis celebre est diuinum illud oraculum, quo nec expressius dari, nec illustrius optari potuit ad probandum D. Thomam ex omni carne electum fuisse, vt in vtraque Sapientia fideles erudiret. Cùm enim S. Doctor morti proximus vltimum opus, scilicèt Summam Theologicam perficeret, anxius ne in illa, & tot libris, quos in vitæ decursu scripserat, aliquid sibi humanitus contigisset, cum lacrymis & gemitibus, vt solebat, Dominum consuluit, à cuius in cruce pendentis imagine lætissimum hoc responsum accepit: BENE SCRIPSISTI DE ME, THOMA; QUAM ERGO RECIPIES PRO TVO LABORE MERCEDEM? Scilicet vt reges decretis, quæ in regno seruari volunt, robur & authoritatem propria subscriptione conferunt; ita Diuinus ille Magister serui sui doctrinam, vt ardentiùs a b omnibus obseruaretur, tam illustri oraculo voluit comprobare. Quem enim alium magistrum quærimus, nisi eum, qui cùm benè scripserit de Christo, in quo Deus omnia recapitulauit, vt dicit Apostolus iuxta Græcum, creatam, diuinamque naturam coniungendo, simul de omnibus alijs bene scripsisse testimonium habeat. Hoc Christi oraculum referunt antiquissimi scriptores, & inter alios Bernardus Guidonis Episcopus Lodouensis D. Thomæ propè contemporaneus in quarta parte speculi Sanctoralis, cui us antiquissimus codex seruatur in Bibliotheca nostri Conuentus Auenionensis, inter alios, quos Ioannes XXII. huic Conuentui dono concessit. Comprobauit etiam Ecclesiæ authoritas largiendo Indulgentias huic Sacello Conuentus Neapolitani, in quo tunc D. Thomas orabat; & eiusmodi historiam non modò i n sacris officiis, sed etiam in Pontificum Decretis sæpiùs celebrando; ita vt non tam narrantium fide, ac traditionis antiquitate, quàm totius Ecclesiæ acceptatione & approbatione iam constet. Confirmauit demùm euentus ipse, dum D. Thomæ doctrina tanto Christi Oraculo illustrata, ingenti totius orbis consensu, & applausu recepta est, ita vt omnes fateri cogantur, quia *digitus Dei est hic*.

Christi

Christi testimonio innumeras adiecit Ecclesia approbationes, veluti diffusiores huius oraculi explicationes. Cùm enim cæteros Doctores scholasticos in suo sensu abundare permittat, solius D. Thomæ Doctrinam profusè commendat, non modò vt ab omni erroris suspicione liberam, sed etiam vt veridicam, imò vt certissimam ad veritatem viam, à qua quì impugnando declinat, de veritate suspectus est; qui verò eam tenet, de veritate securus. Eandem asserit esse clypeum impenetrabilem, quo Deus Ecclesiam muniuit, vt feliciùs hæreseon tela elideret. Iubet illam nos sectari, & totis viribus ampliare; & demùm pronunciat eam esse inconcussam, tutissimam, imò laudem omnem supergressam. Sed nihil expressius dici potuit ad declarandum D. Thomam esse ab omnibus eligendum in magistrum, eiusque Doctrinam cæteris præferendam: Ergo. Declaratur maior: Nam primum asserit Clemens VIII. ad Neapolitanos dicens: *Doctrina D. Thomæ testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine vllo prorsus errore conscripsit; in quibus conscribendis interdum sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit; & quos deinde conscriptos expressa Domini voce comprobatos audiuit*. Secundum habetur ex Innocentio VI. Lemouicensi, qui de D. Thoma ait: *Huius doctrina præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum ita vt nunquam, qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnauerit, semper fuerit de veritate suspectus*. Quod elogium comprobat experientia, qua videmus D. Thomæ impugnatores labi in plures opiniones reprobatas in speculatiuis, & perniciosissimas in Moralibus. Tertium dicit Paulus V. vocans D. Thomam *splendidissimum Catholicæ fidei Athletam, cuius scriptorum clypeo Militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit*. Quartum est Vrbani V. Tolosanam Academiam his verbis alloquentis: *Volumus, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt D. Thomæ Doctrinam tanquam veridicam & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare*. Quintum demùm est Alexandri VII. ad Louanienses, vocantis DD. Augustini, & Thomæ *dogmata inconcussa tutissimaque, quorum sanctissimorum virorum penes Catholicos vniuersos ingentia & omnem laudem supergressa nomina noui præconij commendatione planè non egent*.

Potuitne

Potuitne profusior esse Ecclesia in extollendo Doctore Angelico, & commendanda eius Doctrina?

Nec solùm Ecclesia tot elogijs, sed suo quoque exemplo ad sequendum Angelicum Doctorem vrgentissimè nos excitat, dum eum, vt proprium sapientiæ scholasticæ Magistrum agnoscit. Quod patet 1. quia illum quatuor primæ classis Doctoribus annumerauit; vt quemadmodum illos in exponendis sacris Scripturis, & positiua, vt vocant, Theologia Magistros habet, ita quoque Theologiæ methodicæ, seu scholasticæ principem, ac magistrum D. Thomam agnosceret. 2. Ex ipso sacrorum Conciliorum vsu, quæ plura Decreta ex D. Thomæ scriptis deprompsere, vt ostendit Grauina lib. 2. c. 5. sui Cherubin Paradisi; eumque vnicum ex scholasticis in definiendis rebus fidei adhibere solent; quod præcipuè in S. Concilio Trid. apparuit, cuius Patres Scripturæ sacræ, quæ de more in publicis Conciliorum sessionibus afferri solet, vt in promptu sit ad consulendum, vnicam D. Thomæ summam adiici voluerunt, tanquam luculentissimam omnium Patrum Epitomen, & Scripturæ sacræ interpretem: imò, vt patet ex Oratore Concilij, ad D. Thomam, vt ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controuersiæ fuisset exortum, communibus votis referendum existimabant: vndè meritò Baronius. *Vix quisquam enarrare posset, quot vir sanctissimus, atque eruditissimus Theologorum praconijs celebretur, quantumque illius illibata doctrina à sanctis Patribus in sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino confidentibus fuerit acclamatum* 3. Tandem idem efficaciter comprobatur ex oratione, quam tota Ecclesia in eius Festo ad Deum ita fundit. *Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Thoma Confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fœcundas, da nobis & qua docuit intellectu conspicere, & qua egit imitatione complere.* Potuitne clarioribus testimonijs conuinci D. Thomam non modò diuinitùs datum, sed etiam vnanimi Ecclesiæ consensu acceptatum in Magistrum communem, à quo fideles sapientiæ lumina depromerent, cuius Doctrinam cæteris omnibus anteponerent, quique inter alios scholasticos Doctores tantùm emineret?

Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Com-

§. II.

Commendatur doctrina D. Thom. authoritate & exemplo vniuersitatum, Ordinum Religiosorum, & primatum Theologorum.

Probatur. 2. Conclusio exemplo simul, & authoritate tùm Vniuersitatum, tùm Religiosorum Ordinum, tùm sapientissimorum Theologorum. Si enim *præcepta sapientum, vt quasdam vitæ leges existimamus*, inquit Quintilianus, magnum sanè pondus ex sapientissimorum cœtuum statutis nostræ conclusioni accedet. Et in primis Vniuersitas Parisiensis in Decreto, quod refertur initio Tabulæ Aureæ operum D. Thomæ, vocat ipsum, *Ecclesiæ lumen, Doctorum fontem, candelabrum insigne, & lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & scholas sanæ doctrinæ ingrediuntur, lumen vident*. Quibus Elogijs prærogatiua Doctoris communis luculentissimè exprimitur. Vrbanus V. Academiæ Tolosanæ præcipit, vt eius Doctrinam sectare, ac totis viribus ampliare contendat: Vniuersitas Salmanticensis in Hispania florentissima etiam iurat in verba D. Thomæ, & D. Augustini. Louaniensis eius Doctrinam non modò pro aris, & focis defendit, sed etiam statuit D. Thomæ prolatum nomen nudato, pronoque capite venerari. Duacensis, & Patauina ipsum vt Doctorem suum, ac Patronum agnoscunt. Aueniouensis Scholam frequentissimam, curis & munificentia Illustrissimi Archipræsulis Dominici de Marinis erectam, & dotatam habet, in qua vtraque sancti Doctoris Sapientia, idest, Theologia, & Philosophia docetur. Et demùm, vt vno verbo concludam, omnes Academiæ D. Thomam vt Theologorum omnium principem, ac parentem venerantur, nullaque specialem Magistrum eligit, quæ D. Thomæ hunc honorem non deferat.

Ex ordinibus Religiosis, in primis FF. Prædicatores, Carmelitas Discalceatos, & Alumnos D. Francisci de Paula, nomine quidem Minimos, pietate verò & Thomisticæ Doctrinæ zelo maximos, in verba D. Thomæ iurare omnibus compertum est. Qui sub Augustini regula Deo inseruiunt, quo ardore sancti Patris Augustini doctrinam colunt, eodem D. Thomæ fidelissimo eius Assecla adhærent, inter quos Congregationes Lateranensis, & Gallicana Canonicorum Regularium, etiam speciali Decreto ad sequendam D. Thomæ do-

Potuitne profusior esse Ecclesia in extollendo Doctore Angelico, & commendanda eius Doctrina?

Nec solùm Ecclesia tot elogijs, sed suo quoque exemplo ad sequendum Angelicum Doctorem vrgentissimè nos excitat, dum eum, vt proprium sapientiæ scholasticæ Magistrum agnoscit. Quod patet 1. quia illum quatuor primæ classis Doctoribus annumerauit; vt quemadmodum illos in exponendis sacris Scripturis, & positiua, vt vocant, Theologia Magistros habet, ita quoque Theologiæ methodicæ, seu scholasticæ principem, ac magistrum D. Thomam agnosceret. 2. Ex ipso sacrorum Conciliorum vsu, quæ plura Decreta ex D. Thomæ scriptis deprompsere, vt ostendit Grauina lib. 2. c. 5. sui Cherubin Paradisi; eumque vnicum ex scholasticis in definiendis rebus fidei adhibere solent; quod præcipuè in S. Concilio Trid. apparuit, cuius Patres Scripturæ sacræ, quæ de more in publicis Conciliorum sessionibus afferri solet, vt in promptu sit ad consulendum, vnicam D. Thomæ summam adiici voluerunt, tanquam luculentissimam omnium Patrum Epitomen, & Scripturæ sacræ interpretem: imò, vt patet ex Oratore Concilij, ad D. Thomam, vt ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controuersiæ fuisset exortum, communibus votis referendum existimabant: vndè meritò Baronius. *Vix quisquam enarrare posset, quot vir sanctissimus, atque eruditissimus Theologorum præconijs celebretur, quantumque illius illibatæ doctrinæ à sanctis Patribus in sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino considentibus fuerit acclamatum* 3. Tandem idem efficaciter comprobatur ex oratione, quam tota Ecclesia in eius Festo ad Deum ita fundit. *Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fæcundas, da nobis & quæ docuit intellectu conspicere, & quæ egit imitatione complere*. Potuitne clarioribus testimonijs conuinci D. Thomam non modò diuinitùs datum, sed etiam vnanimi Ecclesiæ consensu acceptatum in Magistrum communem, à quo fideles sapientiæ lumina depromerent, cuius Doctrinam cæteris omnibus anteponerent, quique inter alios scholasticos Doctores tantùm emineret?

Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Com-

§. II.

Commendatur doctrina D. Thom. authoritate & exemplo vniuersitatum, Ordinum Religiosorum, & primatum Theologorum.

Probatur. 2. Conclusio exemplo simul, & authoritate tùm Vniuersitatum, tùm Religiosorum Ordinum, tùm sapientissimorum Theologorum. Si enim *præcepta sapientum, vt quasdam vitæ leges existimamus*, inquit Quintilianus, magnum sanè pondus ex sapientissimorum cœtuum statutis nostræ conclusioni accedet. Et in primis Vniuersitas Parisiensis in Decreto, quod refertur initio Tabulæ Aureæ operum D. Thomæ, vocat ipsum, *Ecclesiæ lumen, Doctorum fontem, candelabrum insigne, & lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & scholas sanæ doctrinæ ingrediuntur, lumen vident*. Quibus Elogijs prærogatiua Doctoris communis luculentissimè exprimitur. Vrbanus V. Academiæ Tolosanæ præcipit, vt eius Doctrinam sectare, ac totis viribus ampliare contendat: Vniuersitas Salmanticensis in Hispania florentissima etiam iurat in verba D. Thomæ, & D. Augustini. Louaniensis eius Doctrinam non modò pro aris, & focis defendit, sed etiam statuit D Thomæ prolatum nomen nudato, pronoque capite venerari. Duacensis, & Patauina ipsum vt Doctorem suum, ac Patronum agnoscunt. Auenionensis, Scholam frequentissimam, curis & munificentia Illustrissimi Archipræsulis Dominici de Marinis erectam, & dotatam habet, in qua vtraque sancti Doctoris Sapientia, idest, Theologia, & Philosophia docetur. Et demùm, vt vno verbo concludam, omnes Academiæ D Thomam vt Theologorum omnium principem, ac parentem venerantur, nullaque specialem Magistrum eligit, quæ D. Thomæ hunc honorem non deferat.

Ex ordinibus Religiosis, in primis FF. Prædicatores, Carmelitas Discalceatos, & Alumnos D. Francisci de Paula, nomine quidem Minimos, pietate verò & Thomisticæ Doctrinæ zelo maximos, in verba D. Thomæ iurare omnibus compertum est. Qui sub Augustini regula Deo inseruiunt, quo ardore sancti Patris Augustini doctrinam colunt, eodem D. Thomæ fidelissimo eius Asseclæ adhærent, inter quos Congregationes Lateranensis, & Gallicana Canonicorum Regularium, etiam speciali Decreto ad sequendam D. Thomæ do-

ctrinam se adstrinxerunt: Et Augustiniani, dum Ægidium Romauum D. Thomæ discipulum, & defensorem elegerunt in Ducem, ac Magistrum, eodem voto D. Thomam, vt Protomagistrum suum agnouerunt. Ex ordine D. Benedicti, Cassinensis Congregato D. Thomam quondam alumnum suum, in Philosophia, & Theologia sequi statuit: Quod & in alijs eiusdem sacri Ordinis Congregationibus à Lectoribus communiter obseruari cernimus, ipsa executione statutum præoccupante. Regalis Ordo Redemptionis Captiuorum in virtute obedientiæ suis præcipit, vt Doctorem Angelicum sequantur cùm Commentarijs Zumel egregij D. Thomæ interpretis. Ex Ordine sancti Francisci plures ex RR. Patribus Capucinis, & Tertiarij, D. Thomæ vestigia tenere profitentur; ipsique Minores licèt Scoti placita defendant, modestissimo tamen Decreto statuerunt, vt debita reuerentia Doctoris Angelici opinionibus exhiberetur. Societas Iesu in Constitutionibus D. Thomam sequi statuit; & in quinta Congregatione suis præcipit, vt eum animò tanquam proprium Doctorem habeant, & sequi teneantur. Congregationes Barnabitarum, & Oratorij Iesu specialibus statutis idem decreuere; pluresque alijs Ordines adduci possent, si eorum Decreta satis comperta haberemus.

Theologorum etiam primæ notæ, qui D. Thomæ vt Magistro adhærent, catalogus integrum volumen impleret. Vnum annotasse sufficiat, scilicet vt quemadmodum ante D. Thomam liber Sententiarum Petri Lombardi pro theologico textu habebatur, in quo exponendo Theologorum omnium libri occupabantur, ita quoque nunc D. Thomæ summæ theologicæ honor ille delatus est: Eam enim veluti totius eruditionis theologicæ inexhaustum fontem, Scripturæ, traditionis, Conciliorum, Patrum, totiusque sacræ Doctrinæ absolutissimum Epitomen, theologicarum disputationum fundatissimam basim, & regulam emendatissimam, omnes suis commentarijs explicandam suscipiunt, ita vt tot sint illius illustrissima Encomita, quot extant Theologorum volumina. Posseuinus & alij, supra septingentos D. Thomæ Commentatores recensebant, quibus nunc innumeri alij adiecti sunt, & continuò adijciuntur, ita vt meritò illud Ioan. 12. ipsi attribui possit: *Ecce Mundus totus post eum abijt*. Ingens sanè, ac supra quam quod dici potest admiranda D. Thomæ gloria, tantum decus, tam longa possessione firmatum à Magistro Sententiarum ad se transtulisse.

se, sicque tot habere suæ doctrinæ discipulos, quot facultas theologica numerat Magistros.

§. III.

Commendatur Doctrina D. Thomæ varijs rationibus.

Probatur vltimò Conclusio varijs rationibus. Et primo quidem ex origine doctrinæ D. Thomæ; nam illa doctrina & præstantissima, & hominibus erudiendis aptissima, & cæteris præferenda est, quam constat esse cœlitùs traditam, ac diuinitùs infusam. Sed constat D. Thomæ doctrinam esse talem; ergo. Maior patet: tùm quia vt dicitur Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum.* Tùm quia veritas non tàm filia temporis est, vt eam vocat Horatius, quàm Dei, & cœli: Ideoque ea doctrina maximè verax est, quæ de cœlo venit, & à Deo traditur; vnde Antiqui populorum Magistri, vt sibi fidem conciliarent, fingebant se à Dijs edoctos, proindeque dignos, qui homines erudirent: Vt Pithagoras fingebat se Deorum concilio interfuisse, ibique sua dogmata hausisse: Numa Pompilius fabulabatur se à Dea Egeria instrui: Socrates pro Pedagogo genium familiarem habere gloriabatur; Lycurgus suas leges non tam hominis, quàm Dei iuuentum esse iactabat; Adeò in omnium animis fixum, & ratum est illum, & veracem, & cœterorum Magistrum esse debere, qui Dei priùs extitit Discipulus, ac Theodidactus. Minor verò probatur, tùm authoritate Pontificum; nam Ioan. XXII. in Bulla Can. D. Thom. de libris eius inquit, *Eos non absque speciali infusione perfecit*. Vnde fertur dixisse D. Thomam *tot miracula fecisse, quot Articulos scripsit; quia omnes resoluit lumine plusquam humano*. Et Clemens VIII. vocat D. Thomam, *Eloquium diuinum, & cælestem Doctrinam, ac miraculis illustrem*; refertque S. D. in difficultatibus resoluendis habuisse DD. Apostolos Petrum, & Paulum interpretes. Tum etiam ex probatissima eius gestorum historia, quæ refert sanctum virum ad orationem, vt ad oraculum, confugere solitum, in qua de omnibus erudiebatur; ipsumque cum sanctis, & Angelis familiariter fuisse conuersatum; in frequentissimas ecstases raptum, dum contemplationi etiam rerum scholasticarum mentem applicaret, quod de nullo alio sancto legimus; vt scilicet

quemadmodum alij sancti mysticas, & propheticas illustrationes in raptibus hauriebant; ita quoque diuinus ille vir scientiarum lumina in illis susciperet. Tum demum ex ipsa viri sanctissimi confessione, qui fratri Reginaldo socio suo dicere solebat, *scientiam suam non tam humano studio, & naturali ingenio, quàm orationis suffragio diuinitus impetrasse*. Et si dicas quosdam alios habuisse scientias etiam diuinitùs infusas; respondeo, in primis id vix de vllo alio ita certò constare, ac de D. Thoma: Deinde alij quidem leguntur diuinitùs habuisse lumen infusum, quo facilius scientias addiscerent; sed vnius D. Thomæ priuilegium fuit, etiam de Quæstionibus in particulari diuinitùs instrui vel per ecstaticos raptus, vel per Cœlitum colloquia, vel per orationem, *à qua surgens*, inquit Bernardus Guidonis: *inueniebat ape tum, quod prius erat occultum; sic habens in promptu quod dictaret, quasi in libro aliquo didicisset*.

Probatur 2. ex præstantia Auctoris illius doctrinæ D. Thòmæ scilicet, in quo, Natura, Gratia, & studium conspirauerunt, vt eum totius orbis Magister dignum efficerent. Natura quidem, à qua sortius erat animam bonam, & maximarum rerum capacem; memoriam vsque ad prodigium felicem, ad omnia facilè addiscenda, perpetuò retinenda, & tanto cum ordine reddenda, vt sæpe quatuor Amanuensibus res diuersissimas simul dictaret; ingenium ad comprehendendum vastissimum, ad penetrandum subtilissimum, ad altiora contemplanda sublimissimum, & facillimum ad omnia clarè explicanda, & in omnem faciem versanda. Gratiæ quoq; dona cũ profusione accesserant, humilitas profundissima, quæ sapientiæ basis est; munditia cordis, & corporis plusquam humana, cui Dei visio, & veritatis cognitio promittitur; oratio ita efficax, vt omnia impetraret; sanctitas tanta, vt cœlites quasi familiares Magistros haberet; contemplatio adeo expedita, vt raptus, & ecstases ad nutum haberet; ardentissima cognoscendæ veritatis sitis, ob quam eum veluti Danielem, virum desideriorum Bernardus Guidonis vocat; lumen intellectus, scientiæ, & sapientiæ supra hominis mortalis conditionem clarissimum. Ad tantas naturæ, & gratiæ dotes adiecit quoque sanctus Doctor impigerrimum studium; cùm enim ad Doctoris munus se diuinitùs destinatum sciret, vt ipse fatetur in Proem. Summæ cont. Gent. scientijs totum animum applicuit; nullis vigilijs, aut laboribus pepercit;

Beatum

Beatum Albertum omnium penè mortalium, nisi hanc laudem ipse discipulus præripuisset, eruditissimum auidissimè audiuit; libros omnes adeo feliciter euoluit, vt vir modestissimus in familiari colloquio studentibus dixerit: *se nullum legisse, quem diuino adiutus spiritu non intellexisset*. Ad cumulum demum votorum, & maximum D. Thomæ discipulorum solatium accedit, vt in eo non modò absolutissimum Magistrum habeant, qualem nulla ætas aut tulit, aut feret, sed etiam efficacissimum intercessorem; qui dum doctrinam in libris suis proponit, intelligentiæ quoque lumen efficacibus meritis possit impetrare; ita vt thomisticæ doctrinæ quodammodo attribui præ alijs possit, quod legi gratiæ supra legem scriptam tribuitur, eam scilicet non modò nuda dogmata tradere, sed etiam conformem ipsis spiritum interiùs subministrare.

Probatur 3. ex scopo, quem sibi sanctus Doctor in condenda sua doctrina proposuit. Cùm enim cæteræ sectæ nasci solent vel ex quadam contradicendi, & aliena subuertendi prurigine; vel ex cupiditate noua, & inaudita ingerendi: vel ex zelo defendendi ea, quæ a domesticis malè excogitata, à cæteris reprobãtur; vnicam veritatem sibi pro doctrinæ scopo D. Thomas constituit. Vnde nullum alicuius momenti Doctorem acerbè carpit; nulli contradicere gestit; omnes, quantùm fieri potest, benignè exponit; tritam ab antiquis viam sequitur; noua quidem excogitat, non tamen ad vetera destruenda, sed illustranda: & cùm scientiæ Naturales sint sacræ doctrinæ Ancillæ, id vnum impensè curat, vt scientiarum lumen fidei doctrinæ inseruiat, ad quam illustrandam, & declaranda diuina Mysteria mirabiles conuenientias ex rebus naturalibus excogitauit: & in omnibus rationem fidei ita accommodauit, vt in confesso sit apud omnes, illius doctrinam explicandis fidei mysterijs omnino aptissimam esse, ideoque & verissimam: siquidem vt apertum rectitudinis indicium est rectis concordare; ita quoque infallibile veritatis testimonium est, in principijs, & conclusionibus naturalium scientiarum, cum veritatibus fidei concordia: Nam veritas veritati concors, & amica est: falsitas verò prorsùs repugnat.

Probatur 4. ex Dotibus, quas habere debet optima doctrina, quarum præcipuæ sunt, vt sit Pura ab erroribus, Solida in dogmatibus, Sublimis in principijs, Vniformis in conclusionibus, Completa in tractatibus, Sancta in moralibus, Facilis addiscentibus: Sed hæc

omnia cumulatissimè complectitur doctrina thomistica; ergo. Probatur minor: Et in primis, eam esse ab omni errore puram, non modò Pontifices declarant, sed vsus quoque comprobauit; nam à tot sæculis, à tot Æmulis, vsque ad vltimos apices versata, cribrata, & ventilata, sua sinceritate, ac puritate omnem, & amicorum fidem vicit, & aduersariorum inuidiam. Solidam in dogmatibus esse publica vox proclamat, & experientia confirmat; nam aduersariorum impugnationibus, vt Hercules Iunonis odijs, melior effecta, quantò acriùs impetitur, tantò firmiùs stabilitur; & veluti solidum marmor dum feritur, politur: vnde in proloquium abijt, eam propè plus hostibus debere, quam amicis; ab istorum enim administratione honorem, sed ab illorum impugnatione soliditatis suæ notitiam, & claritatem accepit.

Sublimitatem principiorum eius satis indicat tum angelicus titulus, quo donata est; eò quod inter humanas doctrinas tantùm emineat, quantùm supra homines Angeli. Tùm angelicus modus procedendi D. Thomæ, qui quantùm rei conditio patitur, cuncta resoluit ad prima, & altissima principia. Vniformitas quoque, ac mirabilis conclusionum omnium inter se consensus in D. Thoma relucet; nam veluti in corpore animalis, vnum membrum aliud non impugnat, sed iuuat; ita quoque omnia huius Doctoris dogmata sie inter se cohærent, & concatenantur, vt vnum aliud confirmet, nec ab eo diuelli possit, & philosophica theologicis viam parent, rursusque theologica philosophicis nouum robur, lumen, ac perfectionem adijciant. Complectissima quoque est D. Thomæ doctrina, cùm ipse de omnibus, quæ tum Philosophum, tum Theologum erudire possunt, non minùs copiosè, quam egregiè tractauerit; ita vt ei meritò tribui possit illud D. Gregorij Nazianzeni de Basilio Magno elogium: *Vnus omnium loco studiosis ad eruditionem comparandam sufficit*. Sanctitate etiam præcellit, cùm & altissimè de Deo, & humilimè de creaturis sentire doceat, salutisque viam nec periculosa indulgentia dilatans, nec nimia seueritate coarctans, ita mores informat, vt omnes eius opiniones non modò probabiles, sed etiam tutissimas asserat Summi Pontificis nuperum oraculum, qui in discernenda morum doctrina falli non potest. Sed demum ne quid ad laudis culmen desit, D. Thomæ doctrina etsi sublimis, ac profunda sit, attamen facilis est; ita vt illi accommodari possit, quod de sacra Scriptura

tura Gregorius dicit: *Eam scilicet esse fluuium altum, & plenum, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Huius autem fælicitatis ratio est, tum mira Sancti Doctoris in explicandis rebus claritas; tum artificiosissimus in disponendis materijs ordo; tum perpetua quædam doctrinæ concatenatio, & ad paucissima principia reductio; quæ, si quis penetrauerit, perenni serie nascentes ex ijs conclusiones facilè deducet. Vnde vulgatum effatum est D. Thomæ doctrinam à discipulis non fælicem memoriam, quæ rarissima est, sed maturum iudicium exigere.

Probatur demum 6. ex effectibus angelicæ doctrinæ; si enim arbor ex fructibus dignoscitur, quæ vnquam doctrina, excepta Canonica, meliores, vberiores, & vniuersaliores fructus protulit? Hæc theologicam facultatem antea rudem poliuit, informem exornauit, confusam disposuit, obscuram luce copiosissima perfudit, & solis authoritatibus innixam, sed rationibus ieiunam, innumeris Argumentis illustrauit, & ad hoc decus, ac perfectionis apogæum perduxit, vt *non plus vltra*. Hæc Philosophiam fidei rebellem, & à Theologia penitùs alienam, in obsequium sacræ doctrinæ captiuauit; vt enim olim Angelus Agarem fugitiuam reduxit ad Dominam suam; ita quoque Doctor Angelicus humanam sapientiam sacræ doctrinæ tanquam Reginæ suæ subiecit, ita vt, quæ priùs erat perniciosa fidei inimica, nunc facta sit v ilis ancilla. Hæc Gentilium, Philosophorum dogmata, quibus anteà vt lanceis, & ensibus Fidem impugnabant Gẽtiles, & Hæretici, conuertit in vomeres, & falces; quæ nunc ad diuinæ sapientiæ sementem animos disponunt, & ad colligendam eius messem vtiliter inseruiunt. Hæc omnium hæreticorum sacrilega inuenta funditùs subuertit, & quotidie confundit, vt ostendit Grauina tom. 1. Præscripr. Summique Pontifices testantur. Hæc mysteria fidei non modò luculentissimis conuenientijs exornauit, sed etiam tanta luce perfudit, vt extra beatificæ visionis meridiem, amplior nec optari, nec sperari posse videatur; meritoque censeri possit præfulgida quædam æternæ diei aurora. Hæc arma Patribus Latinis contra Græcorum errores ita fortia suggessit, vt ipsi Præsules Græci in Concilio Florentino mirarentur ex quo armamentario tam efficacia tela erui possent; cùmque didicissent ex D. Thomæ libris esse de prompta, summam eius theologicam Græcam habere voluerunt. Quis acutus Philosophus, quis eruditus Theologus, quis

Doctor mysticus, quis prudens conscientiarum Moderator, quis sapiens animarum Pastor, quis peritus scripturarum Interpres, quis efficax verbi Dei Concionator, quis egregius Controuersista, qui non de D. Thomæ fontibus potauerit? Qui Summam eius theologicam non euoluat, ita vt de ea dicere possit, quod Cyprianus poscendo Tertulliani volumina; *affer Magistrum*? Qui demum eam non agnoscat suæ fontem eruditionis, suum oraculum in dubijs, suum ducem in arduis, lumen in obscuris, Mercurium in biuijs, armamentarium in controuersijs, & literarum pugnis, normam in moribus regendis, Danielem in difficilioribus scripturæ locis, thesaurum, qui solidiores concionum diuitias subministret, promptuarium, ex quo sacri verbi frumentum, & vinum depromat, vt populos pascat, & nutriat, & demum, vt vno verbo concludam, immensam quandam, & inexhaustam totius eruditionis Christianæ abyssum: Ergo quidquid isti omnes præclari habent & agunt, D. Thomæ doctrinæ debent; totque sunt illius effectus, quot sunt illorum fructus. O feracem doctrinam, & bonis fructibus plenam; postque tot, & tanta collata hominibus beneficia, non tam angelicam, quam diuinam, nisi eo quoque diuina esset, quò angelica nuncupatur!

Hæc pauca ex multis in commendationem doctrinæ thomisticæ relata satis ostendunt, quanto interuallo cæteris omnibus emineat, quàm meritò alijs anteponenda sit, quàm iure totus propè orbis, ingenti Doctoris Angelici admiratione taptus, eum vt communem Magist um sequi profiteatur; ita vt ei tribui meritò possit, quod Seneca de natura dixit, eum à tanta discipulorum turba *non mercede, sed miraculo coli*. Augeamus ergo & nos tam illustrem, tam eruditum, tamque præclarum, exercitum, & humanæ, diuinæque sapientiæ auidi, eius fluenta ab hoc purissimo, & inexhausto fonte, eius splendores ab hoc fulgentissimo sole, eius mysteria ab hoc cælesti oraculo, eius documenta ab hoc Angelo cœlitùs ad nos misso requiramus. Et vt nos hortatur Clemens VI. Lemouicensis, in sermone de D Thoma, qui incipit: *Ecce plus quàm Salomon hic*, quem refert Luccarinus in fine manualis controuersiarum Thomist. *Huius doctrina non recedat ab ore, non recedat à corde; quia ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsam studens ad veritatem peruenis. Tenui ergo, nec dimittam* Cant. 3.

PRIMA



PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ.

Quæ Logica, seu Dialectica nuncupatur.



LOGICA græcè, idem est, ac Rationalis latinè: Dialectica verò idem est, ac disputatiua. Vtroque nomine vocari solet illa Philosophiæ pars, quæ docet modum disputandi, seu ratiocinandi. Est autem ratio vis quædam homini indita, per quam vnum infert ex alio; vt dum quis ex exteriori vultus deiectione infert latentem animi mœstitiam, ex turbato pulsu infert cordis languorem. Res enim sunt inuicem connexæ, vnde cognitio vnius ducit ad alterius notitiam; Idcirco natura nobis inseruit vim quandam inferendi vnum ex alio. Hæc facultas dicitur ratio, seu discursus. Quia tamen natura per artem iuuatur, inuenta ad bene discurrendum: Hæc scientia dicitur Logica, seu Dialectica, quæ primo loco tradi solet in philosophia; nam antequam de rebus alijs disputemus, oportet scire modum disputandi: Hæc autem Logica diuiditur in minorem, & maiorem. Minor Logica est, quæ de rebus facilioribus agit, quibus adiuuatur ratio nostra ad discursum, vt de regulis bene disputandi; de terminis, quibus disputamus, &c. In Maiori verò Logica celebriores quæstione agitantur circa res logicales. Vnde incipiendo à primas.

LOGICA MINOR,

Rerum Logicalium faciliora complectens in tres partes diuisa.

TRactatum hunc diuidimus in tres partes, quarum prima agit de vocibus, seu terminis, qui sunt prima elementa disputandi. Secunda agit de propositione. Tertia de argumentatione. Ratio diuisionis est, quia scopus Logicæ est dirigere intellectum in cognitione veritatis; intellectus autem tribus operationibus, veluti tribus passibus, gradatim procedit in cognitione veritatis. Prima operatio, & veluti primus nostræ mentis

passus, est Appræhensio: Secunda dicitur Iuditium: Tertia dicitur Discursus. Appræhensio est ille actus, per quem simpliciter rem appræhendimus, seu intuemur, nihil de illa affirmando, vel negando, vt dum considero florem, domum, lapidem, &c. Iudicium verò est ille actus, per quem mens nostra vnum de alio affirmat, vel negat, vt dum considerans quid sit flos, quid pulchritudo, vnum de alio affirmo, dicēdo florem esse pulchrū, vel vnum de alio nego, dicendo florem non esse pulchrum: Discursus tandem est, quo vnum ex alio infero; vt dum sic colligo, flos est pulcher; ergo delectat visum.

Prima pars Logicæ agit de Terminis, quibus res simpliciter apprehensas exprimimus. Secunda agit de Propositione, qua mentis nostræ sententiam enunciamus, exprimendo quid nobis de re videatur. Tertia pars agit de Argumentatione, quà vnum ex alio inferimus. Hæc diuisio deseruiet quoque Maiori Logicæ, sed antequam singulas has partes aggrediamur, priùs præmittenda est de more Quæstio Præambula de methodo, & modo sciendi; nam antequàm cætera discas, priùs discendi modus, & methodus addiscenda sunt.

QVÆSTIO PRÆAMBVLA

De Methodo, & Modo sciendi.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Methodo.



METHODVS vox græca est, quam latinè dixeris, viam expeditam. Vnde illa dispositio qua res aptè disponuntur, vt faciliùs capi possint, vocatur methodus. Hoc modo sumpta methodus definitur; Modus ordinatus procedendi in veritatis inquisitione. Confusio enim parit obscuritatem, & obscuritas difficultatem; vnde vt facilis sit ad veritatem aditus, artificioso quodam ordine opus est, qui singula disponat, & eo modo proponat, quo faciliùs intelligi possunt. Hic ordo dicitur methodus.

Diuiditur autem methodus in methodum compositiuam, & resolutiuam. Methodus compositiua est, quæ à simplicioribus procedit ad compositiora; vt à partibus ad totum: ab vniuersalioribus ad particularia; à causis ad effectus: Nam vniuersaliora sunt simpliciora particularibus,

cularibus, & cauſæ effectibus. Methodus reſolutiua eſt, cùm e contrà procedimus à compoſito ad partes, vt à particularibus ad vniuerſalia, ab effectibus ad cauſas. Exemplum methodi compoſitiuæ eſt, ſi quis priùs agat de animalibus in communi, deinde deſcendat ad hominem, & equum; vel ſi quis acturus de corpore humano, priùs ſingulas eius partes, vt caput, pectus, &c. explicet, deinde agat de toto corpore. Exemplum methodi reſolutiuæ eſt, ſi quis priùs conſideret totius corporis ſtructuram, poſteà verò illud diuidat in ſuas partes, & ſingulas examinet; aut ſi priùs hominem in ſe conſideret, deinde videns ipſum eſſe animal rationale, agat de animali in communi. Methodus compoſitiua ſeruatur in ſcientijs tradendis; tunc enim procedimus ab vniuerſalioribus ad magis particularia. Nam vniuerſalia ſunt faciliora; faciliùs enim ſcimus, quid ſit animal, quam quid ſit homo: A facilioribus autem incipiendum eſt. Methodus reſolutiua ſeruatur in ſcientijs proprio marte inueſtigandis: quia tunc procedimus per experientiam: Experientia verò habetur per ſenſus, ſenſui autem obuia ſunt particularia, & compoſita; non enim video animal in communi, ſed hoc particulare animal, vt hominem, vel bouem, quod vt cognoſcam, reſoluo in genus, & differentiam. Medici in iudicandis morbis vtuntur methodo reſolutiua: priùs enim explorant ſigna, & effectus morbi, à quibus procedunt ad inueſtigandas cauſas. Prætereà datur tertia quædam methodus ex vtraque mixta, quæ dicitur arbitraria: ſit autem; quando res tradendas accommodamus ad auditorum opportunitatem.

ARTICVLVS SECVNDVS,

De modo ſciendi in communi.

MOdus ſciendi tripliciter ſumi poteſt, primò latè pro omni eo, quod iuuat ad ſcientiam; ſic Logica dicitur modus ſciendi, quia iuuat ad alias ſcientias: Methodus etiam dicitur modus ſciendi, quia diſponit res, vt faciliùs ſciri poſſint; 2. ſtrictiſſimè pro eo, quod generat ſcientiam propriè dictam; ſic demonſtratio ſola eſt modus ſciendi, quia ſola facit ſcire propriè, vt infrà dicetur; vnde ſcientia definitur: Cognitio per demonſtrationem acquiſita; 3. demum ſumitur modus ſciendi pro eo quod tradit clariorem rerum notitiam, ſiue ſcientificam, ſiue non. Sic a nobis nunc vſurpatur

modos sciendi, & definitur: Oratio ignoti manifestatiua. Orationem autem breuem vocamus sermonem ex duabus, vel pluribus vocibus compositum, de quo infrà dicetur exactiùs.

Modus sciendi sic sumptus est triplex, scilicet Definitio, Diuisio, & Argumentatio. Probatur hæc diuisio; nam tot debent esse Modi sciendi, quot sunt ignota in rebus; sed de qualibet re tria sunt ignota;, ergo sunt tres modi sciendi. Maior certa est, quia modus sciendi debet explicare rem ignotam. Minor verò probatur; cuiuslibet rei ignorari potest: 1. essentia, seu quid sit: 2. partes, seu quotuplex sit: 3. proprietates, seu quid ipsi competat. Definitio explicat essentiam; Diuisio assignat partes; Argumentatio ostendit, quid rei conueniat.

Obijcies: Propositio est modus sciendi: ergo sunt plusquàm tres modi sciendi. Probatur Antecedens: Oratio manifestans ignotum est modus sciendi: sed propositio est oratio manifestans ignotum, ergo est modus sciendi. Probatur minor: nam nescienti quo anno natus sit Christus; manifesto ignotum dicendo: Christus natus est anno quadragesimo secundo Imperij Augusti: Hæc autem oratio est propositio, ergo propositio est oratio manifestans ignotum.

Respondeo. Nego antecedens: Ad probationem concessa maiori, nego minorem, ad cuius probationem distingo maiorem, nescienti quo anno natus sit Christus: &c. manifesto propriè, & doctrinaliter, explicando rem obscuram per aliquid notius nego: manifesto impropriè, & historice, narrando quid sit factum, concedo. Explicatur distinctio, dupliciter aliqua veritas manifestari potest, primò impropriè, & quasi historicè, nudè illam proponendo: vt si quis dicat, Salomon est saluatus; secundo propriè, & doctrinaliter, quando scilicet res obscura declaratur, adducendo aliquid notius ipsa re; vt si quis dicat, Salomon est saluatus, quia egit pœnitentiam in senectute. Propositio solùm manifestat ignotum impropriè, & primo modo, ipsum enunciando, & quasi narrando, non tamen propriè, & secundo modo, aliquid notius adducendo. Vnde propriè non est modus sciendi.

Instabis: Dum aliqua propositio fit ab homine veraci, tunc res nobis certior, & clarior redditur, quàm si ab homine fallaci fieret; ergo talis propositio est modus sciendi. Respondeo hanc manifestationem fieri non per nudam propositionem, sed per virtualem argumenta-

mentationem, in quantùm apud nos ita reputamur: quicquid dicitur ab homine veraci, vt plurimū eſt verū: Atqui talis homo verax hoc mihi dixit; ergo verum eſt.

Vrgebis: ſaltem hæc propoſitio, homo eſt animal rationale, manifeſtat ignotum ſcilicet eſſentiam hominis; ergo eſt modus ſciendi.

Reſpondeo. Diſtinguo antecedens: Manifeſtat ignotum ratione ſui, nego; ratione definitionis, quam includit, concedo. Iſta enim propoſitio continet definitionem hominis: vnde mirum non eſt, ſi manifeſtet eius eſſentiam.

Dices: Fumus manifeſtat ignem latentem, & pallor morbum occultum; ergo res huiuſmodi ſunt modus ſciendi.

Reſpondeo. Diſtinguo antecedens: Fumus manifeſtat ignem per modum orationis, nego; per modum ſigni, concedo. Modus autem ſciendi eſt, qui manifeſtat per modum orationis Adde præterea, quod fumus non manifeſtat ignem niſi per virtualem diſcurſum, qui ex fumo viſo infert latere ignem.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Definitione.

Circa definitionem tria quærimus; 1. quid ſit; 2. quotuplex: 3. quas regulas ſeruare debeat, vt bona ſit.

Quantùm ad primum. Definitio propriè dicitur, oratio explicans naturam rei, ſeu quid res ſit. Quatenùs, oratio conuenit cum alijs modis ſciendi, cæteræ particulæ ipſam diſtinguunt ab alijs modis ſciendi: Proprium enim munus definitionis eſt explicare naturam rerum; dico, naturam rerum, nam definitio, quæ ſolùm explicat nomen, propriè definitio non eſt, ſed interpretatio: vt cum dico: Hydrographia, eſt deſcriptio maris: Coſmographia eſt deſcriptio mundi. Ad hanc reducitur etymologia, quæ explicat radicem nominis: vt cùm dico; prouidens, eſt quaſi procul videns. Solæ igitur definitiones, quæ declarant eſſentias rerum, tales reputantur apud Philoſophos; non verò definitiones vocum.

Quantùm ad ſecundum. Definitio diuiditur in eſſentialem, & deſcriptiuam. Eſſentialis eſt, quæ rem explicat per principia ipſam rem conſtituentia. Deſcriptiua verò, quæ rem explicat per ea, quæ ſunt ipſi aduentitia; res enim innoteſcit nobis non ſolùm per ſua prin-

principia essentialia; sed etiam per ea, quæ sunt ei aduentitia; sicut Rex etiā cognoscitur ex vestibus, apparatu, & satellitio: Er radix cognoscitur per folia, & fructus.

Definitio essentialis est duplex; alia dicitur physica, quæ scilicet datur per partes rei physicas: alia metaphysica, quæ datur per partes metaphysicas. Partes physicæ sunt ex quibus componitur totum physicum; scilicet materia, & forma; vt suo loco dicetur. Partes metaphysicæ sunt ex quibus constat totum metaphysicum, scilicet species, quæ componitur ex genere, & differentia. Exemplum definitionis physicæ est, si definias hominem compositum ex corpore, & anima rationali: Exemplum definirionis metaphysicæ est, si dicas eundem hominem esse animal rationale.

Definitio descriptiua est rriplex, scilicet propria, accidentalis, & causalis. Definitio propria est, illa, quæ rem explicat per suas proprietates, vt homo est animal politicum, & scientiæ capax: proprium enim est homini inter animalia quòd sit politicus, & scientiarum capax. Definitio accidentalis est quæ notificat rem per quædam accidentia, quæ diuisim sumpta conueniunt alijs, coniunctim tamen soli definito congruunt; hæc locum habet præcipuè apud Rhetores, sic Virgilius definit Poliphemum:

Monstrū horrendū, informe ingens, cui lumen adēptum.
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.

Sic Plato defini r hominem, animal pulchrum, implume, bipes, habens caput erectum.

Definitio causalis est quæ rem explicat per causas extrinsecas scilicet finalem, exemplarem, & efficientem; Sic homo dicitur: Animal ad imaginem Dei, factum propter beatitudinem. Sic tonitru dici potest fragor siccæ exhalarionis intra nubem densam strepentis: sic febris dici potest, calor præternaturalis in corde accensus, & ad partes alias refusus ad debellandum humorem noxium.

Quantum ad regulas definitionis, quatuor tradi solent. Prima vt definirio sit clarior definito, aliàs ipsum non manifestaret; vnde ista peccat: Homo est mundus abbreuiatus, quia obscurius est quid sit mundus, quam quid sit homo.

2. Regula est vt nec sit superflua, nec diminuta. Superflua enim cōfundit intellectum, quia discernere nō potest quid sit proprium rei; diminuta vero rem solū dimidiatè explicat: Vnde ista definitio non est bona: Homo est animal rationale album; superfluit enim

album.

album. Ista etiam non est bona: Homo est animal bipes; deest enim differentia distinguens hominem ab alijs bipedibus.

3. Regula est, vt definitio constet genere, & differentia, aut saltem aliquo tenente locum generis, & differentiæ: Nam definitio explicat naturam rei; vnde debet assignare in quo conueniat, & in quo differat ab alijs rebus.

4. Regula est, vt quidquid dicitur de definitione, possit dici de definito; nam definitio est ipsa res definita clariùs tantùm explicata; Hæc autem regula intelligenda est de his quæ dicũtur de ipsa definitione primò intentionaliter sumpta, idest, de prædicatis realibus, non verò de prædicatis logicis; nam de ista definitione: Homo est animal rationale, dicitur quod sit modus sciendi, quod tamen non dicitur de homine, quia est tantùm prædicatum aliquod logicum. Hæc regula clariùs intelligetur, postquàm dixerimus infrà quid sit prædicatum reale, & quid prædicatum rationis, seu terminus primæ intentionis, & terminus secundæ intentionis.

Obijcies: Definitio non potest definiri, ergo male à nobis definitur. Probo antecedens: Nihil potest definiri per se ipsum: sed si definitio definiatur, per se ipsam definietur; ergo non potest definiri. Probo minorem: Nam definitio non potest definiri nisi per definitionem: ergo definitur per se ipsam.

Respondeo. Nego antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad eius probationem, distinguo antecedens: Definitio definiretur per definitionem, eodem modo sumpta, nego, diuersimodè sumptam concedo. Explicatur solutio; Definitio potest dupliciter sumi; 1. pro ipsis terminis definientibus, & clarius explicantibus; 2. pro artificiosa dispositione talium terminorum in modum definitionis. Dicimus ergo quòd definitio sumpta pro tali dispositione terminorum definitur per aliquos terminos nobis explicantes, quid sit talis dispositio.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Diuisione.

Circa Diuisionem tria quæri possunt: 1. quid sit, 2. quotuplex sit, 3. quas regulas seruare debeat vt bona sit.

Quantùm

Quantùm ad primum Diuisio definitur oratio explicans rem per partes, seu totum distribuens in suas partes: Totum enim est magis confusum; vnde, vt explicetur, distinguendum est in suas partes; hæc igitur oratio, in qua fit talis distinctio, vocatur diuisio.

Quantùm ad secundum, cùm diuisio resoluat totum in partes, iuxta diuersitatem totorum, erit etiam diuersitas diuisionum: Vnde quia triplex est totum, scilicet actuale, potentiale, & accidentale, triplex quoque assignatur diuisio, actualis scilicet, potentialis, & accidentalis.

Diuisio actualis est quæ totùm diuidit in partes ex quibus actu constat: seu quas de facto in se habet, siue illæ partes sint Physicæ, vt cum dico, hominis alia pars corpus; alia anima: siue metaphysicæ, vt cùm species diuiduntur in genus. & differentiam; vt hominis alia pars animal, alia rationale; siue integrantes, idest, ex quibus ita totum constat, vt sine qualibet illarum concipi possit, saltem imperfectum, & determinatum, vt dum corpus diuiditur in caput, manus pectus, &c.

Diuisio potentialis est, quæ distribuit totum potentiale in partes quas sub se continet; seu quæ diuidit vniuersale in sua particularia: Nam vniuersale est quasi totum aliquod continens sub se pluralia particulari, vt animal continet sub se hominem, pisces, aues, &c. Hæc diuisio duplex est; vniuoca scilicet, & analoga. Vniuoca est quando vniuersale, seu totum potentiale eodem modo conuenit suis inferioribus: Sic animal diuiditur in terrestre, aquatile, & amphibium: Diuisio Analoga est quando totum potentiale non conuenit eodem modo suis inferioribus, sed solùm per quandam proportionem; vt dum caput diuiditur in caput hominis, montis, & libri: caput enim non dicitur eodem modo de homine, & de capite montis aut libri.

Diuisio accidentalis est qua vel subiectum diuiditur in sua accidentia: vt si quis diuidat album in niuem, papyrum, & lac; vel demum accidens in accidentia; vt si quis diuidat album in amarum, & dulce.

Regulæ diuisionis quatuor sunt: Prima vt diuisum sit maius qualibet parte diuidente, vnde mala est hæc diuisio: Animalium aliud rationale; aliud sensitiuum, quia sensitiuum æquatur animali; nam omne animal est sensitiuum. Secunda regula est vt totum diuisum adæquetur membris diuidentibus, & membra diuidentia toti; vnde mala est hæc diuisio: Terra diuiditur in Europam, Asiam, & Africam; nam præterea datur alia

pars

pars, ſcilicet America. Tertia regula eſt, vt membra diuidentia ſe aliquo modo excludant; vnde iſta diuiſio non eſt bona: Terra diuiditur in Europam, Aſiam, Africam, Americam, & Galliam; quia Gallia includitur in Europa. Quarta regula eſt vt ſit breuis, quantum fieri poteſt.

Circa modum arguendi à membris diuidentibus ad totum diuiſum, duo ſunt notanda. Primò à partibus ſufficienter enumeratis valet conſequentia ad totum, vel e contrà: vt Euangelium prædicatum eſt in Europa. Aſia Affrica, & America: ergo eſt prædicatum per totum Orbem à nobis notum: Et e contrà, Euangelium non eſt prædicatum per totum Orbem; ergo nec per omnes iſtas regiones. Secundò excluſis alijs partibus valet conſequentia à toto ad eam quæ ſupereſt: Italia eſt in Orbe, & non eſt nec in Aſia, nec in Affrica, nec in America; ergo eſt in Europa.

De Argumentatione quæ eſt tertius modus ſciendi fusè agetur in tertia parte. Solùm hic obiter nota eam definiri: Orationem in qua vnum ex alio inferimus: Vt Areopagus damnauit Socratem innocentem; ergo non fuit ſemper iuſtus.



PRIMA PARS LOGICÆ MINORIS.

De Termino.



VM Logicæ finis ſit dirigere intellectum, & eius operationes, exordiendum eſt ab earum prima, ſimplici ſcilicet apprehenſione. Hæc igitur, vt diximus, res ſimpliciter apprehendit, nihil affirmando, vel negando. Res verò ſic apprehenſæ à nobis exprimuntur per voces ſimplices, vt cùm dico, *cælum, homo virtus*, &c. Iſtæ voces dicuntur termini apud Logicos, ſuntque prima rerum logicalium elementa, ſicut lapides ſunt prima elementa domus. Circa eiuſmodi terminos tria hic quærimus; Primò, quid ſit terminus; Secundò quotuplex ſit; Tertiò quas habeat proprietates.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Terminus.

ARistoteles primo priorum definit Terminum: *Id in quod resoluitur propositio, tanquam in prædicatum, & subiectum*: Hinc desumpta est vulgata definitio termini, quà dicitur extremum propositionis: Vt in ista propositione, (Deus est laudabilis,) duæ voces extremæ sunt termini, media verò copula, *est*, non dicitur propriè terminus, sed potiùs vinculum terminorum; sicut cœmentum in domo non est propriè pars eius, sed nexus partium.

Quæri solet an voces extra propositionem sint termini: Alij affirmant, alij negant; media via incedendò dicendum est, quòd si voces ita sint extra propositionem, vt nullo modo dicant habitudinem ad illam, non censentur termini logici; si tamen considerentur cum habitudine ad propositionem, sicuti fit in hac prima parte Logicæ, verè sunt termini; licèt nondum actu componant propositionem. Ratio est quia vox dicitur terminus per habitudinem ad propositionem; ergo quoties consideratur à nobis sub habitudine ad propositionem, verè est terminus: Si verò consideretur sine vlla prorsus habitudine ad propositionem, non est terminus; sicuti lapis nondum destinatus ad ædificium, & adhuc existens in rupe, non est pars ædificij; sed postquàm incipit poliri, quadrari, & formari, censetur pars domus faciendæ, licèt actu non componat ipsam.

Obiicies: Terminus est extremum propositionis; sed vox extra propositionem non est extremum propositionis: ergo non est terminus. Probo minorem; quod non componit propositionem, non est extremum propositionis; sed vox extra propositionem illam non componit; ergo non est extremum propositionis.

Respondeo negando minorem ad probationem distinguo maiorem: quod non componit propositionem, nec actu, nec aptitudine, concedo; quod non componit actu bene tamen aptitudine; nego: Et ad minorem voces extra propositionem non componunt ipsam actu concedo; aptitudine, nego: Sicut enim effracta cathedra, pes cathedræ adhuc dicitur pars eius, quia retinet aptitudinem ad componendam iterùm cathedram. Ita pariter voces simplices, quæ considerantur in prima parte Logicè, licèt non componant actu propositiones.

nes, habent tamen aptitudinem ad illas componendas; imo considerantur in ordine ad ipsas: vnde dicuntur verè termini logici: præcipuè cùm, vt fert axioma. *Verba in definitionibus posita non significant actum, sed aptitudinem.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex sit Terminus.

Variæ sunt terminorum diuisiones. Octo præcipuè referri solent.

1. Enim terminus diuiditur in mentalem, qui mente concipitur, & retinetur; vocalem, qui per vocem exprimitur; & scriptum, qui literis mandatur.

2. Diuiditur terminus in subiectum, & prædicatum: Propositio enim enunciat vnum de alio. Ille terminus qui enunciatur, est prædicatum: terminus verò de quo alius enunciatur, est subiectum. Sic dum dico: Deus est iustus, *Deus*, est subiectum; *iustus*, est prædicatum.

3. Diuiditur terminus in categorematicum, syncategorematicum, & mixtum: Categorematicus est, qui per se aliquid significat, vt homo, lapis, cælum. Syncategorematicus est qui per se non significat, sed solùm alteri iunctus: vnde est veluti aliorum pedissequus; & solet vocari, *signum*, eo quòd designet vniuersalitatem particularitatem propositionis. Eiusmodi est, *omnis*, *nullus*, *aliquis*. Terminus autem mixtus est qui virtualiter continet vtrumque prædictum, & in vtrumque resoluitur, sic, verbi gratia, est *nemo*, idem est ac nullus homo.

4. Diuiditur terminus in vniuocum, analogum, & æquiuocum. Terminus vniuocus est, qui significat rationem aliquam in pluribus simpliciter eandem, vt *homo* dictus de Petro, & Paulo. Analogus est, qui significat, rationem simpliciter quidem diuersam, aliquatenus tamen similem; vt pes dictus de pede animalis, de pede montis, & de pede columnæ. Æquiuocus est, qui significat res omnino diuersas; vt *canis* dictus de sydere, pisce, & animali domestico.

5. Terminus diuiditur in concretum, & abstractum. Terminus abstractus est, qui significat formam ab omni subiecto separatam. Concretus verò qui significat formam vt in subiecto existentem; sic, verbi gratia, *pulchritudo* est terminus abstractus, quia significat illam qualitatem præscindendo ab omni subiecto; at verò

pulcher

pulcher est terminus concretus, quia significat pulchritudinem vt in subiecto; similiter *humanitas*, *albedo*, *bonitas*, sunt termini abstracti; *homo* verò, *album*, & *bonum*, sunt termini concreti.

6. Diuiditur Terminus in connotatiuum, & absolutum, seu, quod ferè idem est, in adiectiuum, & substantiuum. Terminus adiectiuus, seu connotatiuus est, qui significat formam, vt alteri aduenientiam; sic *bonus fortis*, &c. significant bonitatē, & fortitudinem vt alicui aduentitiam. Terminus absolutus, seu substantiuus est, cui significat aliquid per se stans, vt, *homo*, *apis*, *planta*.

7. Diuiditur Terminus in singularem, & vniuersalē: Terminus singularis est qui de vno tantùm dicitur, vt *Socrates*, *Romulus*, &c. Vniuersalis est qui significat aliquid commune pluribus, vt *animal* significat naturam pluribus communem.

8. Diuiditur Terminus in terminum primæ intentionis, & secundæ intentionis: Terminus primæ intentionis est qui significat rem secundùm statum, quem habet à parte rei; sic *homo*, & *leo* significant rem secundū quod existit à parte rei: Terminus secundæ intentionis est qui significat rem secundùm aliquem statum, quem recipit ab intellectu, vt *prædicatum genus*, *species &c.* Res enim à parte rei nec est prædicatum, nec genus, sed id recipit ab intellectu: Vnde quia primò rem consideramus, vt est in se: deinde verò secundùm statum, quem habet ab intellectu: ideo termini, qui significant rem, vt est in se, dicuntur primæ intentionis, idest, primæ considerationis: Termini verò, qui significant id quod res habet à nostro intellectu, dicuntur secundæ intentionis, id est secundæ considerationis.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Proprietatibus Terminorum.

TErmini quinq; proprietates sunt: scilicet Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Appellatio. Has omnes proprietates duplici paragrapho suscipimus explicandas; quorum primus erit de suppositione, quæ est prima, & præcipua termini proprietas. In secundo verò agemus de quatuor reliquis.

§. I.

De Suppositione.

Circa suppositionem tria quæri possunt: primò quid sit secundò quotuplex sit, tertiò quæ sint eius Regulæ.

Cir-

Circa primum. Suppositio definitur: Positio termini loco alicuius, de quo verificatur; Cùm enim, vt inquit Aristoteles, non liceat inter disputandum res ipsas afferre: vtimur terminis loco rerum, sicut Supputatores vtuntur calculis loco pecuniarum: Talis vsus vocatur suppositio. Extremæ particulæ de *qua verificatur*, consultò apppountur, vt scias ad suppositionem termini oportere, quod res aliqua designabilis correspondeat termino; vnde sermo dicitur esse de subiecto non supponente, si nihil designabile correspondeat termino, vt verbi gratia, si dicam: Adam mihi loquitur. Centauri pugnant: istæ propositiones sunt de subiecto non supponente, quia eiusmodi res quæ exprimuntur per terminos *Adam*, & *Centaurus*, vel nullæ sunt pro tempore pro quo loquor, vel nusquam fuerunt.

Suppositio variè diuiditur. Eas solum species referemus, quas vsus, & necessitas celebriores fecit.

Primò igitur diuiditur suppositio in materialem, & formalem: Suppositio materialis est positio termini loco sui ipsius; vt dum dico: Homo est vox: amo est verbum: Suppositio formalis est positio termini loco sui significati, vt Homo est discursiuus.

2. Diuiditur in suppositionem simplicem, & realem: Suppositio simplex est positio termini loco sui immediati significati: Suppositio realis est positio termini loco significati tam mediati quam immediati. Quod vt clarè intelligas: Nota vocem habere duo significata, vnum immediatum, ad quod scilicet, primo & per se significandum est instituta: alterum mediatum, quod significat non quidem ex primaria destinatione, sed quasi secundariò & extensiuè; sic *homo* per se, & immediatè significat naturam humanam, secundariò tamen & mediatè significat omnia indiuidua contenta sub specie humana: Et econtrà, *Plato*, per se primò significat indiuiduum naturæ humanæ, scilicet filium Sophronici, sed secundariò etiam significat naturam humanam in Platone existentem. Sic etiam *album*, per se primò significat albedinem subiecto inherentem: tamen secundariò, & mediatè significat etiam subiectum, in quo est albedo. Dum tales voces vsurpantur solùm pro immediato significato, talis suppositio est simplex, si vsurpentur pro vtroque, suppositio est realis: Vt, dum dico: Homo est species: Album est accidens, *homo* & *album* supponunt simpliciter; nam *homo* sumitur ibi pro sola natura humana, non verò pro indiuiduis, & *album* pro sola albedine, non verò pro

subiecto: Vnde non valet consequentia, Homo est species: sed Petrus est homo; ergo Petrus est species. At vero si dicam Homo est viuens, suppositio est realis, quia *homo* ibi sumitur pro suo significato tàm immediato, quàm mediato; non enim sola natura, sed etiam omnia hominis indiuidua sunt viuentia.

3. Diuiditur suppositio in disjunctiuam, distributiuam & collectiuam. Suppositio disjunctiua est dum terminus communis ponitur pro aliquibus tantùm significatis; vt dum dico: Aliquis homo est albus: Suppositio distributiua est dum terminus communis sumitur pro omnibus suis significatis tum seorsim, tum conjunctim sumptis; vt dum dico: Animal est sensitiuum; tunc enim *animal* sumitur pro omnibus & singulis animalibus. Vnde verum est inferre; ergo istud & illud animal est sensitiuum. Et notandum quod talis distributio est completa, & aliquando incompleta. Distributio dicitur completa, quando descendit vsque ad infima indiuidua; vt dum dico: Animal est sensitiuum; non enim solùm species, sed etiam singula indiuidua animantium sunt sensitiua. Distributio verò est incompleta, quando non descendit ad omnia indiuidua; sed solùm ad omnes species; vt dum dicitur: Omne animal fuit in arca Noe; animal enim sumitur tantùm pro omnibus animantium speciebus. Distributio completa vocatur pro singulis generum. Distributio incompleta vocatur pro generibus singulorum. Suppositio collectiua est positio termini pro significatis coniunctim sumptis: vt dum dico: Planetæ sunt septem, Apostoli sunt duodecim.

4. Suppositio præcipuè disjunctiua diuiditur in confusam, & determinatam. Confusa est dum terminus indifferenter ponitur loco vtriuslibet suorum significatorum; vt dùm dicitur: Oculus est necessarius ad videndum, alteruter enim sufficit ad videndum, & necessitas non cadit determinatè, nec supra istum, nec supra illum. Suppositio determinata est, quando terminus ponitur pro certis quibusdam significatis, seu quando prædicatum cadit determinatè supra aliqua significata subiecti; vt dum dicitur: Quidam homines repererunt nouum orbem, talis repertura non cadit indifferenter supra quem volueris hominē, sed supra certos aliquos, scilicet Columbū & Americum Vesputium.

Suppositio variatur præcipuè propter terminos sincategorematicos, qui ideo dicuntur signa. Hi autem termini sunt in duplici differentia, alij sunt vniuersales,

siue sint affirmatiui, vt *omnis*; siue negatiui, vt *nullus*: Alij sunt particulares; siue affirmatiui, vt *aliquis*; siue negatiui, vt *aliquis non*. Hoc posito, quatuor tradi solent regulæ ad discernendas suppositiones.

1. Regula est. Subiectum affectum signo vniuersali supponit, vel distributiuè, vel collectiuè iuxtà exigentiam prædicati, vt omnis homo est admiratiuus, omnes planetæ sunt septem.

2. Regula est, Subiectum affectum signo particulari supponit confusè, vel determinatè: pro exigentia prædicati, vt aliqua nauis est necessaria ad transfretandum, aliquis homo est niger.

3. Regula est, Propositio nullo signo affecta, si sit in materia necessaria, idest, si prædicatum necessariò vel conueniat, vel repugnet subiecto; Subiectum supponit distributiuè; quia, vt dicitur: In materia necessaria propositio indefinita æquiualet vniuersali; vnde illa: Homo est animal, idem est ac si diceretur: Omnis homo est animal. Si verò propositio sit in materia contingenti, id est, si prædicatum accidentaliter conueniat subiecto, subiectum supponit disiunctiuè; nam propositio indefinita in materia contingenti æquiualet particulari, vt Homo est albus, idem est ac sic diceretur: Aliquis homo est albus.

4. Regula est, in propositione negatiua prædicatum semper supponit distributiuè; sic dum dico: Nullus homo est Angelus. *Angelus* supponit pro omnibus, & singulis Angelis. In propositione verò affirmatiua, prædicatum supponit tantum disjunctiuè, saltem per se loquendo, vt homo est animal; sensus est hominem esse aliquod animantium. Dixi per se loquendo, nam per accidens si prædicatum conuertatur cum subiecto, suppositio est distributiua, vt dum dicitur: Omnis homo est rationalis, ly *rationalis*, supponit pro omni rationali, quia conuertitur cum homine.

Præter has regulas generalior, & certior est, quod subiectum supponit iuxta exigentiam prædicati; vnde, vt cognoscatur suppositio subiecti, attendenda est exigentia prædicati. Sic termini numerales exigunt suppositionem collectiuam, vt Planetæ sunt septem: Termini necessitatis exigunt suppositionem confusam, vt oculus est necessarius ad videndum. Termini naturaliter conuenientes, exigunt suppositionem distributiuam, vt Planetæ sunt lucidi: Bruta carent ratione. Termini contingentes exigunt suppositionem disiunctiuam, vt Homines sunt albi.

§. II.

De reliquis proprietatibus Terminorum.

Reliquæ proprietates termini sunt Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Appellatio; quæ vt breuiter explicentur.

Ampliatio est extensio termini à minori ad maiorem significationem, vt dum dicitur: Mansueti hæreditabunt terram, vox *Mansueti*, quæ solùm ex vi prædicati supponit pro futuris; sumitur tamen pro omnibus tum futuris, tum præsentibus, tum præteritis.

Restrictio contrà est coarctatio termini à maiori ad minorem significationem; vt Æthiops est albus secundùm dentes, ly, *secundùm*, restringit ad vnam solam partem. Similiter in illo Troiani effato, *Princeps credulus est crudelis*, ly, *credulus* restringit ly, *Princeps*, ad aliquos tantùm.

Alienatio est vsurpatio termini in sensu translatitio, & metaphorico: vt dum scriptura vocat Christum *Solem iustitiæ*, *Agnum dominatorem terræ*, & dum Hieronymus vocat D. Hilarium, *Rhodanum eloquentiæ*, & Pythagoras vocabat iustitiam, *Salem vitæ*, eò quòd scelerum corruptionem acri quidem, sed salubri putritione corrigeret.

Appellatio maioris momenti est, & definitur applicatio vnius Termini supra alium. In propositione enim prædicatum veluti applicatur subiecto, vt dum dico: Deus est bonus, ly *bonus* applicatur supra Deum.

Diuiditur autem Appellatio in materialem, & formalem; in termino enim concreto duplex est significatum, materiale scilicet, & formale. Formale, est ipsa forma per terminum significata: Materiale verò est subiectum habens talem formam, vt in ista voce, *homo*, humanitas est formale significatum; persona verò habens humanitatem est significatum materiale, & in illa voce, *album*, albedo est formale significatum: subiectum verò habens albedinem est materiale. Hoc supposito.

Appellatio formalis est, quando prædicatum cadit supra formale subiecti: vt dum dico: Medicus sanat; non enim sanat, nisi formaliter vt Medicus. Appellatio materialis est, quando prædicatum cadit supra materiale subiecti; vt dum dico: Medicus cantat, non enim cantat formaliter, vt Medicus, sed vt Musicus.

Tres præcipuæ regulæ sunt pro appellatione. Prima est: quando subiectum propositionis est terminus substan-

stantiuus cum adiectiuo, si adiectiuus sit ante copulam, appellatio erit materialis; vt dum dico: Alexander Magnus fuit discipulus Aristotelis: *Discipulus* applicat supra *Alexandrum*, non quatenus *magnum*, sed simpliciter, ita vt sensus sit: Alexander, aliunde magnus fuit discipulus Aristotelis. Sed si dicatur, Alexander fuit magnus discipulus Aristotelis, appellatio erit formalis; nam *discipulus* applicabit supra *Alexandrum*, quatenus *magnum*; ita vt sensus sit Alexander fuit magnus inter discipulos Aristotelis.

Secunda regula est. Quando in propositione subiectum est terminus concretus, appellatio est materialis, id est, prædicatum cadit supra materiale subiecti, saltem in rigore logico, vt dum dico: Homo fit albus, sensus est suppositum habens humanitatem recipere etiam albedinem: Propter hanc regulam ista propositio est falsa: Homo factus est Deus, quia facit hunc sensum: Suppositum habens humanitatem recepit diuinitatem, quod est falsum: Ista autem propositio est vera: Deus factus est homo; quia facit hunc sensum, suppositum habens diuinitatem, recepit etiam humanitatem, quod est verum.

Tertia regula est: Quòd numeralia primitiua nominibus substantiuis applicata, vt duo, tres, quatuor, &c. appellant tam formaliter, quàm materialiter; ideoque multiplicant & formam, & suppositum: Applicata verò nominibus adiectiuis appellant solùm materialiter; ideoque non multiplicant formam, sed suppositum; vnde ista propositio est falsa: Sunt tres Dij. Ista autem vera: Sunt tres Diuini. Quia tamen etiam nomen adiectiuum potest sumi substantiuè; ideò Athanasius dixit in symbolo, non esse tres omnipotentes, sumendo ly *Omnipotens*, quasi substantiuè; sicut sumebat Arius, dicendo tres esse habentes tres omnipotentias. Cæterùm, si nomen illud sumatur adiectiuè, possumus dicere tres esse omnipotentes, id est, tres Personas habentes omnipotentiam eamdem; sed de his ad Theologos.

Cæterùm vt istæ appellationum ambages faciliùs expediantur, reccurrendum est ad particulas reduplicantes; vt sunt, *quatenus*, *secundùm quod*, *reduplicatiuè*, *vt*: Vnde si quis quærat: an Christus sit æternus, dicendum est: esse æternum, quatenus est Deus, non quatenus homo. An album sit dulce, dicendum non esse dulce reduplicatiuè, vt album. An Medicus cantet, dicendum cantare non vt Medicus est, sed vt Musicus.

SECVNDA PARS. LOGICÆ MINORIS.

De Propositione.



POST simplicem rerum apprehensionem, sequitur iudicium, quo negamus, vel affirmamus vnum de alio. Vnde explicatis terminis, quibus res apprehensas exprimimus, agendum est de Propositione, per quam vnum de alio affirmamus, vel negamus. Circa illam tria quæruntur. 1. Quid sit; 2. Quotuplex sit; 3. Quas habeat Proprietates.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Propositio: vbi etiam de Oratione, Nomine, Verbo, & Signo.

PRopositio definitur, Oratio enuncians vnum de alio; vel Oratio suceptiua veri, & falsi. Vtraque definitio bona est: Assignat enim id, in quo propositio conuenit cum alijs instrumentis Logicis, & per quod differt. Propositio enim conuenit cum Definitione, Diuisione, & Argumentatione, in quantùm est Oratio; Differt autem ab illis, in quantùm est enuntiatiua vnius de alio, seu susceptiua veritatis, & falsitatis: Proprium enim Propositionis est enunciare quid nobis videatur, & suscipere verum, & falsum. Definitio enim, Diuisio, & Argumentatio non dicuntur veræ, aut falsæ, nisi quatenus includunt propositionem.

Prima definitio est essentialis; nam essentia propositionis est, quod enunciet vnum de alio: Secunda verò definitio est descriptiua, nam suscipere verum, aut falsum, est proprietas propositionis consequens ex hoc quod enunciet vnum de alio. Si enim res ita est sicut enunciatur, propositio dicitur vera; si verò res aliter sit quàm enuncietur, propositio erit falsa. Cùm autem propositio sit oratio ex Nominibus, & Verbis composita, quæ sunt signa rerum à nobis conceptarum.

Quæres primò quid sit Oratio, quid Nomen, quid Verbum?

Respondeo cum Aristotele, Orationem esse vocem signi-

significatiuam ad placitum, cuius partes separatæ significant iuxta significationem totius: Vt Deus est bonus; Homo est animal rationale; quælibet vox istarum Orationum separata significat iuxta significationem, quam habebat in toto.

Verbum autem est vox simplex significatiua cum tempore, vt *amo*, *amaui*, *amabo*, significant amorem meum in diuersis temporibus existentem, seu potiùs exercitium ipsum actus amoris, quod fit in tempore, & ab ipso mensuratur. Nomen verò est vox simplex significatiua sine tempore; vt *amor*, *virtus*, *Deus* significant res aliquas nullum tempus determinando.

Quæres secundò, quid sit significare, & quid Signum?

Respondeo. Signum definiri id, quod potentiæ cognoscitiuæ aliud à se repræsentat. Hæc verò repræsentatio dupliciter fieri potest; 1. per modum similitudinis formalis interiùs impressæ; vt dum video Petrum, similitudo Petri meæ pupillæ veluti nitidissimo speculo impressa, indeque ad imaginationem, & mentem transfusa, illum mihi repræsentat, quæ similitudo vocatur species intentionalis, de qua in libris de anima agetur. 2. Per modum cuiusdam indicationis, in quantùm vnum priùs cognitum nobis aliud indicat: vt fumus ignem, subitus pallor in vultu interiorem animi turbationem. Quæ primo modo repræsentant, dicuntur Signa Formalia, seu potiùs similitudines rerum; quæ verò secundo modo repræsentant, id est, per modum indicationis, dicuntur Signa Instrumentalia; Hoc secundo modo Signum definitur ab Augustino: *Id, quod præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud facit venire in cognitionem*, id est, quod priùs cognitum aliud indicat. Signum hoc modo sumptum diuiditur in Signum Naturale, & Signum ad placitum. Signum Naturale est, quod ex natura sua indicat aliud, vt oculi languidi significant animum deiectum, Matutinum crepusculum significat vicinum solem. Signum ad placitum est, quod aliquid indicat non ex natura sua, sed ex humano vsu, & institutione: Sic illa vox, *panis*, nihil ex se significat, sed ex hominum voluntate, & vsu destinata est ad indicandum quoddam compositum ex farina, & aqua: Sic hedera suspensa destinatur ad significandum vinum vendibile: Sic generaliter scripturæ, nomina, verba, orationes, &c. dicuntur significare ad placitum, id est, ex libera hominum institutione. Vt tamen paulò accuratiùs significatio vocum, & scripturarum explicetur.

APPENDIX.

De Vocum significatione, Idiomatum varietate, Pronuntiationum diversitate, & varijs scribendi Modis apud Nationes vsitatis.



STOICI, vt refert August. lib. dialect. putabant non purum hominum beneplacitū, sed affinitatē soni cum re significata, esse rationem significationis vocum. Nam *Mel*, etiā auribus dulciter sonat; *Voluptas*. blandè. *Crux*, asperè; &, *Asperitas*, pene aures exasperat; *Murmur*, cum profertur auditur; & nomen *Vepres*, tam auditum pungit, quam res ipsa tactum. *Hinnitus* Equorum, *Balatus* Ouium, *Tinnitus* Campanarum, *Stridor* Catenarum, *Sibilus* Serpentum, *Grunnitus* Porcorum, cum nominantur, exprimuntur. *Robur*, fortiter profertur; & *Vis*, non nisi vi, & conatu spiritus, ac vocis pronunciatur. Ab his igitur vocibus naturali affinitate res experimentibus, vt à primis fontibus, putabant Stoici fluxisse omnia vocabula; vel quadam similitudine, vt à cruce crura, quod eius lignum sua longitudine, duritia, & dispositione imitentur: vel participatione, vt à vi dicitur vinum, quòd det vires; vita, & viuere, quòd sit fons virium animalis; vincere, & vincere, quòd vtrumque per vim fiat: vel etiam contrapositione, vt lucus eò, quòd sit minimè lucidus, bellum minimè bellum, & mons minimè moueatur.

Cæterùm licèt in quibusdam vocibus id locum habere videatur, in plurimis tamen deficit; nam *amor*, *mens*, *ratio*, *vox*, *metus*, &c. quam affinitatem habent cum rebus significatis? imò idem sonus apud diuersas gentes rebus contrarijs aliquando imponitur, Vnde adæquata ratio significationis vocum est hominum institutio; quorum primus Adam rebus omnibus nomina imposuit, vt refertur Gen. 2., & hinc orta est lingua Hebræa, quæ vnica in mundo fuit, vsque ad fabricam turris Babel; in qua Deus linguas confudit, cuilibet familiæ suam propriam dialectum tribuendo; sicque factæ sunt septuaginta duæ matrices linguæ, quarum omnium vocabula sapiunt aliquam deriuationem, ab Hebræis, vt ostendit Afteldius in vocabulario quan-

quantùm ad Græcam, & Latinam. Ab his verò 72. per innumeras corruptiones, deriuationes, pronunciandi varietates, nouarum vocum inuentiones, reciprocas permixiones, fluxit ea idiomatum multitudo, quam in nationibus orbis admiramur.

Nec solùm quilibet populus, imò quælibet pene prouincia proprias voces, sed etiam propriam pronunciandi formam habet; quod prouenit non solùm ex educatione, & à patribus ad filios linguæ deriuatione; sed etiam ex ipso Cœli, ac soli genio; varia organorum dispositione, aeris temperie, imaginationis, & complexionis diuersitate. Hebræi, Caldæi, Arabes, & vt plurimùm Orientales, ex imo gutture vocem asperè trahunt, eò quòd fortè nimio harum regionum calore dissipatus, & effœtus spiritus, non sponte ac liberè erumpat; sed ex imo pectore sit eruendus; sicuti & in nobis nimia contentione, ac declamatione exhaustis fieri experimur. Germani, Poloni, & Septentrionales verba inter dentes frangunt, & atterunt, quasi externo harum regionum frigore spiritum intercludente, sicuti fit in nobis per hyemem frigore trementibus: Galli verò lingua, & labijs vocem expeditè, ac venustè formant, eò quòd, nec nimio calore dissipatus, nec nimio frigore interclusus spiritus liberè, ac facilè foras erumpat, solis organorum vocis extremitatibus sine labore formandus. Hinc etiam fit, vt vna gens ad alterius pronunciationem obstupescit, & hæret, non solùm ob oppositam consuetudinem nouitati repugnantem, sed etiam ob variam organorum dispositionem, quæ non minùs in diuersis populis diuersa est, quàm vultus lineamenta. Hispanorum gutturalis, quam ex Mauris hæreditasse videntur, & confertæ in vnam syllabam consonantes Polonorum, & Germanorum, Gallis asperrimæ videntur; econtrà verò, *v*, Gallicum pene omnium aliarum nationum scopulus est, sicut *Scibboleth* Ephratæorum, vt dicitur, Iud. 12.

Ratio autem cur homo vocibus vtatur est, quia cùm sit animal sociale, vt notat D.Th. 1. perier. l.2., & omnis societas communicatione perficiatur, necesse fuit, vt homo alteri conceptus suos, qui sunt bona, & fructus rationis, communicaret; quod cum fieri nequeat per directionem conceptum, vt in Angelis, sic i debuit per quædam signa sensibilia, inter quæ promptissima, facillima, & maximè variabilia sunt vocalia; vnde homines suos conceptus, & rerum notiones alligauerunt vocibus, vt alijs manifestarent. Rursus, vt notat

ibidem D. Th. si homo vteretur sola cognitione sensitiua, quæ respicit tantùm ad hic, & nunc, sufficeret sibi ad conuiuendum alijs vox significatiua, sicut & cæteris animalibus, quæ per quasdam voces, suas conceptiones alijs manifestant: sed quia homo vtitur etiam cognitione intellectiua, quæ abstrahit ab hic, & nunc, consequitur ipsum sollicitudo, non solùm de præsentibus secundùm locum, & tempus, sed etiam de his, quæ distant loco, & futura sunt: Vnde vt homo etiam his, qui distant loco, & futuri sunt tempore, conceptus suos manifestaret, necessarius fuit scripturæ vsus: nam vox quidem est quædam scriptura transiens, in molli aere figurata; sed scriptura est quædam vox fixa, & permanens, ad absentes, & posteros transmittenda. Vnde apud Barbaras, & rudes Americanorum Nationes, quæ pecudibus similes solùm curant de præsentibus, vix vllus est scripturæ vsus; sed scripturarum loco, rudes quasdam rerum, quas absentibus nuntiare solebant, imagines transmittere solebant Peruuiani, & alij Populi in America minùs Barbari.

Vt autem vocum, & pronunciationum ingens varietas, ita quoque scripturarum apud diuersas nationes, & si non tanta, magna tamen diuersitas existit. Duplex autem in genere inuenitur scribendi forma; vna per characteres symbolicos, quorum singuli singulas res significent, altera per literas sonos imitantes, ex quibus iunctis fiant rerum vocabula. Primum modum vsurpabant antiqui Aegyptij, per symbolicas figuras rem quamlibet repræsentantes, vt Deum per figuram solis, qui Dei statua est, vbertatem per Cornucopiam, &c. quos etiam imitantur nostri Astrologi repræsentantes signa Zodiaci per animalium figuras, aut saltem per quasdam illorum particulas, vt pingentes, pro Tauro, Cornua Tauri; pro Leone, caudam Leonis, &c. Et nunc Sinenses, ac Populi contermini ista scribendi forma vtuntur; nam apud eos nullum Alphabetum ad certum literarum numerum restrictum extat, sed cuilibet rei suum proprium characterem attribuunt; Sicque fit, vt isti characteres ad octoginta millia pertingunt, incredibile planè incommodum, non solùm externis hanc linguam addiscentibus; sed etiam ipsis Sinensibus, qui totam vitam in addiscendis his characteribus insumunt, & apud quos ille doctior habetur, qui plures nouit. Cæteræ Gentes communiter vtuntur secunda scribendi forma ex 24. aut ad summum 28. literis omnia vocabula componentes; minori labore, & vbe-

& vberiori fructu. Sed præterea differunt in modo exarandi scripturam, Orientales enim ducunt lineam à dextra ad sinistram, vt Chaldæi, Hebræi, Arabes, &c. Econtrà Latini, Græci, & alij ducunt lineas à sinistra ad dextram. Quinam potiori ratione, non satis in comperto est. Primis fauet antiquitas, & authoritas sacræ linguæ, & quòd simpliciter perfectum sit prius imperfecto; nam imperfecta perficiuntur ab aliquo præexistenti perfecto; dextrum autem est perfectum, sinistrum imperfectum. Posterioribus verò fauet commoditas; nam motus est facilior à sinistra ad dextram, & etiam ordo naturæ, quæ procedit ab imperfecto ad perfectum. Sinenses neutra hac via scribunt, sed lineam trahunt ab alto ad imum paginæ; fortè quia sic characteres, quibus vtuntur, faciliùs pinguntur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex sit Propositio.

PRopositio vniuersaliter sumpta diuiditur in Categoricam, seu simplicem, & Hypotheticam, seu compositam.

Propositio Categorica seu simplex est, quæ constat prædicato, & subiecto tanquam partibus, & verbo tanquam copula: Vnde licet integra propositio esset ex parte vnius extremi, si tamen vniatur cum alio extremo per modum, prædicati aut subiecti, propositio erit simplex: Cuiusmodi sunt istæ: Plato docuit sola æterna esse vera: Incertum est, an Salomon sit saluatus. Propositio verò Hypothetica, seu composita est, quæ constat duabus, vel pluribus simplicibus, aliqua particula coniunctis, vt si dicam: eodem tempore Romulus condidit Romam in Italia, quo Achabus regnabat in Iudæa: vel Pythagoras docuit animas migrare de corpore ad corpus, & non esse licitum vesci carnibus.

Propositio Composita est quintuplex. Conditionalis, Rationalis, Caussalis, Copulatiua, & Disiunctiua: Totidem enim sunt genera particularum vnientium. Propositio Conditionalis est quæ vnitur particula conditionali, *si*, v. g. Si Adam non peccasset, homo mortem non incurreret: Si Achilles non pugnasset, Troia capta non fuisset. Hæc propositio vera est, quoties vnum sequitur ex alio, licet neutrum sit verum absolutè, vt ista est vera: Si homo haberet alas, volaret.

Propositio Rationalis est, quæ vnitur per particulas Rationales, *ergo*, *igitur*. Vt si dicam: Petrus est iustus,

ergo est amicus Dei. Vt hæc propositio vera sit, oportet vt antecedens sit verum, & consequens ex eo legitime sequatur: Vnde ista est falsa, Petrus est philosophus; ergo currit; non enim sequitur: Similiter ista; equus est rationalis; ergo est quadrupes.

Propositio Caufalis est, quæ vnitur particula caufali *quia*, *eò quòd* &c. Vt Angeli sunt Beati, quia uident Deum. Vt ista propositio vera sit, non sufficit, quòd antecedens sit uerum, & consequens ex illo sequatur; sed præterea requiritur, vt antecedens sit causa consequentis: vnde istæ sunt falsæ: Homo est rationalis; quia est visibilis. Angeli vident Deum, quia sunt Beati.

Propositio Copulatiua est, quæ vnitur particulis copulatiuis, *&*, *atque* v. g. dum dico: Saturnus est frigidus, & Mars calidus. Vt ista propositio sit vera, oportet vtramque partem esse veram: Vnde illa est falsa; Petrus est rationalis, & Paulus irrationalis.

Disiunctiua tandem est, quæ vnitur particula disiunctiua, *vel*, *aut*; v. g. Omne corpus sublunare, uel est elementum; vel mixtum ex elementis. Ad illius veritatem sufficit alterutram esse veram, vt dum dico; Petrus vel est iustus, vel iniustus.

Pro varijs diuisionibus Propositionis Categoricæ, seu Simplicis, notandum est, quod sicut in composito naturali ita quoque in illis propositionibus quatuor sunt. Materia scilicet, forma, quantitas, & qualitas. Materia propositionis sunt termini secundum respectum, quem dicunt ad inuicem: Forma propositionis est enunciatio vnius termini de alio: Quantitas propositiones est extensio eius ad plura, vel pauciora: Qualitas tandem est id, quod sequitur ex enunciatione, scilicet veritas, & falsitas. Hoc supposito, iuxta hæc quatuor, quadruplex traditur propositionis diuisio.

1. Ratione materiæ diuiditur propositio in Necessarium, Contingentem, Possibilem, & Impossibilem. Propositio Necessaria est, in qua prædicatum necessario conuenit subiecto, ita vt ab illo remoueri non possit; vt dum dico: Deus est æternus: Creatura est defectibilis: Homo est rationalis. Propositio Contingens est, in qua prædicatum solùm accidentaliter conuenit subiecto, id est, ita conuenit, vt possit non conuenire, vt ista; homo est bonus: equus currit: Possibilis est, in qua licèt prædicatum non conueniat subiecto, potest tamen conuenire; vt dum dico, designando parietem nondum album; hic paries est albus. Impossibilis est, cuius prædicatum repugnat subiecto: ut

homo

homo est lapis: Angelus est corpus.

2. Diuiditur propositio ratione formæ in Negatiuam, & Affirmatiuam. Affirmatiua est, quæ enunciat vnum de alio; vt ista: Deus est amabilis. Negatiua est, quæ negat vnum ab alio, seu remouet prædicatum à subiecto, vt ista: Empyreum non est mobile. Vbi obiter notandum, quod propositio, in qua est particula negatiua, non tamen censetur negatiua, nisi talis particula cadat supra verbum: vt dum dico: Non homo est non ens: ego sum non determinatus; hæ propositiones non sunt negatiuæ, sed affirmatiuæ, quamuis sint de terminis infinitis, id est, particula negatiua affectis.

3. Ratione quantitatis diuiditur propositio in Vniuersalem, Particularem, Singularem, & Indefinitam. Vniuersalis est, quæ afficitur signo vniuersali, vt omnis peccator recedit à Deo. Particularis est, quæ afficitur signo particulari; vt quidam homo est albus. Singularis est, quæ vel afficitur signo singulari, vel est de nomine singulari: vt hic homo est iustus; Plato docuit Athenis. Propositio Indefinita est, quæ nullo afficitur signo, vt Homo est iustus.

4. Demum ratione qualitatis diuiditur in Veram, & Falsam. Propositio Vera est, quæ res enunciat, sicuti sunt. Propositio Falsa est, quæ res enunciat aliter, ac sint; vnde Aristoteles dicit: *Ex eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Hæ sunt celebriores propositionis diuisiones. Sed præter istas adhuc propositio diuiditur in Modalem, & Absolutam: Exponibilē, & Exponentem; de quibus agetur sequenti paragrapho.

PARAGRAPHVS VNICVS.

De Propositione Modali, & Exponibili.

Propositio igitur præterea diuiditur in Absolutam, & Modalem. Propositio Absoluta est, quæ simpliciter enunciat vnum de alio, vt dum dico: Sol est præstantissimus planetarum: Homo est rationalis. Hæc propositio vocatur etiam *de inesse*, eò quòd precisè dicat prædicatum inesse subiecto, vel non inesse. Propositio Modalis est, quæ præterea exprimit modum, quo prædicatum conuenit subiecto, vtrum necessariò, vel contingenter, possibiliter, vel impossibiliter; vnde quadruplex est iuxta quatuor præfatos modos; vt dum dico: Deus est necessariò æternus: Homo est contingenter bonus: Peccator est possibiliter iustus: Angelus est impossibiliter lapis. Isti autem modi possunt

exprimi dupliciter; nominaliter scilicet, vel aduerbialiter; vt dum dico: Petrus est contingenter albus, modus exprimitur aduerbialiter. Si verò dicam: Petrum esse album est contingens, modus exprimitur nominaliter. Propositio modalis, in qua modus exprimitur nominaliter, solet vocari propositio composita modalis; vt ista: Parietem nigrum esse album est possibile: Si verò modus exprimatur aduerbialiter, talis propositio dicitur Modalis Diuisa: vt dum dico: Paries niger est possibiliter albus. Ratio huius nuncupationis est, eò quòd prima faciat sensum compositum; id est vniat prædicatum cum materiali subiecti, retinendo etiam formale: At verò secunda facit sensum diuisum, id est, vnit prædicatum cum materiali subiecti, secluso formali; vnde, cùm dico: Album est possibiliter nigrum; sensus est, quòd subiectum albedinis, seclusa albedine, possit recipere nigredinem: At verò, dum dico: Album esse nigrum est possibile; sensus est, subiectum, quod habet albedinem, potest simul recipere nigredinem, retenta albedine. Cæterùm licèt res ita se habeat in rigore logico; attamen, claritatis gratia, istæ propositiones distinguendæ sunt; & dum dicitur: album est possibiliter nigrum, vel possibile est album esse nigrum, distinguendum est; in sensu composito, id est, componendo albedinem cum nigredine, nego; in sensu diuiso, id est, seclusa albedine, concedo. Sed de istis in decursu Philosophiæ adhuc redibit sermo, sufficiat solum hæc indicasse.

Propositio præterea diuiditur in Exponentem, & Exponibilem. Propositio exponibilis est, quæ propter aliquam dictionem sensum reddit obscurum, ideoque indiget explicari per aliam clariorem, quæ ideo vocatur Exponens. Propositiones autem illæ Exponibiles sunt præcipuè tres: Exclusiua, Exceptiua, & Reduplicatiua.

Propositio Exclusiua est, quæ afficitur particula excludente; vt sunt: *duntaxat, tantùm, solùm*; vt homo tantùm est rationalis; quæ propositio sic exponitur: Homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale. Hæc verò particula exclusiua potest se tenere, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati; quando se tenet ex parte subiecti, excludit omnia alia subiecta, vt dum dico: Solùm Deus est æternus; sensus est, Deum esse æternum, & nullum aliud subiectum præter ipsum habere æternitatem. Quando verò particula se tenet ex parte prædicati, excludit omnia alia prædicata à subiecto; vt dum dico; homo est tantùm

animal rationale; sensus est, quod homo est animal rationale, & nihil ampliùs.

Propositio Exceptiua est, quæ afficitur particulis exceptiuis, *præter*, *extra*, &c. Vt omnis terræ plaga nunc nobis nota est, præter Australem: quæ Propositio sic exponitur; Omnes aliæ regiones Terræ nobis notæ sunt, & sola regi Australis nondum nobis nota est.

Propositio reduplicatiua est, quæ afficitur particulis reduplicantibus, quales sunt; *inquantùm*, *quatenùs*, *formaliter vt*, *secundùm quòd*, *reduplicatiuè vt*. Hæc autem propositio dicitur reduplicatiua, eò quòd subiectum quasi reduplicetur, vt dum dicu: Homo, inquantùm homo, est rationalis; hæc autem sic exponitur: Ratio, cur homo sit rationalis, est, quia est homo. Hæc omnia facilia sunt; solùm notandum est, hanc distinctionem in scientijs frequentem esse; *reduplicatiuè*, & *specificatiuè*: Prædicatum conuenit subiecto *reduplicatiuè*, quando ipsum subiectum est ratio formalis, cur prædicatum conueniat; si verò ipsum subiectum non sit ratio formalis, cur prædicatum conueniat, sed solùm ipsum recipiat, dicitur conuenire solùm *specificatiuè*. Res exemplo clara fiet; dùm dicitur: Æthiops est niger inquantùm homo, distinguendum est; *reduplicatiuè*; ita vt ratio, cur sit niger, sit quia est homo: negandum; aliàs omnis homo esset niger: specificatiuè, ita vt ille, qui est homo, sit etiam niger, concedendum est.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Proprietatibus Propositionis.

TRes sunt proprietates propositionis, Oppositio, Conuersio, & Æquipollentia.

Oppositio definitur: affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; seu repugnantia inter duas propositiones eodem prædicato, & subiecto constantes. Vnde duæ conditiones requiruntur ad oppositionem. Prima, vt vtraque propositio sit eiusdem prædicati, & eiusdem subiecti; minima enim variatio prædicati, vel subiecti tollit contradictionem. Defectu istius primæ conditionis, illæ propositiones non sunt oppositæ: Omnis homo non est necessariò albus: aliquis homo est contingenter albus; vel illæ: aliquis homo ægrotat hodie; nullus homo ægrot bit cras. Secunda conditio est, vt vna propositio sit affirmatiua, & altera negatiua: Vnde istæ non opponuntur propriè. Omnis homo est iustus, aliquis homo est iustus. C 6 Op-

Oppositio est triplex, Contradictoria, Contraria, & Subcontraria.

Oppositio Contradictoria est repugnantia inter duas propositiones, quarum vna est vniuersalis, & altera particularis, vel vtraque singularis; vna affirmatiua, & altera negatiua, vt Omnis homo disputat, aliquis homo non disputat: Petrus est iustus, Petrus non est iustus.

Regula pro his contradictorijs est, quòd nunquam possunt esse simul veræ, aut simul falsæ; alias idem esset, & non esset, quod est impossibile.

Oppositio contraria est repugnantia inter duas propositiones vniuersales; quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus.

Regula pro contrarijs est, quòd nunquam possunt esse simul veræ, bene tamen simul falsæ.

Ratio istius regulæ est; quia si duæ vniuersales essent simul veræ, propositio quoque particularis contenta sub quolibet illarum esset vera, quæ cùm sit contradictoria alterius contrariæ, sequeretur duas contradictorias esse simul veras; vt verbi gratia, si istæ sunt veræ: Omnis homo currit, nullus homo currit, ista etiam erit vera: Aliquis homo non currit, quæ cùm sit contradictoria istius: Omnis homo currit, duæ contradictoriæ erunt veræ. Attamen possunt esse simul falsæ, vt patet in istis: Omnis homo est albus, Nullus homo est albus. Cum enim ex contrarijs vna affirmet prædicatum conuenire omni subiecto; altera verò dicat prædicatum nulli subiecto conuenire, fieri potest, vt prædicatum conueniat tantùm alicui subiecto, & tunc vtraque vniuersalis erit falsa.

Oppositio subcontraria est repugnantia inter duas propositiones particulares, quarum vna affirmat, & altera negat, vt aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus.

Regula pro istis est, quòd nunquam possunt esse simul falsæ, benè tamen simul veræ, vt patet in istis: Quidam homo est iustus; quidam homo non est iustus; vtrumque enim verum est. Ratio istius regulæ est, quia si duæ subcontrariæ essent simul falsæ, earum contradictoriæ essent simul veræ; quæ cùm sint contrariæ, darentur duæ contrariæ simul veræ; quod ostensum est supra esse impossibile.

Quidam addunt quartum genus oppositionis, quam vocant subalternam, & est inter duas affirmatiuas, aut

duas negatiuas, quarum vna est vniuersalis, & alia particularis, vt Omnis homo loquitur, aliquis homo loquitur; sed ista non est propriè oppositio, quia non est secundùm affirmationem, & negationem.

Æquipollentia est, vt vox ipsa indicat, eadem vis, idemque sensus duarum propositionum ex æquiualentia signorum proueniens. Vnde sicut quælibet propositio habet aliquam sibi oppositam, ita & æquipollentem: si enim addatur particula negatiua, propositio fit æquiualens suæ oppositæ; Vt ista: Omnis homo est iustus, si addam particulam negatiuam *(Non)* dicendo: Non omnis homo est iustus; fiet æquipollens suæ contradictoriæ: Aliquis homo non est iustus. Pro eiusmodi æquipollentijs traduntur tres Regulæ.

Prima Regula est: Propositio contradictoria, si ei præponatur negatio redditur æquiualens suæ contradictoriæ, vt Non aliquis homo est iustus; idem est, ac nullus homo est iustus.

Secunda Regula est: Propositio contraria, si ei postponatur negatio redditur æquiualens suæ contrariæ, vt Nullus homo disputat; si postponas particulam negatiuam, dicendo: Nullus homo non disputat, æquiualebit isti: Omnis homo disputat.

Tertia Regula est: Propositio subalterna, si ei præponas, & postponas particulam negatiuam, æquiualebit alteri subalternæ, vt istæ: Aliquis homo disputat; si adiungatur antè, & pòst negatio dicendo: Non aliquis homo non disputat, æquiualebit isti: Omnis homo disputat.

Ratio istarum regularum est, quòd particula negatiua destruit id, quod post se reperit; Vnde quandò præponitur propositioni vniuersali affirmatiuæ, destruit eius vniuersalitatem, & affirmationem, redditque illam particularem negatiuam: quando vero postponitur signo vniuersali, tunc relinquit ipsum in sua vniuersalitate, & solùm destruit affirmationem. Istæ autem regulæ, vt faciliùs memoria teneantur, hoc versiculo conclusæ sunt:

Præ, contradic: post, contra: præ, postque subalter: id est, Si vis reddere propositiones æquipollentes; negationem præpone contradictorijs, postpone contrarijs, præpone, & postpone subalternis.



PARAGRAPHVS VNICVS.

De Tertia Propositionis Proprietate scilicet conuersione.

Conuersio est tertia propositionis proprietas, definitur autem: Inuersio Propositionis, ita vt, retenta veritate, ex prædicato fiat subiectum, & ex subiecto prædicatum, v: Aliquis homo est niger: Aliquod nigrum est homo. Propositiones autem conuertendæ possunt esse in quadruplici differentia. Nam aliquæ sunt vniuersales affirmatiuæ, vt Omnis homo est iustus: quædam sunt vniuersales negatiuæ, vt nullus homo est iustus: quædam sunt particulares affirmatiuæ, vt aliquis homo est iustus; quædam particulares negatiuæ, vt aliquis homo non est iustus. Quælibet suo modo conuertitur: Vnde,

Triplex est Conuersio, scilicet Simplex, per Accidens, & per Contrapositionem. Conuersio Simplex est Mutatio prædicati in subiectum seruata eadem quantitate, id est, vniuersalitate, aut particularitate, vt Aliquis homo est iustus; Aliquis iustus est homo. Conuersio per Accidens est Mutatio prædicati in subiectum variatâ quantitate, ita vt ex vniuersali propositio fiat particularis, vt Omnis homo est animal; aliquod animal est homo. Conuersio per Contrapositionem est Mutatio prædicati in subiectum mutatis terminis finitis in infinitos (Terminus autem infinitus est, qui afficitur particula negatiua, vt non homo, non lapis.) Exemplum istius conuersionis est: Omnis homo est animal; Omne non animal est non homo.

Regulæ pro conuersionibus sunt tres. 1. est: Propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua conuertuntur simpliciter, vt Nullus homo est Angelus: Nullus Angelus est homo. Aliquis homo est iustus: Aliquis iustus est homo.

2. Regula est: Propositio vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens: vt Omnis homo est animal; Aliquod animal est homo. Vniuersalis negatiua potest etiam isto modo conuerti, vt Nullus homo est lapis. Aliquis lapis non est homo.

3. Regula est: Particularis negatiua conuertitur per contrapositionem; vt Aliquis homo non est iustus: Aliquis non iustus, non est, non homo. Vniuersalis affirmatiua etiam isto modo conuerti potest, vt omnis homo est animal, omne non animal est non homo.

Cæte-

Cæterùm vt istæ Regulæ faciliùs memoria teneantur, omnes comprehenduntur duobus versiculis.

FECI, *simpliciter conuertitur*, EVA, *per accid.*

ASTO, *per contrap. sic fit conuersio tota*.

In his versiculis, Nota quatuor vocales istarum trium vocum *FECI*, *EVA*, *ASTO*. Nam per, *E*, significatur propositio vniuersalis negatiua: per, *I*, significatur particularis affirmatiua: per, *A*, significatur vniuersalis affirmatiua: per, *O*, significatur particularis negatiua, iuxta istos versus.

Asserit, A, *negat*, E, *verùm Generaliter ambo*:


Asserit, I, *negat*, O, *sed Particulariter ambo*.

Sensus ergo priorum carminum est, quod vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, quæ designantur per, *E*, &, *I*, in voce, *FECI*, conuertuntur simpliciter. At verò vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua, designatæ per, E, & *A*, in voce, *EVA*, conuertuntur per accidens; Demùm vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua designatæ per, *A*, & *O*, in voce, *ASTO*, conuertuntur per contrapositionem.

Circa Modales, licèt quidam varias, & intricatissimas regulas fusè tradant; secutus tamen expeditiorem viam, dico: quòd si sint diuisæ, id est, si modus exprimatur aduerbialiter, vt in ista, homo contingenter est albus, eodem modo loquendùm est de illis, ac de absolutis: Si verò sint compositæ, id est, modus exprimatur nominaliter, vt in ista, contingens est hominem esse album: In primis conuersio non habet in eis locum; quia modus, qui se tenet ex parte prædicati, nullatenus debet variari: Ex oppositionibus verò sola contradictoria in eis reperitur, quia omnes iste propositiones sunt quasi singulares: dum enim dico; necessarium est, omnem hominem esse rationalem, idem est, ac si dicerem: Hæc propositio; homo est rationalis, est necessariò vera. In singularibus autem propositionibus sola oppositio contradictoria reperitur.

Cæterùm præterea posset in illis attendi alia oppositio proueniens ex modis, quam D Th. explicat opus. 40. nam *necessarium* habet similitudinem cum signo vniuersali affirmatiuæ, quia, quod necessarium est, semper est. *Impossibile*, cum signo vniuersali negatiuo; quod enim est impossibile, nunquam est. *Possibile* verò,

& *contingens*, cum signo particolari; nam quod contingens, & possibile, aliquando est, & aliquando non est. Vnde *necesse est esse*, & *Impossibile est esse*, sunt contraria. *Possibile est esse*, & *possibile est non esse*, sunt subcontraria. *Necesse est esse*, & *possibile est esse*, sunt subalterna, sicut, *Impossibile est esse*, *Possibile est non esse*, at verò. *Necessarium est esse*, & *possibile est non esse*: *impossibile est esse*, & *possibile est esse* sunt contradictoria. Vnde si apponatur illis particula negatina, iuxta prædictas regulas, poterunt reddi inuicem æquipollentia.



PARS TERTIA.

LOGICÆ MINORIS.

De Argumentatione.



TERTIA mentis operatio est Discursus, quo vnum ex alio inferimus; vnde agendum est in hac tertia parte de Argumentatione, per quam vnum ex alio deducimus: sed quia Syllogismus est nobilissima species Argumentationis; ideo præcipuè in eo explicando hæc Pars occupabitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex sit Argumentatio in communi & quæ sint eius Regulæ?

ARgumentatio, vt sæpiùs insinuaui, est Oratio, in qua vnum ex alio infertur. Veritates enim, sicuti & res, sunt inuicem connexæ; vnde, vna data, sequitur alia: vt dato, quòd aliquid respiret, sequitur habere pulmones; dato, quod sol luceat, sequitur dies. Illa igitur oratio, in qua vna veritas infertur ex alia, est argumentatio: & quidem si talis illatio fiat per particulam, *si*, erit argumentatio conditionalis, vt ista, quam facit Christus: si feceritis ea, quæ præcipio vobis, amici mei eritis, & ista: Si luna immediatè supponitur soli, est eclipsis. Si autem illatio fiat per particulam, *Quia*, erit causalis, vt ista: Deus est summè amabilis, quia est summè bonus. Si verò illatio fiat per particulam, *ergo*, erit argumentatio rationalis, quæ est om-

omnium præcipua, & de qua solùm hic agemus, quia cæteræ ad illam reducuntur.

Argumentationis rationalis quatuor sunt species, scilicet inductio, exemplum, syllogismus, & enthymema.

Inductio est oratio, in qua ex particularibus sufficienter enumeratis concluditur vniuersale: velècontrà; ex vniuersali particularia deducimus; vt Alexander magnus vicit ad Granicum, ad Issum, ad Miletum, ad Arbellam, &c. ergo semper victor extitit: autècontrà, Alexander Magnus semper victor extitit, ergo vicit ad Granicum, ad Arbellam, &c. prosequendo loca particularia, in quibus cum hoste pugnauit.

Exemplum est oratio, in qua ex vno, aut altero simili, simile deducimus; vt vinum, & ebrietas perdiderunt Alexandrum, ergo & te perdent, si ipsis indulgeas. Amor prophanus seduxit Dauidem, & Salomonem quantumuis sapientes; ergo seducet Petrum, si ipsi implicet. Hoc genus argumenti vrget præcipuè in moralibus; nam exempla trahunt; ideoque Christus sæpe argumentatur ab exemplo, vt Matth. 6. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt; neque congregant in horrea; & pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* & cap. 10. vt probet nihil esse ab humanis euentibus timendum: quia Dei prouidentia curat, & disponit omnia quæ fiunt circa nos: *Nonne*, inquit, *duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.*

Syllogismus est argumentatio in qua duo termini vniuntur inter se in conclusione, eò quòd in præmissis legitimè vniti fuerint cum vno tertio; vt bonum est amandum: sed virtus est bona: ergo virtus est amanda. *Virtus*, & *Amanda* vniuntur in conclusione, eò quòd vnita fuerint cum vno *tertio*, scilicet cùm *Bono*, iuxtà illud axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Aliam definitionem tradidit Aristoteles, dicendo; Syllogismus est Oratio, in qua quibusdam positis necessarium est aliud euenire, eò quòd hæc posita sint: id est, datis præmissis, necesse est conclusionem esse veram. Sed in idem redit hæc definitio cum nostra.

Enthymema est syllogismus truncatus; fit enim, quando altera præmissarum reticetur, aut subintelligitur breuitatis gratia, vt: Peccatum Deo displicet, ergo est fugiendum, maior, scilicet omne, quod displicet

plicet, Deo est fugiendum, subintelligitur tanquam certa; vnde enthymema non differt à syllogismo, nisi tanquam imperfectum à perfecto.

Pro argumentatione in communi dantur tres regulæ. Prima est, quòd ex vero nunquam sequitur falsum; siquidem, vt ait Aristoteles, vero non potest connecti, nisi verum; & ideo nec ex vero potest sequi, nisi verum: vnde quidquid legitimè infertur ex vero est etiam verum.

2. Regula est: Ex falso non potest per se sequi verum, bene tamen per accidens. Ratio primæ partis est, quia falsum non potest esse causa veri; falsum enim non est, & ideò non potest causare veritatem. Ratio autem secundæ partis est, quia id, quod sequitur ex falso; licèt non sit verum propter ipsum falsum, aliunde tamen poterit esse verum; vt omnis lapis est animal: sed homo est lapis; ergo homo est animal, consequens est verum, & tamen præmissæ sunt falsæ. Subtilior vtriusque regulæ ratio reddi potest, præcipuè pro syllogismo; quia, quæ sunt eadem vni tertio, necesse est, vt sint eadem inter se; vnde si duæ præmissæ sint veræ, consequens necessariò erit verum, & nunquam falsum: Attamen ea, quæ sunt eadem inter se, non debent esse eadem cum omni tertio; vnde licèt falsum sit, duo extrema conclusionis esse eadem cuidam vni tertio, poterunt tamen esse eadem inter se.

3. Regula est: quòd conclusio sequitur semper debiliorem partem; ita vt, si altera præmissarum sit particularis, conclusio erit particularis; si altera præmissarum sit negatiua, conclusio erit negatiua; siquidem duæ præmissæ sunt sicut, duæ causæ subordinatæ conclusionis: effectus autem sequitur semper debiliorem causam; quia causa fortior temperatur per debiliorem. Immediatior ratio huius regulę reddi potest, quia extrema eo modo vniuntur inter se in conclusione, quo fuerunt vnita in præmissis cum medio; ergo si vnum fuerit negatum de medio, & aliud affirmatum, non possunt affirmari inter se; ac proinde ex præmissis, quarum vna est negatiua, non potest sequi propositio affirmatiua: Et similiter, si vnum fuerit solum particulariter vnitum medio, non potest vniri vniuersaliter alteri; & proinde si vna præmissarum sit solùm particularis, conclusio non potest esse vniuersalis. Hæc de argumentatione in communi sufficiant; reliquos articulos in explicando syllogismo, argumentationum præstantissimo impendemus.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

De natura Syllogismi.

CIrca Syllogismum tria de more quærimus; 1. Quid sit: 2. Quotuplex sit; 3. Quas habeat Proprietates. Quid sit Syllogismus iam satis constat. Definitur enim argumentatio, in qua infertur vnio duorum terminorum inter se, eò quòd vnita fuerint cum vno tertio. Vt tamen accuratiùs adhuc explicetur; duo in Syllogismo, sicut & in alio composito distinguenda sunt, materia scilicet, & forma.

Materia syllogismi concipienda est, vt in aliis artefactis, quæ fiunt pluribus compositionibus, v. g. in domo; vnde sicut in domo duplex est materia, alia remotior, vt sunt lapides; alia propinquior, vt sunt parietes (ex lapidibus enim fiunt parietes, & ex parietibus domus:) Ita quoque, & in syllogismo duplex est materia, remota scilicet, & proxima. Materia remota syllogismi sunt ipsi termini. Materia proxima sunt propositiones; ex terminis enim fiunt propositiones, & ex propositionibus syllogismi. Pro vtraque materia syllogismi datur regula generalis, vt scilicet non sint nisi tres termini, & tres propositiones ex illis terminis complicatis efformatæ. Ratio huius regulæ est; quia omnis ars syllogistica in eo consistit, quòd duo termini vniantur inter se in conclusione, quia priùs fuerunt vniti cum tertio termino in præmissis; ergo solùm debent esse tres termini, & tres propositiones, in quarum prima vnus terminus vniatur cum medio; in secunda alter vniatur cum eodem medio, seu tertio termino; & in tertia duo illi termini vniantur inter se. Horum autem terminorum vocabula hæc sunt, Prædicatum conclusionis dicitur *Maius extremum*; eò quòd prædicatum sit latiùs patens, quàm subiectum; subiectū conclusionis dicitur *Minus extremum*; propter rationem oppositam. Terminus verò, cum quo vniuntur in præmissis dicitur *Medium*, quia est veluti vinculum vtriusque extremi. Prima propositio in qua *Maius extremum* vnitur cum *Medio*, vocatur *Maior*; Secunda propositio in qua *Minus extremum* vnitur cum eodem *Medio*, dicitur *Minor*, & tandem tertia, quæ vnit inter se duo *Extrema*, dicitur *Conclusio*. Res exemplo clarior fiet. Probandum mihi est, *Deum esse amandum*: vt vniam ista duo extrema, *Deus*, & *Amandus*; quæro tertium aliquem terminum,

cum

cum quo vniri possint,& reperio, *Bonum*: sic igitur complico istos tres terminos. Omne *Bonum* est *amandum*: *Deus* est *bonus*; ergo *Deus* est *amandus*. *Amandus*, est *Maius extremum*, *Deus* est *Minus extremum*; *Bonum*, est *medium*. Prima propositio in qua vnitur, *Amandum*, cum *Bono*, dicitur *Maior*. Secunda, in qua vnitur *Deus*, cum *Bono*, est *Minor*. Tertia demum, in qua *Deus*, &, *Amandus* vniuntur, est *Conclusio*. Vbi etiam vides quemlibet terminum bis tantùm repeti: *Extrema* quidem semel in altera præmissarum, & semel in conclusione: *Medium* verò semel in vtraque præmissa, & nunquam in conclusione. Forma syllogismi est dispositio materiæ præfatæ tum remotioris, tum proximæ. Vnde duplex est, terminorum scilicet, & propositionum. Dispositio terminorum attenditur penes combinationem medij cum extremis in prædicando, & subijciendo, & illa dispositio vocatur *Figura syllogistica*: Dispositio verò propositionum attenditur iuxta combinationem illarum, secundùm vniuersalitatem, & particularitatem, affirmationem, & negationem. Et hæc dispositio dicitur *Modus syllogisticus*. Cùm autem vtraque combinatio variè fieri possit, varij surgunt modi, variæque figuræ syllogismorum; de quibus speciali articulo est agendum.

ARTICVLVS TERTIVS.

De varijs Figuris; & Modis Syllogismorum.

Figura Syllogistica igitur est Dispositio *Extremorum* cum *Medio* secundum prædicationem,& subiectionem: vnde cùm triplex sit possibilis talis combinatio extremorum cum medio, triplex quoque figura erit possibilis. Prima, in quo *Medium subijcitur* in altera præmissarum, & in alia *prædicatur*; Secunda in qua *Medium prædicatur* in vtràque præmissarum. Tertia, in qua *Medium* in vtràque *subijcitur*. Galenus addidit quartum, in qua *Medium prædicaretur* in maiori, & *subijceretur* in minori: Sed illa figura est inutilis; quia vel non concludit, vel si concludat, reducitur ad primam, cuius est quædam subuersio, in quantùm maior ponitur loco minoris; vnde communiter ab Auctoribus reijcitur; ideoque, illa explosa, tres alias isto versiculo comprehendimus:

Sub. præ. Prima; sed altera bis præ; Tertia bis sub.

Exemplum primæ figuræ est: *Omne bonum est amabile*

bile: Sed *Virtus est bona*; Ergo *Virtus est amabilis*. Vides enim ly, *bonum*, quod est *Medium* syllogismi, *subijci* in maiori; & *prædicari* in minori.

Exemplum secundæ figuræ est: *Omne bonum est Deo gratum*: Sed *Auaritia non est Deo grata*; Ergo *Auaritia non est bona*. *Deo gratum*, est *Medium*, quod *prædicatur* tàm in maiori, quàm in minori.

Exemplum tertiæ figuræ est: *Omnis homo est animal*: Sed *omnis homo est rationalis*; Ergo *aliquod animal est rationale*. Vbi etiam vides ly, *homo* qui est *Medium*, *subijci* tàm in maiori, quàm in minori.

Modus Syllogisticus, vt iam diximus, est Dispositio propositionum præmissarum secundùm vniuersalitatem, & particularitatem, affirmationem, & negationem. Vnde cùm sint quatuor genera propositionum, scilicet *affirmatiua vniuersalis*, *negatiua vniuersalis*, *affirmatiua particularis*, & *negatiua particularis*, quæ designantur à Logicis per quatuor vocales *a, e, i, o*; Sexdecim modi sub qualibet figura sunt possibiles; Nam, eadem manente dispositione medij cum extremis, sexdecim combinationes istarum propositionum fieri possunt, vt patet in istis quatuor literis, quæ sexdecim modis possunt combinari. Attamen non omnes isti modi sunt vtiles; sed solùm aliqui; vnde, vt vtiles ab inutilibus discernas, exactè obseruandæ sunt quatuor istæ Regulæ, quas si Syllogismus seruet, vtilis est, & concludit; si contra aliquam peccet inutilis erit, & non concludet. Vnde semper præ oculis sunt habendæ.

1. Regula est; vt *in Syllogismo sint tantum tres termini*, scilicet: *Maius extremum*, *Minus extremum*, & *Medium*. Ratio regulæ est, quia, vt diximus, in hoc essentialiter consistit Syllogismus. Sint, inquam, tres non solùm quantùm ad voces, sed etiam quantùm ad sensum, remota scilicet, omni æquiuocatione, seruata legitima suppositione, ampliatione, restrinctione, appellatione, &c. Nec intrudatur aliquid in conclusione, quod non fuerit in præmissis: Vnde isti Syllogismi peccant; *Homo est species*; Sed *Petrus est homo*; ergo *Petrus est species*; variatur enim suppositio. *Omnis canis latrat*: Sed *sydus est canis*; ergo *sydus latrat*; æquiuocat enim. *Omne animal est sensitiuum*: Sed *leo est animal*; Ergo *leo mortuus est sensitiuus*; intruditur enim ly, *Mortuus*, in conclusione, cùm non fuerit in præmissis.

2. Regula est: *Medium in aliqua præmissarum debet supponere distributiuè*; vnde ex particularibus, vel indistri-

distributis nihil concluditur. Ratio regulæ est; quia terminus vniuersalis supponens disiunctiuè diuiditur veluti in diuersas portiones, ac proinde fit quodammodo multiplex, nec manet formaliter vnus; quod tamen requiritur ad artem syllogysticam: Vnde non valet: *Aliquis homo est albus: sed aliquod album est lac;* ergo *aliquis homo est lac*: vel, *Petrus est substantia: Sed arbor est substantia:* ergo *Petrus est arbor*. Nam *album* & *substantia* supponunt solùm disiunctiuè in præmissis.

Cæterùm obseruandum est circa hanc regulam, quòd quia terminus singularis non diuiditur in plures partes, sed est perfectè vnus, ideo potest esse medium aptum ad bene concludendum, & quantùm ad hoc æquiualet termino vniuersali distributo; sic optimè concluditur. *D. Petrus fuit peccator:* Sed *D. Petrus est saluatus:* Ergo *aliquis saluatus fuit peccator*. Isti Syllogismi, quorum *medium* est *terminus singularis* vocantur expositorij, vbi tamen aduertendum est, terminum ita debere esse *singularem*, vt sit prorsus incommunicabilis pluribus; si enim pluribus communicetur, ex hoc sortitur quandam amplitudinem æquiualentem vniuersalitati. Vnde non concludit, nisi supponat distributiuè; ideoque non valet. *Pater est Deus: Filius est Deus;* Ergo *Pater est filius*. Quia *Deus* est communicabilis pluribus.

3. Regula est: vt *nullus terminus distribuatur in conclusione, qui non fuerit distributus in præmissis*. Ratio regulæ est, quia *extrema* eodem modo vniuntur inter se, quo fuerunt vnita cum *vno tertio*: Vnde si sint vnita solùm disiunctiuè, non possunt vniri inter se distributiuè. Vnde non valet; *Omnis homo est substantia:* sed *omnis homo est animal*; ergo *omnis substantia est animal:* Nam *substantia* supponit in conclusione distributiuè, & in præmissis solùm disiunctiuè.

4. Demum Regula est: *Ex puris negatiuis nihil sequitur*. Ratio regulæ est, quia ex eo quòd duo non vniantur cum aliquo tertio, non sequitur, ea non vniri inter se. Vnde non valet: *Nullus homo est lapis:* sed *nullum animal est lapis;* ergo *nullum animal est homo*. Ex his quatuor regulis possunt indicari omnes Syllogismi; & quamuis aliæ quatuor tradi soleant pro qualibet Figura in particulari, attamen reducuntur ad istas; vnde sufficere possunt ad discernendos modos vtiles ab inutilibus in Tabula omnium modorum possibilium sub finem huius partis apponenda. Boni enim sunt, qui seruant has regulas; mali verò, qui peccant contra aliquam.

Vnde in primis: Ex sedecim cuiuslibet figuræ expungendi sunt *octo*, quatuor *puri negatiui*, & quatuor *puri particulares*. Deinde ex prima figura expungi debent omnes *directè concludentes*, qui habent *maiorem particularem*, aut *minorem negatiuam*: quia *Medium*, quod subijcitur in maiori, *non distribuitur*, si maior est particularis: & si minor est negatiua, *Maius extremum* in conclusione *distribuitur*; cum tamen *non fuerit distributum* in maiori; nam in illa tenet locum prædicati, quod non distribuitur in propositione affirmatiua.

Ex secunda figura excluduntur *omnes Modi, qui constant duabus affirmatiuis*; quia *Medium non distribuunt*; siquidem medium est in vtraque præmissarum prædicatum; propositio autem affirmatiua non distribuit prædicatum: Aut ex maiori particulari; quia *Maius extremum* distribuunt in conclusione, & non in præmissis. Siquidem *Maius extremum* est prædicatum in conclusione; omnis autem propositio negatiua distribuit prædicatum, vt supra dictum est 1 p.a.3.§.1.reg.4.

Ex tertia figura excluduntur omnes modi, in quibus minor est negatiua; nam maius extremum distribuunt in conclusione, quod non est distributum in præmissis. Conclusio enim tunc erit negatiua, & maior affirmatiua. Prima distribuit prædicatum, secunda non distribuit. Propter regulam mox citatam. Cùm ergo maius extremum sit prædicatum vtriusque, distribuitur in vna, & non distribuitur in altera.

His igitur omnibus reiectis, remanent solùm nouemdecim modi vtiles; Nouem pro prima figura; quatuor pro secunda; & sex pro tertia: qui modi, vt faciliùs memoria teneri possint, quatuor his versibus comprehenduntur;

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Barocco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In his versibus solùm habenda est ratio trium primarum syllabarum, in quibus vocales, *a, e, i, o,* significant combinationem propositionum particularium, aut vniuersalium; negatiuarum, vel affirmatiuarum. Quatuor primæ voces designant quatuor modos directos primæ figuræ, qui sunt omnium perfectissimi; quinque sequentes voces designant quinque modos indirectos primæ figuræ, qui oriuntur ex quatuor primis, inuertendo solùm conclusionem. Excipitur *Fapesmo*, qui non oritur ex alijs, sed ex combinatione vniuersalis

affirmatiuæ, & vniuersalis negatiuæ, quæ combinatio directè quidem nihil concludit, indirectè tamen, conuertendo conclusionem vniuersalem in particularem, potest concludere. Quatuor voces tertij versus denotant quatuor. modos vtiles in secunda figura reliquæ sex, designant sex modos vtiles in tertia figura. Horum omnium exempla subijciet tabula modorum omnium in fine huius partis apponenda.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Proprietatibus Syllogismi Probatione scilicet, & Reductione.

SYllogismi duplex est proprietas. *Probatio* scilicet, & *Reductio*. Probatio est, cum bonitatem consequentiæ Syllogismi perfecti probamus per vniuersalia principia artis syllogisticæ; scilicet; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, pro syllogismis affirmatiuis; & pro negatiuis, *Quorum vnum est idem vni tertio, & aliud non est idem, non sunt eadem inter se*; vel per, *Dici de omni, & Dici de nullo*, id est, *quidquid dicitur de omni subiecto; dicitur de omni contento sub tali subiecto*; ac quia de omni animali dicitur quod sit sensitiuum, de omni contento sub animali etiam dicitur, quod sit sensitiuum, v. g. de auibus, de piscibus, &c. Res exemplo clarior fiet, facto hoc argumento: *Omne bonum est amandum*: *Deus est bonus*; *ergo Deus est amandus*. Aliquis proteruus concessa maiori, & minori negat consequentiam; sic eam probare debeo; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; sed tu concessisti *Deum, & Amandum* esse eadem vni tertio, scilicet *Bono*; ergo debes concedere, quòd sint eadem inter se. Vel alio modo per principium dici de omni: *Quidquid dicitur vniuersaliter de aliquo, dicitur de omni contento sub illo*: sed tu concessisti, quod *amandum* dicitur *de omni bono*; ergo debes concedere, quod dicitur de *Deo*, qui sub *bono* continetur; vt patet ex minori.

Si verò argumentum sit negatiuum, vtendum est altero principio: vt v. g. concessis præmissis huius argumenti: *Nullum turpe est bonum*: *sed auaritia est turpis*; *ergo auaritia non est bona*; Si quis neget consequentiam, sic eam probare debeo: *Quorum vnum est idem cum vno tertio, aliud verò non est idem; non possunt esse eadem inter se*: Atqui ex te, *bonum* non est idem cum *turpi*,

& auaritia est idem; ergo *auaritia*, *& bonum* non sunt idem inter se; ac proinde auaritia non est bona. Idem etiam argumentum probari potest per, *dici de nullo*, hoc modo: *Quidquid vniuersaliter negatur de aliquo subiecto, negatur de quolibet contento sub eo*: sed de *turpi* negatur, quod sit *bonum*; ergo etiam de *auaritia* idem negari debet, quæ continetur sub *turpi*.

Reductio syllogismi duplex est; alia dicitur *Ostensiua*, & alia *ad impossibile*. Reductio ostensiua est reuocatio syllogismi imperfecti ad perfectum. Syllogismus autem imperfectus est, in quo conclusio non ita clarè sequitur ex præmissis. Tales sunt omnes syllogismi præter quatuor primos primæ figuræ. Syllogismus verò perfectus est, qui clarè, & directè infert conclusionem, & tales sunt quatuor primi, scilicet, *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *Ferio*. Vnde omnes alij possunt ad istos reuocari, paucis tantùm immutatis; pro quo.

Nota eiusmodi versus omninò artificio plenos esse, & ipsas literas indicare quid faciendum sit, vt modus imperfectus reducatur ad quatuor perfectes. In primis enim reliqui modi debent reuocari ad illum ex quatuor, qui incipit per literam similem, vt *Fapesmo*, *Ferison*, *Festino*, & alij incipientes per *F*, reuocantur ad *Ferio*. *Cesare*, *& Camestres* reuocantur ad *Celarent*, & sic de alijs. Quid autem immutari debeat indicant consonantes istæ, *S*, *P*, *M*, post vocales positæ. *S*, denotat propositionem designatam per vocalem præcedentem debere conuerti *simpliciter*: *P*, significat propositionem designatam per vocalem præcedentem esse conuertendam *per Accidens*: *M*, significat, mutandas esse præmissas, ita vt ex maiori fiat minor. Hæc omnia patebunt in isto argumento, quod fit in *fapesmo*.

Omne animal est sensibile:
Nullus lapis est animal;
Ergo aliquod sensibile non est lapis.

In primis enim reduci debet ad *Ferio*, qui incipit eadem litera. Id verò fiet, si maior subsequens, quam designat, *A*, conuertatur *per accidens*, vt designat. *P*. & minor quam designat, *E*, conuertatur *simpliciter*, vt designat, *S*, sequens; Et tandem si mutetur *maior* in *minorem*; hoc enim facto reddetur hoc argumentum in *Ferio*.

Nullum animal est lapis;
Sed aliquod sensibile est animal;
Ergo aliquod sensibile non est lapis.

In vocabulis autem, *Bocardo*, *& Baroco*, *C*, positum in

medio denotat istos modos esse irreformabiles, & solùm reduci posse ad impossibile. Quæ omnia his duobus versibus comprehenduntur.

S, vult simpliciter verti; P, verò per Accid.
M, vult transponi; C, per impossibile duci.

Reductio autem ad impossibile fit, quando aliquis negat consequentiam concessis præmissis: Tunc enim assumendo contradictoriam conclusionis negatæ, & eam combinando cum altera præmissarum, formamus argumentum perfectum, in quo concludimus contradictoriam alterius præmissæ concessæ, & sic cogimus respondentem concedere duo contradictoria esse vera, quod est impossibile. Quæ autem ex duabus præmissis retinenda sit, & quo loco disponenda, licèt ex ipso iudicio satis discerni posset, attamen indicant isti versus:

Prima minorem adimit, facit è maiore minorem
Celantes, minor est contrad. min. sede maioris.
Maiorem seruat, variatque secunda minorem.
Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

Sensus est: In prima figura, vt reducatur argumentum ad impossibile, contradictoria conclusionis ponenda est loco maioris, & maior loco minoris: Excipitur modus, *Celantes*, in quo minor ponitur loco maioris. In secunda figura maior seruatur, & contradictoria fit minor. In tertia figura minor seruatur, & contradictoria fit maior. Exemplum sit in isto Syllogismo secundæ figuræ modi *Cesare*.

Nulla virtus est turpis:
Omnis luxuria est turpis;
Ergo *nulla luxuria est virtus.*

Si quis concessis præmissis negat conclusionem; sumo eius contradictoriam, igitur *aliqua luxuria est virtus.* Quam ponendo loco minoris, formo tale argumentum.

Nulla virtus est turpis:
Sed, ex te, *aliqua luxuria est virtus;*
Ergo *aliqua luxuria non est turpis.*

Vbi clarè inferrur in quarto modo primæ figuræ contradictoria minoris concessæ in primo argumento; sicque cogitur respondens concedere duas contradictorias, quod est impossibile.

Cœterùm istæ regulæ neminem conturbare debent, licèt minùs capiantur, tum quia vix vllus est earum vsus, tum quia quilibet provectior factus eas relegendo faciliùs capiet.

AP-

APPENDIX.

De inuentione Medij.



HACTENVS egimus de fabrica Syllogismorum, quæ cùm tota in hoc sita sit, vt *duo extrema* inter se vniantur; quia fuerunt legitimè vnita cum *Medio*; idcirco operæ pretium est inuenire illud *Medium*, cui extrema iungi possunt; eo enim inuento facilè fiet argumentum. In fine Logicæ Maioris trademus decem locos, ex quibus erui possunt eiusmodi *Media*; nunc solùm quærimus quale debeat esse *Medium*, & qua ratione inquirendum. Ad hoc quatuor regulæ tradi solent ab Authoribus, quæ cùm sint intricatissimæ, & minùs accommodæ ad vsum, quasdam ex illis deducemus ad vsum faccillimas; pro quibus.

Nota in primis omnes modos reduci ad quatuor primos; vnde si habeamus media pro quatuor primis, habebimus etiam pro omnibus: Deinde, licèt sint quatuor propositiones probandæ, scilicet vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, particularis negatiua; attamen duæ primæ sunt maioris momenti, tum quia frequentiùs occurrunt: tum quia propositiones particulares continentur sub vniuersalibus; vnde præcipua cura nobis esse debet ad suggerenda media pro duabus primis propositionibus; his positis.

Prima regula est; quoties volueris probare propositionem vniuersalem affirmatiuam, considera terminos, de quibus vniuersaliter dici possit prædicatum tuæ conclusionis; & qui possit dici de subiecto eiusdem conclusionis: Ratio regulæ est; quia in propositione vniuersali affirmante prædicatum dicitur conuenire omni subiecto. Id autem clarè constabit, si reperias terminum, de quo dicatur tale prædicatum, & qui possit dici de subiecto. Sicut enim si quis pecuniam in crumena reponeret, & deinde crumenam in arca, simul quoque cum crumena poneretur pecunia in arca; ita quoque si prædicatum dicatur de termino aliquo, & ille terminus de subiecto, sequetur etiam prædicatum dici de subiecto, iuxta illud principium, *quidquid dicitur de aliquo, dicitur de omni contento sub illo*. Vsus


regulæ patebit in exemplo. Hæc propositio mihi probanda est: *Mors est bona*; quæ, cùm sit in materia doctrinali, supponitur æquiualere vniuersali, sicut communiter, & aliæ indefinitæ, quæ occurrunt inter disputandum. In illa propositione prædicatum est, *Bona*, subiectum verò, *Mors*; vt igitur probem, *Bonum* conuenire *Morti*, iuxta præfatam regulam cogito apud me, quænam res sint, de quibus dicatur, *Bonum*; & quæ possint aliquo modo conuenire *Morti*, & statim occurrit integrum agmen: Nam bonum est frui Christo, liberari à miserijs vitæ, eripi à periculo peccandi, adire meliorem vitam; item quod Deus approbat, quòd Christus elegit, quod sancti desiderant, est bonum, quæ omnia possunt conuenire morti, Vnde magna copia mediorum suboritur ad probandam propositionem istam; complicando enim terminos sic arguo. *Quod facit, vt fruamur Christo, est bonum: sed Mors facit, vt fruamur Christo*; ergo *Mors est bona*. Item, *quod eripit à miserijs vitæ; est bonum*: sed *Mors eripit à miserijs vitæ*; ergo *est bona*. Item, *quod liberat à periculo peccandi, est bonum*: sed *Mors liberat à periculo peccandi*; ergo *est bona*. Item, *ianua ad meliorem vitam est bona*; sed *mors est ianua ad meliorem vitam*; ergo *est bona*. In inueniendis autem istis medijs non parum conducit, si percurramus *Genera*, *Differentias*, *Species*, *Proprietates*, *Accidentia*, *Effectus*, *Causas* prædicati, & subiecti propositionis à nobis probandæ. Item si comparemus illa ad pædicamenta, ad alias res, quæ dicuntur in Philosophia; vel in Theologia. Item ad ea, quæ audiuimus, quæ legimus, quæ experti sumus, quæ conceduntur, vel ab omnibus, vel saltem ab aduersarijs, contra quos disputamus, & ad alia eiusmodi, quæ possunt pertinere ad propositam conclusionem: Sic enim fit, vt quasi sponte sua se se offerant diuersa media, ex quibus aptiora eligi debent.

2. Regula, pro propositionibus vniuersalibus negatiuis, est: Ad illas probandas considerandi sunt termini, qui repugnent prædicato tuæ conclusionis, & tamen conueniant subiecto. Si enim aliquid repugnat prædicato, quòd tamen dicatur de subiecto, profectò prædicatum non erit idem cum subiecto. Exemp. gr. volo probare *Mortem non esse bonam*; debeo cogitare quænam repugnent *Bono*, quæ tamen conueniant *Morti*; Et statim se offert ingens copia talium rerum. Nam, quod priuat vita, quod est contrarium inclinationi naturæ, quod omnia fugiunt, quod nos separat ab amicis

amicis, quod priuat omnibus vitæ bonis, quod adimit spatium pœnitentiæ, non est bonum; quæ tamen omnia conueniunt morti. Complicando igitur istos terminos sic efformo argumentum. *Quod priuat vita, non est bonum*: sed *Mors priuat vita*; ergo *Mors non est bona*. Item: *Quod est contrarium inclinationi naturæ, non est bonum*; sed *Mors est contraria inclinationi naturæ*; ergo *non est bona*. Item: *Quod omnes fugiunt, non est bonum*: sed *omnes fugiunt Mortem*; ergo *non bona*, & sic de alijs.

Addi prætereà potest, quòd omnis propositio vniuersalis negatiua potest conuerti simpliciter; vnde ad illam probandam non solùm vtilia sunt, quæ repugnant prædicato, & conueniunt subiecto; sed etiam, quæ repugnant subiecto, & conueniunt prædicato, vt patet in exemplo. Nam, quia bono conuenit esse gratum, esse conueniens naturæ, quæ omnia repugnant morti: Ideo possum sic arguere: *Omne bonum est gratum*: sed *Mors non est grata*; ergo *nec bona*. Item, *omne bonum conuenit naturæ*; sed *Mors non conuenit naturæ*: ergo *Mors non est bona*.

3. Regula, ad probandam vtramque præfatam conclusionem possumus etiam procedere ab inconuenienti, cogitando pro affirmatiuis quænam inconuenientia sequerentur, si prædicatum non conueniret subiecto. Et e contrà pro negatiuis, quænam inconuenientia sequerentur, si prædicatum conueniret subiecto. Vt in præfatis exemplis possem considerare quid sequeretur, si *Mors* non esset *bona*, & reperirem eam à Christo nunquam fuisse electam; nec à Sanctis expetitam, nec à Deo amicis suis pro munere immissam. Vnde sic arguere possem: si mors non esset bona, non esset à Christo electa: sed est electa à Christo; ergo est bona. Ad probandum autem mortem non esse bonam, possem adhibere inconuenientia, quæ sequerentur si esset bona; vt v. g. quòd liceret eam sibi inferre, quòd non esset effectus peccati, quòd vita ipsa esset mala. Vnde sic argui posset: *Si Mors esset bona, liceret eam sibi inferre; atqui non licet; ergo non est bona*; & sic de alijs. Pro particularibus nihil speciale dicendum occurrit, tum quia probari possunt eodem modo, tum quia rarò occurrunt in scientijs.



TABVLA MODORVM
PRIMÆ FIGVRÆ.
Cùm censura cuiuslibet.

- Omne animal est sensibile: Bar-
- Omnis homo est animal; ba-
- Ergo Omnis homo est sensibilis. ra.

Vtilis, quia seruat regulas.

- Omne animal est substantia:
- Nullus lapis est animal;
- Ergo Nullus lapis est substantia.

Inutilis, quia peccat contra tertiam regulam; distribuit enim in conclusione Maius extremum, quod non est distributum in præmissis.

- Omne animal est sensibile: Da-
- Aliquis homo est animal; ri-
- Ergo, Aliquis homo est sensibilis. j.

Optimus, quia seruat regulas.

- Omne animal est substantia:
- Aliquis lapis non est animal;
- Ergo Aliquis lapis non est substantia.

Inutilis defectu tertia regula; distribuit enim maius extremum in conclusione, quod non est distributum in præmissis.

- Nullum animal est lapis: Ce-
- Omnis homo est animal, la-
- Ergo Nullus homo est lapis. rent.

Vtilis, quia seruat Regulas.

- Nullus homo est lapis:
- Nullum marmor est homo;
- Ergo nullum marmor est lapis.

Inutilis, quia est ex puris negatiuis contra quartam regulam.

- Nullum animal est lapis: Fe-
- Aliquis homo est animal; ri-
- Ergo aliquis homo non est lapis. o.

Vtilis quia seruat regulas.

Nota quòd ex quatuor præcedentibus modis directis possunt fieri quatuor indirecti inuertendo tantùm conclusionem, & illi dicuntur Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo. At vero Frisesomorum fit ex secundo inutili a, e, conuertendo tantùm Conclusionem.

e Nullum

Nullum animal eſt lapis:
Sed aliquod marmor non eſt animal;
Ergo aliquod marmor non eſt lapis.
Inutilis, quia eſt ex puris negatiuis contra quartam Regulam.

Aliquod animal eſt rationale:
Sed omnis equus eſt animal;
Ergo aliquis equus eſt rationalis.
Inutilis, defectu ſecundæ Regulæ; non enim distribuit medium.

Aliquod animal eſt ſubſtantia
Nullus lapis eſt animal
Ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia.
Inutilis, defectu tertiæ Regulæ distribuit enim in concluſione maius extremum, in præmiſſis non diſtributum.

Aliquis equus eſt albus:
Sed aliquis albus eſt homo;
Ergo aliquis homo eſt equus.
Inutilis, quia eſt ex puris particularibus contra ſecundam Regulam.

Aliquis equus eſt ſubſtantia:
Aliquis lapis non eſt equus;
Ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia.
Inutilis, quia eſt ex puris particularibus, & præterea diſtribuit, maius extremum in concluſione, quod non eſt diſtributum in præmiſſis contra ſecundam, & tertiam Regulam.

Aliquod animal non eſt rationale:
Sed omnis homo eſt animal;
Ergo Aliquis homo non eſt rationalis.
Inutilis, quia non diſtribuit medium contra ſecundam Regulam.

Aliquis lapis non animal:
Nullus homo eſt lapis;
Ergo nullus homo eſt animal.
Inutilis, quia ex puris negatiuis contra 4. Regulã.

Aliquod animal non eſt rationale:
Sed aliquis homo eſt animal;
Ergo aliquis homo non eſt rationalis.
Inutilis, quia eſt ex particularibus, & non diſtribuit medium contra ſecundam Regulam.

Aliquis lapis non eſt animal:
Aliquis homo non eſt lapis;
Ergo aliquis homo non eſt animal.
Inutilis, quia eſt ex negatiuis contra 4. Regulã.

TABVLA MODORVM
SECVNDÆ FIGVRÆ.
Cum censura eorum.

Omnis homo est animal:
Omne sensibile est animal;
Ergo omne sensibile est homo.
Inutilis, quia non distribuit medium contra secundam Regulam.

Omnis homo est rationalis: Cam-
Nullus equus est rationalis; es-
Ergo nullus equus est homo. tres.
Vtilis, quia seruat Regulas.

Omne animal est substantia:
Aliquis lapis est substantia;
Ergo aliquis lapis est animal.
Inutilis, quia non distribuit medium contra secundam Regulam.

Omnis homo est animal: Ba-
Aliquis lapis non est animal; roc-
Ergo aliquis lapis non est homo. o.
Vtilis, quia seruat Regulas.

Nullus equus est rationalis: Ces-
Sed Omnis homo est rationalis; a-
Ergo nullus homo est equus. re.
Vtilis, quia seruat Regulas.

Nullum animal est lapis:
Nullus homo est lapis;
Ergo nullus homo est animal.
Inutilis, quia est ex negatiuis contra quartam Regulam.

Nullus lapis est animal: Fe-
Aliquis homo est animal; sti-
Ergo Aliquis homo non est lapis. no.
Vtilis, quia seruat Regulas.

Nullum animal est lapis:
Aliquis homo non est lapis;
Ergo Aliquis homo non est animal.
Inutilis, quia ex negatiuis contra quartam Regulam.

Aliquis equus est animal:
Omnis homo est animal;
Ergo Aliquis homo est equus.
Inutilis, quia non distribuit medium contra secundam Regulam.

Aliqua substantia est homo.
Nullus lapis est homo;
Ergo Nullus lapis est substantia.
Inutilis, quia distribuit maius extremum in conclusione, & non in pramissis.

Aliquis equus est animal:
Aliquis homo est animal;
Ergo Aliquis homo est equus.
Inutilis, quia ex particularibus contra secundam Regulam.

Aliqua substantia est homo:
Aliquis lapis non est homo;
Ergo Aliquis lapis non est substantia.
Inutilis, quia est ex particularibus, & etiam distribuit maius extremum in conclusione, & non in pramissis.

Aliquis homo non est lapis:
Nullum viuens est lapis;
Ergo nullum viuens est homo.
Inutilis, quia est ex puris negatiuis contra quartam Regulam.

Aliqua substantia non est rationalis:
Aliquis homo est rationalis;
Ergo Aliquis homo non est substantia.
Inutilis, quia ex puris particularibus, & distribuit maius extremum in conclusione, & non in pramissis.

Aliqua substantia non est rationalis:
Sed aliquis homo est rationalis;
Ergo Aliquis homo non est substantia.
Inutilis, quia distribuit maius extremum non distributum in pramissis; & est ex particularibus.



TABVLA MODORVM
TERTIÆ FIGVRÆ.
Cum censura eorum.

a Omne animal est sensibile; Da-
a Omne animal est substantia, rap-
i Ergo aliqua substantia est sensibilis. ti.
Vtilis, si inferatur consequentia particularis.

a Omne animal est substantia:
e Nullum animal est lapis;
e Ergo nullus lapis est animal.
Inutilis, quia distribuit maius extremum non distributum in præmissis.

a Omnis planta est viuens: Da-
i Aliqua planta est fructifera; ti-
i Ergo aliquod fructiferum est viuens. si.
Vtilis, quia seruat Regulas.

a Omnis planta est viuens:
o Sed aliqua planta non est animal;
o Ergo aliquod animal non est viuens.
Inutilis, quia distribuit maius extremum in conclusione, & non in præmissis.

e Nullum animal est lapis: Fe-
a Sed omne animal est substantia; lap-
o Ergo aliqua substantia non est lapis. ton.
Vtilis, si conclusio sit particularis; nam si vniuersalis sit, distribuitur in conclusione minus extremum, non distributum in præmissis, contra tertiam Regulam.

e Nullus lapis est animal:
e Nullus lapis est rationalis;
e Ergo nullum rationale est animal.
Inutilis, quia est ex solis negatiuis.

e Nullus lapis est rationalis: Fe-
i Aliquis lapis est substantia; ris-
o Ergo aliqua substantia non est rationalis. on.
Vtilis, quia seruat Regulas.

e Nullus lapis est animal:
o Aliquis lapis non est homo;
o Ergo aliquis homo non est animal.

Inu-

Inutilis, quia ex negatiuis puris.

a Aliquod animal est rationale: Dis-
a Omne animal est substantia; am-
i Ergo aliqua substantia est rationalis. is.

Vtilis, quia seruat Regulas.

i Aliquod animal est substantia;
e Nullum animal est lapis;
o Ergo aliquis lapis non est substantia.

Inutilis, quia distribuit maius extremum in conclusione, non distributam in præmissis.

i Aliquod animal est rationale:
i Aliquod animal est brutum;
i Ergo aliquod brutum est rationale.

Inutilis, quia est ex particularibus.

i Aliquod animal est rationale:
o Aliquod animal non est homo;
o Ergo aliquis homo non est rationalis.

Inutilis, quia ex particularibus.

o Aliquod animal non est lapis: Bo-
a Omne animal est substantia; ar-
o Ergo aliqua substantia non est lapis; do.

Vt[illegible] quia seruat Regulas.

o Aliquod animal non est lapis:
e Nullum animal est marmor;
o Ergo aliquod marmor non est lapis.

Inutilis, quia est negatiuis.

o Aliquod animal non est rationale:
i Aliquod animal est homo;
o Ergo aliquis homo non est rationalis.

Inutilis, quia est ex particularibus.


o Aliquis lapis non est animal:
o Aliquis lapis non est homo;
o Ergo aliquis homo non est animal.

Inutilis, quia est ex negatiuis.


Finis Logicæ Minoris.



LOGICA MAIOR rerum Logicalium grauiora complectens.



HÆSIMVS hactenus in vestibulis Logicæ nunc interiora quæstionum penetranda sunt, & ea scientia paulò accuratiùs pertractanda, quæ ideo cæterarum ianua dicitur, quòd expeditis difficultatibus, quæ in ea crebræ, & paulò importuniores occurrunt, veluti apertis foribus, ad omnes alias facilis pateat aditus. Hanc autem primam Philosophiæ partem ita tractaturi sumus, vt præmissa Quæstione Præambula circa naturam Logicæ, reliquum opus in tres partes tribus Mentis operationibus respondentes diuidamus. In Prima agetur de Terminis simplicibus: qui deseruiunt Apprehensioni, scilicet de Vniuersalibus, & Prædicamentis. In Secunda de Propositione, quâ dirigitur Iudicium. In Tertia de Argumentatione, quæ ad discurrendum ordinatur. Eadem scilicet Methodo, qua in Minori Logica vsi sumus.



QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

De Natura Logica.

Logica est facultas definiendi, diuidendi, & argumentandi. Ex quo sequitur eam esse duplicem; naturalem scilicet, & acquisitam: omnibus siquidem hominibus, etiam barbaris, & imperitis, indita est quædam facultas imperfectè saltem discurrendi aliqualiter definiendo, diuidendo, & argumentando. Hæc Logica naturalis est. Sed quia in homine natura imperfecta est, & succumbit in difficilibus, vt experientia patet in ædificando, pingendo, loquendo, &c. acces-

necesse est vt ab arte adiuuetur; ideoque dicit Aristoteles, *hominum genus rationibus, & arte viuere*; idque non solùm in operibus externis, vt in ædificando, nauigando, cantando, &c. pro quibus inuentæ sunt quædam facultates; sed etiam in ipsis operibus internis, in definiendo scilicet, diuidendo, & argumentando. Vnde oportuit dari aliquam facultatem studio comparatam, quæ naturalem discurrendi virtutem infirmam adiuuaret, rudem poliret, errantem corrigeret, & suis regulis, & præceptis vbique formaret. Hæc est Logica acquisita, cuius naturam hic inuestigamus eo ordine, vt quid sit? in prioribus articulis explicemus; deinde, quotuplex sit? Postea qualis sit? & postremò, quomodo deseruiat alijs scientijs?

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit obiectum Logicæ.

QVælibet facultas cognoscitur per suum obiectum. Cùm enim tota sit propter ipsum, talis debet esse, qualem eam exigit obiectum. Vnde, vt explicetur, quid sit Logica, statim explicandum est, quid sit eius obiectum. Vocamus autem obiectum alicuius facultatis id, quod ipsi considerandum obijcitur: seu circa quod talis facultas versatur. Vt obiectum visus est id, quod facultati visiuæ obijcitur, scilicet color; obiectum gustus sunt sapores; obiectum scientiarum sunt res, de quibus tales scientiæ disputant. Potentiæ enim, & facultates videntur, quasi quodam impetu extra se ferri ad attingenda alia, vt occulus ad colores, voluntas ad bona, intellectus ad veritates; vnde res ad quas feruntur, seu quæ tali impetui obijciuntur, dicuntur obiecta.

Sed in obiecto duo diligenter distinguenda sunt, *materiale* scilicet, & *formale*. Obiectum materiale est ipsa res, circa quam aliqua facultas versatur; obiectum verò formale est id, quod in tali re facultas attingit. Vt in obiecto visus materiale sunt res, quæ videntur; formale verò est color, quem videt oculus in rebus. Ita quoque in scientijs, res, quam scientia considerat, dicitur obiectum materiale scientiæ; formalitas verò illa, quam in tali re scientia considerat, dicitur obiectum formale. Sic in medicina, corpus humanum est obiectum eius materiale; sanabilitas verò corporis est obiectum formale. Sic in Physica, quæ respicit corpus mobile,

corpora sunt obiectum eius materiale; Mobilitas verò est obiectum formale. Ex vtroque autem, formali scilicet, & materiali, fit integrum obiectum; sicut ex anima, & corpore fit vnicum animal. Tale autem obiectum aliquando dicitur materia circa quam; eò quòd scientia circa illud occupetur: dicitur etiam subiectum scientiæ, eò quòd subijciatur disputationibus eius.

Præterea inter facultatem, & obiectum, sæpe aliquid mediat, cuius adminiculo suum obiectum attingit. Sic inter colorem, & visum mediat lux: & inter scientiam, & obiectum mediant principia, quibus scientia probat ea, quæ dicit de suo obiecto. Istud medium dicitur, *Ratio sub qua*: Hæc omnia necessariò præmittenda fuerunt; vt lux afferetur conclusioni; quibus ita constitutis.

Inprimis apud omnes constat, *Rationem sub qua* Logicæ, sicuti & aliarum scientiarum, esse eius Principia; cuiusmodi sunt: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: Et *dici de omni*, *dici de nullo*, &c. Vt enim dicit sanctus Thomas, *Principia sunt veluti quædam animi lux irradians conclusiones*; vnde se habent in scientijs; sicuti lux in obiectis visibilibus. De obiecto etiam materiali vix vlla difficultas est; vnde totum quæstionis pondus est in assignando obiecto formali, circa quod tres sunt præcipuæ sententiæ.

Prima est Nominalium, qui putabant voces esse obiectum formale Logicæ. Sed hæc sententia iam obsoleuit: non enim de vocibus ipsis; sed de illarum significatis agunt scientiæ, licèt vtantur vocibus ad exprimendas res, sicut Supputator vtitur calculis ad numerandas pecunias. Secunda sententia est quorumdam Recentiorum, qui tenent tres mentis operationes esse obiectum Logicæ. Tertia denique est omnium Thomistarum, & plurium aliorum, qui assignant ens rationis, seu secundas intentiones pro obiecto formali Logicæ. Pro resolutione.

Dico primo: obiectum materiale Logicæ sunt ipsæ res cognitæ.

Conclusio facilè probatur; nam facultas discurrendi habet pro obiecto materiali id, quod est materia discursus. Sed res ipsæ cognitæ sunt materia nostri discursus; ergo sunt etiam obiectum materiale Logicæ, seu facultatis discurrendi.

Dices; Malè assignatur pro obiecto materiali Logicæ id, quod est materia scientiarum realium: sed res cognitæ sunt materia scientiarum realium; ergo malè ass-

assignantur pro obiecto materiali Logicæ.

Resp. transeat maior (nam eadem materia potest pertinere ad diuersas scientias,) & distinguo minorem; Res cognitæ sunt materia scientiarum realium, præcisè vt cognoscibiles sunt, concedo; vt ordinabiles sunt in modum definitionis, & argumentationis; nego. Solutio patet ex terminis; nam aliæ scientiæ occupantur circa res cognoscendas; Logica verò circa res artificiosè disponendas in modum syllogismi, propositionis, definitionis, &c.

Dico secundò obiectum formale Logicæ est ens rationis directiuum trium mentis operationum. Ens autem rationis pro nunc voco illam dispositionem, quam ratio nostra facit in rebus cognitis, inquantùm eas ordinat in modum syllogismi, prædicati, subiecti, &c. Nam veluti Pictor colores disponit in modum artificiosæ cuiusdam repræsentationis, quam rectè vocabis ens artificiale; ideoque colores quidem sunt obiectum materiale artis pingendi; dispositio verò colorum in modum imaginis est eius obiectum formale: Ita pariter Logica disponit res cognitas in modum syllogismi, definitionis, &c. vnde res cognitæ sunt quidem obiectum materiale Logicæ; sed ista dispositio artificiosa, seu ipsa forma syllogistica, forma definitionis, &c. quam vocamus ens rationis, seu secundam intentionem, est obiectum formale Logicæ. Conclusio ita clarè explicata.

Probatur primò authoritate D. Thomæ 4. Metaph. lect. 4. dicentis: *Ens est duplex; ens naturæ, & ens rationis. Ens rationis propriè dicitur de illis secundis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, vt est intentio generis, differentiæ, prædicati, &c. quæ quidem non inueniuntur in rebus, sed considerationem rationis consequuntur; vt eiusmodi ens rationis est propriè subiectum Logicæ*. Quid clarius, quid expressius? Est præterea locus illustris in Proœmio Ethicæ, qui plurimam lucem sententiæ nostræ afferet; sic enim inquit D. Thomas: *Ordo quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solùm considerat; sicut est ordo rerum naturalium. Alius ordo est, quem ratio considerando facit in proprio actu, vt cum ordinat conceptus suos ad inuicem. Tertius ordo est, quem ratio facit in operibus voluntatis. Quartus ordo est, quem ratio nostra facit in rebus exterioribus, vt in arca in domo, naui, &c. Ordo, quem ratio considerat, sed non facit, pertinet ad Philosophiam*

naturalem, Ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad Philosophiam rationalem (id est ad Logicam.) *Ordo autem actionum voluntatis pertinet ad moralem Philosophiam. Ordo demum, quam ratio facit in rebus exterioribus, pertinet ad Artes mechanicas.* Hæc Diuus Thomas, in quibus vides, non modò conclusionem; sed etiam nostrum modum explicandi ens rationis apertè tradi à D. Thoma, quòd scilicet consistat in quodam ordine, quem ratio nostra facit in rebus consideratis, eas disponendo in modum syllogismi, aut definitionis. Apage ergo malignam explicationem eorum, qui, vt Thomistas impugnent, fingunt eos pro obiecto Logicæ constituere quasdam Chimœras, quas vocant entia rationis.

Probatur 2. Ratione: Logica habet pro obiecto formali definitionem, diuisionem, & argumentationem, etiam fatentibus aduersarijs; sed definitio, diuisio, & argumentatio sunt formaliter entia rationis; ergo Logica habet pro obiecto formali ens rationis. Maior patet: nam facultas definiendi, diuidendi, & argumentandi debet habere pro obiecto ipsas definitiones, diuisiones, & argumentationes. Minor verò probatur: ens rationis, vt à nobis sumitur, est quædam artificiosa dispositio à ratione facta in rebus cognitis: sed definitio, diuisio, & argumentatio sunt formaliter quædam dispositiones artificiosæ, quas ratio facit in rebus cognitis; ergo sunt formaliter entia rationis. Maior patet ex dictis: Minor probatur; tum ex Augustino, qui vocat syllogismos, & definitiones *quadam machinamenta, seu artefacta rationis nostra.* Tum ratione; nam in syllogismo, v. g. duo sunt, termini, & dispositio artificiosa terminorum, Patet quòd termini non sunt formaliter syllogismus, alias ad faciendum syllogismum sufficeret temerè proferre terminos; ergo syllogismus formaliter consistit in dispositione artificiosa terminorum. Tum etiam exemplo; Nam sicut in artefacto, vt in domo, duo sunt, materia, scilicet, v. g. lapides, & ligna, & forma, quæ nihil aliud est, quàm dispositio talium lapidum: ita in argumentatione, v. g. duo sunt; scilicet materia, quæ sunt ipsæ res cognitæ; per terminos expressæ. Et forma, quæ est dispositio talium rerum in modum syllogismi, vnde sicut domus formaliter consistit in dispositione lapidum ab Artifice facta, ita quoque argumentatio consistit formaliter in eiusmodi dispositione, quam ratio nostra facit in rebus, ex quibus constat.

Respon-

Respondent aduersarij argumentationem, v. g. non esse ens rationis; sed aliquid reale, scilicet actum mentis: vel ad summum denominationem extrinsecam, cadentem supra res cognitas, ex eo quod ratio nostra de illis discurrat: sicut visio parietis nihil aliud est, quàm ipse actus oculi, à quo paries denominatur visus.

Sed contra: Nam licèt in definitione, aut argumentatione ista tria sint, scilicet actus definiens, vel arguens; denominatio definiti, aut argumentati; & ipsa artificiosa dispositio rerum in modum definitionis, aut argumentationis; attamen id, quod propriè dicitur definitio, & argumentatio, quodque pertinet ad Logicam, non est illa denominatio extrinseca, neque ipse actus: sed talis dispositio conceptuum nostrorum, & rerum cognitarum in modum syllogismi, vel definitionis.

Rogo enim aduersarios; vbinam Logica, etiam illorum, agat de ipso actu mentis, aut de regulis necessarijs ad hoc, vt denominatio extrinseca cogniti cadat supra obiecta? Et annum potiùs omnis cura Logicæ versetur circa obiecta ritè disponenda, vt possint ab actu arguente attingi, quà dispositione obiectorum mediatè dirigitur intellectus, vt magis infrà dicetur.

Probatur 3. Obiectum Logicæ est id, in quo tota eius cura occupatur, cuius naturam, & proprietates explicat: sed tota Logicæ cura occupatur in explicando ente rationis; ergo, ipsum habet pro obiecto. Maior patet. Minor verò probatur: Quidquid enim hactenus diximus, aut infrà dicemus, totum est de ente rationis, vt de forma syllogismi, definitionis, prædicati, subiecti, generis, &c. quæ omnia sunt entia rationis.

Probatur vltimò ex Ioanne à S. Thoma, euertendo fundamentum aduersariorum. Cùm enim Logica sit ars scientifica, & scientificè directiua intellectus, id habet pro obiecto, quo dirigit intellectum: Atqui non dirigit intellectum ponendo in actibus eius aliquam rectitudinem realem, sed solùm disponendo res cognitas artificiosè; ergo directio ipsa intrinseca operationum mentis non est obiectum formale Logicæ, sed solùm artificiosa obiectorum dispositio, quam nos vocamus ens rationis. Declaratur minor; nam hoc ipso; quòd per artem Logicam ritè disponuntur obiecta, naturaliter, & absque vlla alia directione actio intellectus rectè fertur in ipsa; ergo totum artificium, quo Logica dirigit actus intellectus, præcisè consistit

in hac artificiosa obiectorum dispositione.

Confirmatur, tùm quia sic se habet Logica ad operationes mentis, sicut artes ad operationes membrorum externorum: sed nemo dicet obiectum artium esse operationes exteriores; vt v. g. obiectum artis fabrilis esse actus manuum, & ictus malleorum, quibus fit artefactum; ergo nemo dicere debet, operationes intellectus, quibus fiunt syllogismi, aut definitiones, esse obiectum Logicæ: sed potiùs ipsos syllogismos, aut definitiones. Tum quia commune est omnibus scientijs, vt dirigant operationes intellectus, sicuti omni morali virtuti, vt dirigat operationes voluntatis: sed id habet Logica speciale; vt cùm aliæ scientiæ dirigant operationes intellectus per ipsam cognitionem rerum, Logica dirigat per artificiosam obiectorum dispositionem: vnde, sicuti absurdum esse dicere obiectum aliarum scientiarum esse operationes intellectus, ita quoque idem dicendum de Logica.

PARAGRAPHVS VNICVS.

Soluuntur obiectiones.

OBiectiones ex duplici capite procedunt; aliæ contendunt operationes intellectus esse obiectum Logicæ; aliæ verò, ens rationis non posse esse tale obiectum. Vtrasque ordinatim referemus.

Obijcies primò: Operationes intellectus sunt obiectum Logicæ; ergo malè assignatur ens rationis. Probatur antecedens: Definitio, diuisio, & argumentatio sunt obiectum Logicæ: Atqui hæc omnia sunt operationes intellectus; ergo operationes intellectus sunt obiectum Logicæ. Probatur minor: nam definitio nihil aliud est, quàm actus, quo definio, diuisio, actus, quo diuido.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem, distinguo maiorem: Definitio, diuisio, & argumentatio sunt obiectum Logicæ, definitio, & argumentatio effectiua, nego; definitio,& argumentatio effecta, concedo. Similiter ad minorem distinguo: definitio, & argumentatio est operatio intellectus, effectiua, concedo; definitio, & argumentatio effecta, nego. Explicatur solutio: sæpe nomen operis effecti tribui solet actioni, qua tale opus fit; sicut pictio vocatur non solùm imago facta, sed etiam actio pictoris imaginem formantis; ita quoque argumentatio vocatur non solùm oratio, in qua vnum ex alio infertur; sed

etiam actus intellectus, quo fit talis oratio. Attamen, distinctionis gratia, actum definientem vocamus definitionem effectiuam, & actum argumentantem vocamus argumentationem effectiuam; orationem verò per talem actum formatam vocamus definitionem, & argumentationem effectam. Hoc posito: dicimus, obiectum Logicæ esse non quidem argumentationem, vel definitionem effectiuam, seu actum, quo definimus, vel argumentamur; sed definitionem, & argumentationem effectam, id est, orationes ab istis actibus formatas; & hæ sunt propriè entia rationis. Quidam vocant actum argumentantem, v. g. argumentationem formalem, orationem verò per illum formatam, vocant argumentationem obiectiuam; sed in idem redit.

Instabis: atquì argumentatio, v. g. effecta, seu illa oratio, in qua vnum ex alio infertur, non est obiectum Logicæ; ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Illa argumentatio est obiectum Logicæ, quæ facit scire: sed talis oratio non facit scire; ergo non est obiectum Logicæ. Probatur minor: Ens rationis non potest facere scire: sed talis oratio est tantùm ens rationis, formaliter loquendo; ergo non potest facere scire: minor à nobis conceditur. Maior verò probatur: Nam ens rationis non potest producere ens reale: sed scientia est ens reale; ergo non potest produci ab ente rationis; ac proinde non potest facere scire.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem, nego minorem; ad cuius probationem, distinguo: ens rationis non potest facere scire, per modum causæ generantis scientiam, concedo; per modum conditionis, sine qua non, nego. Licèt enim illa dispositio artificiosa, quàm vocamus ens rationis, & in qua formaliter consistit argumentatio, non causet ipsam scientiam; attamen est conditio, sine qua non, res ipsæ, ex quibus fit syllogismus, causarent scientiam. Sicuti licèt figura gladij non sit causa vulneris; attamen est conditio, siue qua nunquam ferrum vulneraret; & licèt forma cultri non sit causa incisionis, nunquam tamen chalybs secaret, nisi in modum cultri disponeretur.

Dices: licèt ex rebus in modum syllogismi dispositis nullum ens rationis, & nulla forma syllogistica resultaret, attamen daretur adhuc Logica; ergo talis forma, & tale ens rationis non est obiectum Logicæ.

Respo-

Respondeo argumentum sibi contradicere, dum dicit, ex rebus in modum syllogismi dispositis nullam formam syllogisticam resultare; nam forma syllogistica essentialiter consistit in eo, quòd dispositionem illam in rebus concipiamus; sicuti imago essentialiter consistit in eo, quòd sit quædam artificiosa dispositio in coloribus. Vnde sublato ente rationis, implicat dari res in modum syllogismi dispositas.

Vrgebis: saltem illa forma syllogistica non est nisi instrumentum sciendi; ergo non est obiectum Logicæ. Probatur consequentia: nam instrumentum scientiæ non potest esse obiectum scientiæ.

Respondeo negando consequentiam: ad probationem, distinguo: instrumentum scientiæ non potest esse obiectum scientiæ principalioris, concedo; scientiæ instrumentalis, nego. Logica autem est scientia instrumentalis, ideoq; vocatur ab Aristotele *Organum*, seu *Instrumentum*; vnde non mirum si eius obiectum sint instrumenta sciēdi. Sicuti instrumentū artis equestris, v. g. frænum, est obiectū alterius artis, scilicet frænifactoriæ.

Obijcies secundò: finis Logicæ est ipsius obiectum: sed operationes intellectus sunt finis Logicæ; ergo sunt eius obiectum. Probatur minor: nam ad hoc tendit Logica, vt dirigat operationes intellectus.

Respondeo distinguendo maiorem: finis proximus est obiectum Logicæ, concedo; finis remotus est obiectum Logicæ, nego. Et ad minorem: operationes mentis sunt finis Logicæ, proximus, nego; finis remotus, concedo. Primaria enim cura Logicæ est tractare de entibus rationis, scilicet de syllogismo, propositione, definitione, &c. Et mediante tali cognitione dirigit operationes intellectus. Vnde syllogismi, & propositiones sunt primarius finis, & obiectum proprium Logicæ; operationes verò intellectus sunt tantùm finis remotus.

Instabis: quod ordinatur ad aliud, non est obiectum scientiæ: sed syllogismi, v. g., & alia, de quibus agit Logica, ordinantur ad aliud, scilicet ad discurrendum de ipsis rebus; ergo non sunt obiectum Logicæ.

Respondeo distinguendo maiorem: quod ordinatur ad aliud, non est obiectum scientiæ principalioris, concedo; scientiæ instrumentalis, nego: Logica autem est tantùm scientia instrumentalis; Nam aliæ scientiæ agunt de rebus: Logica verò suggerit syllogismos, & instrumenta, quibus de rebus possimus disputare.

Vrgebis: sic se habet Logica ad actus mentis, sicut mo-

moralis ad actus voluntatis: atqui obiectum moralis non est dispositio, quam ratio facit in actibus voluntatis, sed potiùs ipsi actus voluntatis; ergo nec dispositio illa artificiosa, quam Logica facit, erit obiectum Logicæ, sed potiùs ipsi actus mentis.

Respondeo. Transeat maior, & nego minorem: nam, formaliter loquendo, actus voluntatis non sunt obiectum formale moralis, sed potiùs, moralitas ipsa, seu, vt ita loquar, ens morale, quod in illis reperitur, vt insinuat D. Thomas suprà citatus. Attamen, quia operationis voluntatis sunt subiectum, & materia ordinis moralis: ideo totum illud coniunctum ex operatione, & moralitate dicitur obiectum moralis scientiæ. At verò operationes intellectus, propriè loquendo, non sunt materia, in qua recipiatur dispositio logicalis, non enim forma syllogistica recipitur in actu, quo discurro; sed potiùs per talem actum apprehenditur in rebus à me cognitis, vnde operationes mentis non possunt dici obiectum Logicæ etiam materiale propriè.

Dices; Quare igitur D. Thomas primo posteriorum inquit actus mentis esse propriam materiam Logicæ?

Respondeo D. Thomam loqui de materia dirigibili, non verò de materia cognoscibili: Nam Logicæ quidem non est cognoscere naturam actuum mentis; sed solùm illos dirigere, præbendo syllogismos; & definitiones, quibus procedant ad cognoscendas veritates.

Obijcies ex secundo capite: Obiectum Logicæ est aliquid reale; ergo non est ens rationis. Probatur antecedens: specificatiuum Logicæ debet esse aliquid reale: sed obiectum Logicæ est eius specificatiuum; ergo debet esse reale. Minor certa est: Nam omnes scientiæ specificantur ab obiectis: Maior verò probatur: specificatiuum entis realis debet esse reale: sed Logica est ens reale; ergo specificatiuum eius debet esse reale.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Specificatiuum Logicæ debet esse reale, specificatiuum intrinsecum, & per modum partis constituentis, concedo; specificatiuum extrinsecum, & per modum obiecti terminantis: nego. Et similiter distincta minori, nego consequentiam. Explicatur: dupliciter aliquid potest specificare aliud: Primò intrinsecè, & per modum constitutiui; vt anima dat speciem homini per modum intrinseci, & partis constituentis; & generaliter forma cuiuslibet rei specificat illam

illam intrinsecè, & constitutiuè: secundò per modum termini extrinseci, ad quem res illa ordinatur: sic generaliter omnis habitus, omnis virtus, omnis scientia speciem desumit ab obiecto suo, tanquam ab aliquo extrinseco, ad quod terminatur. Dicimus ergo, quòd, licèt id, à quo primo modo, intrinsece scilicet, & constitutiuè specificatur ens reale, debeat esse aliquid reale: attamen id, à quo specificatur secundo modo, scilicet extrinsecè, & terminatiuè, non semper est ens reale.

Instabis: Ordo realis debet habere terminum realem; sed Logica dicit ordinem realem ad suum obiectum; ergo obiectum debet esse quid reale.

Respondeo distinguendo maiorem: ordo realis debet habere terminum realem, ordo prædicamentalis, concedo: ordo realis transcendentalis, nego. Quid sit ordo prædicamentalis, & transcendentalis, dicetur infrà. Interim ordo prædicamentalis est relatio quædam aduentitia rei ad positionem alterius, vt nato filio, resultat in patre relatio paternitatis; & hæc relatio exigit semper terminum realem. Ordo transcendentalis est ipsa rei entitas, in quantùm ordinatur ad aliud, vt oculus ad colores, & scientia ad suum obiectum. Dicimus ergo, quod talis ordo transcendentalis potest ordinari ad entia rationis, vt patet in actu, quo formo chimæram, quo fingo fabulas, quo cupio mortem, quò tracto de ente rationis, talis enim actus non respicit entia realia, sed solùm entia rationis.

Vrgebis: Id, quod respicitur à scientia, debet habere proprietates: Sed ens rationis non habet proprietates; ergo non potest respici à scientia. Probatur minor: nam istæ proprietates, vel essent reales, vel rationis; neutrum dici potest; ergo nullas habet. Probatur minor: in primis non sunt reales, alias essent nobiliores ente rationis, non sunt etiam entia rationis, aliàs idem esset proprietas sui ipsius.

Respondeo negando minorem: Ad probationem, respondeo has proprietates esse entia rationis: ad probationem nego sequelam, scilicet, idem esse proprietatem sui ipsius. Nam sub ente rationis plura sunt entia, in quibus vnum est proprietas alterius; vt oppositio, conuersio, æquipollentia sunt proprietates propositionis.

Obijcies secundò. Ens fictitium non potest esse obiectum Logicæ; sed ens rationis est quid fictitium; ergo non est obiectum Logicæ. Probatur minor: Nam

cogno-

cognoscere in rebus, quod non est in ipsis, est fingere: sed ens rationis consistit in eo, quòd cognoscatur in rebus id, quod non est in rebus; ergo est quid fictitium.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo, ens rationis consistit in eo, quod aliquid cognoscatur in rebus, quod non est in ipsis, actualiter, concedo; quod non est in ipsis fundamentaliter, nego. Res enim, licèt in se non sint dispositæ in modum, verbi gratia, syllogismi; attamen ita exigunt ordinari, quando concipiuntur. Vnde ordo, quem Logica inducit, non est merè fictius, sed artificiosus, & rationabiliter excogitatus. Sicuti, & quotidie infinitos ordines in rebus exterioribus, v.g. in ferro, lapidibus; &c. excogitamus ad vitæ nostræ commoda, conficiendo domos, horologia, naues, &c. Quidni ergo licebit etiam excogitare artificiosum ordinem in rebus cognitis, v.g. ordinem syllogisticum inter tres terminos, qui ordo dicitur ens rationis, quia totus consistit in apprehensione rationis?

Instabis: Intellectus errat faciendo entia rationis; ergo sunt mera figmenta. Probatur antecedens: Concipere rem aliter, ac sit in se, est errare: sed intellectus, faciendo ens rationis, concipit rem aliter, quàm sit in se, v.g. concipit rem esse genus, aut differentiam, cùm tamen neutrum sit à parte rei; ergo intellectus, faciendo ens rationis, errat.

Respondeo negando antecedens: ad probationem distinguo maiorem: errare est concipere rem aliter, quàm sit in se, ex parte rei intellectæ, ita vt rem ipsam concipiamus esse in se ipsa, quod non est, concedo; aliter, ex parte modi intelligendi, ita vt quemdam ordinem tribuamus ipsis rebus in intellectu nostro, quem non habent in se ipsis, nego. Solutio est D.Thomæ 1. p. q. 85. art. 1. Patet autem, quòd ens rationis non fit, inquantùm rem concipimus esse id, quod non est, v. g. Petrum esse irrationalem, sed solùm inquantùm attribuimus aliquem ordinem rebus à nobis cognitis, quem non habent in se ipsis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Logica sit scientia.

CONstat igitur, quid sit obiectum Logicæ; nunc quæritur, an Logica tendat in istud obiectum scientificè, sitque vera scientia. Vt autem difficultas clarè pro-

proponatur, nota quinque esse Virtutes intellectuales, scilicet, Intelligentiam, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem. Virtus enim intellectualis est, quà perficitur intellectus ad veritatem attingendam: His autem quinque mens nostra perficitur circa veritatem, sicut appetitus per Virtutes morales, Iustitiam, Temperantiam, & Fortitudinem perficitur circa bonum. Intelligentia est habitus perficiens intellectum circa prima principia per se nota. Sapientia est notitia rerum per causas sublimiores. Scientia est notitia rerum per quascumque causas certas, & euidentes; vnde definitur, cognitio per demonstrationem acquisita; ideoque sapientia est defœcatior scientia. Prudentia est recta ratio agibilium, id est, habitus rectificans rationem circa ea, quæ sunt à nobis agenda. Ars est recta ratio factibilium, id est, habitus rectificans mentem circa opera facienda, verbi gratia, circa naues, domos, horologia, &c. Quæritur ad quid ex istis pertineat Logica: quidam putant eam esse artem; alij esse scientiam impropriam tantùm. Communior sententia est, eam esse veram scientiam, seu sapientiam. Pro resolutione.

Dico: Logica est verè scientia. Conclusio est D.Th. qui reponit expresè Logicam inter habitus scientificos: loca non refero, quia de eius mente nemo dubitat. Vnde solùm ratione procedendum est.

Probatur conclusio: Scientia est cognitio certa, & euidens per demonstrationem acquisita: sed Logica est cognitio certa, & euidens per demonstrationem acquisita; ergo est scientia. Probatur minor: Nam Logica non tradit nudè regulas discurrendi, sed eas demonstratiuè probat; rationem illarum euidentem reddit; & scientificè de illis disputat, v. g. quòd definitio debeat constare genere, & differentia: quòd solùm tres termini possunt esse in syllogismo, &c. ergo Logica est cognitio per demonstrationem acquisita. Vnde esto, Rhetorica, & Grammatica sint tantùm artes, quia nudas regulas tradunt, præcipuè Grammatica, non tàm ratione, quàm vsu constantes; attamen Logica suas regulas probat, & demonstrat. Rhetor enim quærit ornatum sermonis, quo rès plausibiles, & verosimiles efficiat: Grammaticus verò quærit congruitatem sermonis, quæ potiùs ex vsu, quàm ex ratione attenditur: sed Logicus veritatem ipsam quærit, ideoque demonstratione, quæ veritatis interpres est, sua præcepta, quantùm potest, ostendit.

Obij-

Obijcies primò: Obiectum Logicæ, scilicet ens rationis non est scibile; ergo Logica non est scientia. Probatur antecedens: quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile: sed ens rationis non est simpliciter ens; ergo non est simpliciter scibile. Minor constat: quia ens rationis non est, nisi vmbra veri entis. Maior suadetur: quia scibilitas fundatur in ente; ergo quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem nego maiorem; ad cuius probationem distinguo: scibilitas fundatur in ente, præsuppositiuè, concedo; commensuratiuè, nego. Sensus solutionis est, quòd ad hoc vt aliquid sit scibile, debeat habere quidem aliqualem entitatem; attamen scientia, quæ de illo habetur, non semper commensuratur eius entitati; nam de minimis rebus potest haberi maxima, & certissima scientia, vt de numeris, de lineis, de figuris habentur scientiæ certissimæ. Et econtrà, de maximis rebus vel nulla, vel saltem languida solùm scientia habetur, vt de indiuiduis singularibus.

Instabis: Ens secundùm quid non est simpliciter verum; ergo non est simpliciter scibile.

Respondeo distinguendo antecedens: Ens secundùm quid non est simpliciter verum, veritate transcendentali, transeat; veritate formali, nego. Solutio ampliùs patebit in Metaphysica. Interim veritas transcendentalis est ipsa rei entitas, vt comparata ad intellectum. Veritas formalis est ipsa cognitio intellectus, vt conformis suo obiecto. Patet autem, quòd de minimo ente possumus habere cognitionem ipsi simpliciter conformem; ac proinde de quolibet ente datur simpliciter veritas formalis.

Vrgebis: de ente rationis non potest dari notitia scientifica; ergo non est simpliciter scibile. Probatur ant. Scientia est solùm de rebus certis, & necessarijs: sed ens rationis est incertum, & nullo modo necessarium; ergo de illo non est scientia. Maior adeo certa est, vt Socrates, cùm Cratillo, & Heraclito, putans omnia continuo motu variari, negauerit posse haberi scientias de rebus; & Plato, vt saluaret scientiam, recurrebat ad ideas æternas, & immobiles. Minor verò probatur: nam, quod fit à nobis, non est quid certum, & necessarium; sed ens rationis fit à nobis; ergo non est certum, & necessarium.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem

distinguo maiorem: scientia est de rebus certis, & necessarijs, quantùm ad existentiam, nego; quantùm ad connexionem prædicatorum essentialium, concedo; & ad minorem: ens rationis non est certum, & necessarium quantùm ad existentiam, concedo; quantùm ad connexionem prædicatorum essentialium, nego. Explico solutionem: Res, de quibus agunt scientiæ, non debent esse necessariæ, quantùm ad existentiam, id est, necessariò existere; vt patet in morbis, de quibus agit Medicus; in virtutibus, de quibus agit Moralis; in motu, de quo agit Physicus, quæ omnia modò existunt, modò non existunt, sed solùm debent esse necessariæ, quantùm ad connexionem prædicatorum essentialium, id est, habere quædam prædicata, quæ ita ipsis conueniant, vt non possimus concipere rerum istarum essentias, nisi etiam concipiendo talia prædicata eis conuenire Ideoque semper verum est eiusmodi prædicata conuenire talibus rebus. Vt semper verum fuit, morbum consistere in deordinatione humorum, & disponere ad mortem: Virtutes consistere in quadam mediocritate per rationem taxata: syllogismos constare ex duobus extremis cum vno tertio vnitis; Definitionem debere esse clariorem definito Circa eiusmodi notiones, & prædicata necessariò rebus conuenientia occupantur scientiæ; & Logica inter cæteras, quæ non disputat de illo syllogismo, qui hodie fit, vel cras fiet, sed de regulis necessariò seruandis ad formandos syllogismos, & de proprietatibus necessariò ipsis conuenientibus.

Obijcies 2. Modus sciendi, & instrumentum scientiæ non est scientia: sed Logica est modus sciendi, & instrumentum scientiarum; ergo non est scientia: Prob. maior. nam, vt dicit Aristoteles, absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi.

Respondeo negando maiorem. Nam sicut vna ars potest esse instrumentum alterius, ita quoque vna scientia potest esse instrumentum aliarum. Ad Aristotelem, Respondeo solùm velle, quod illa scientia, quæ est modus sciendi, priùs debet addisci, quàm aliæ. Et tamen adhuc dici posset, quòd Logica non est tam instrumentum, & modus sciendi, quàm scientifica notitia instrumentorum, & modorum sciendi.

Instabis: Logica aliquando conficit syllogismos probabiles, imò & sophisticos; ergo non est scientia.

Respondeo dist. ant. Conficit tales syllogismos probabiles, & sophisticos per modum habitus inclinantis ad

ad assentiendum conclusioni probabili, vel sophisticæ, nego: per modum applicantis suas regulas materiæ probabili, aut sophisticæ, concedo. Logica enim solùm tradit scientificè regulas bene argumentandi in omni materia, & quamlibet datam materiam disponit in modum syllogismi. Cæterùm per accidens est, quòd illa materia inferat conclusionem probabilem, vel fallacem, neque de hoc curat Logica, neque ad assentiendum ipsi, mouet intellectum. Vnde ex hoc non amittit rationem scientiæ.

Vrgebis: Logica dicitur ars; ergo non est scientia.

Respondeo dist. ant. Dicitur ars propriè dicta, & mechanica, nego; ars liberalis, & similitudinariè, concedo. Logica enim dicitur ars, inquantùm, sicut ars propriè dicta disponit materiam externam, vt lapides, vel ferrum; ita quoque Logica disponit res cognitas, vt expressè dicit D. Thomas 1. 2. q. 58. art. 3.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo diuidatur Logica in Docentem, & Vtentem.

Ex præmissis constat, quid sit Logica; definiri enim potest, scientia entis rationis directiui operationum mentis; nunc agendum est de eius diuisione vulgatissima in Docentem, & Vtentem.

Dico primò: Logica rectè diuiditur in docentem, & vtentem.

Conclusio est omnium: & facilè probatur, namque facultas bene discurrendi non solùm scientificè tradit regulas ad rectè argumentandum; sed etiam eas ad vsum redigit, bene definiendo, diuidendo, & argumentando; ergo rectè diuiditur in docentem, quæ tradit, & explicat regulas, & vtentem, quæ eas applicat ad opus. Nam, vt ait D. Thomas, *vsus est applicatio rei ad opus*. 1. 2. q. 16. art. 1.

Circa hanc conclusionem nota, quòd præcepta Logicæ possunt triplici materiæ applicari, scilicet demonstratiuæ, probabili, & sophisticæ, seu captiosæ. Nam aliquando demonstratiuè disputamus, id est, per principia certa, & euidentia; aliquando solùm probabiliter; & aliquando captiosè, & cum fallacia. Hinc aliqui grandem quæstionem mouent, vtrum in omni ista materia vsus præceptorum logicalium propriè pertineat ad Logicam vtentem. Pro resolutione.

Dico 2. Vſus præceptorum logicalium in materia topica, ſeu probabili, & ſophiſtica propriè pertinet ad Logicam; ita omnes cum D. Thom. 14. Metaph. lect. 4.

Probatur facilè: Nam Logica conficit ſyllogiſmos topicos, & ſophiſticos, quando libuerit, & in omni materia; ergo vſus in talibus ſyllogiſmis pertinet ad Logicam. Probatur antecedens: ſiquidem tales ſyllogiſmi procedunt per media facillima, & communiſſima; ideoque, qui ſcit regulas Logicæ, ſtatim poteſt eiuſmodi ſyllogiſmos conficere; vnde dicit Ariſtoteles, quòd Dialecticus poteſt diſputare probabiliter de omni ente.

Dico 3. In materia demonſtratiua, ſaltem logicali Logica poteſt dici vtens.

Probatur facilè: Nam ipſa conficiendo ſuas demonſtrationes, vtitur quoque ſuis præceptis; ergo in materia demonſtratiua ſaltem logicali habet vſum.

Concluſionem iſtam quidam Thomiſtæ negant, eo quòd velint, vſum debere omnino diſtingui à doctrina logicali. Vnde, quando Logica explicando, & definiendo demonſtrationem, ſernat regulas bonæ definitionis, aut diuiſionis, dicunt talem actum eſſe potiùs doctrinam, quàm vſum. Sed quæſtio eſt ſolùm de nomine; vnde dici poſſet, quòd idem actus poteſt eſſe ſimul doctrina, & vſus. Doctrina quidem, in quantùm tradit aliqua præcepta; vſus verò, quatenus tradendo illa, ſeruat regulas alibi præſcriptas. Cæterum an Logica poſſit dici vtens in materia demonſtratiua aliarum ſcientiarum, id eſt, an Logica conficiat ſyllogiſmos aliarum ſcientiarum, vel ſolùm dirigat præſcribendo regulas, dicetur articulo 6.

Dico 4. Logica docens, & vtens non ſunt duo habitus realiter diſtincti, ſed tantùm duo munera eiuſdem habitus; ita vt eadem facultas ſit, quæ regulas explicat, & illas ad vſum redigit. Concluſio eſt communis inter Thomiſtas, & alios, quam inſinuat D. Thomas 4. Metaph. lect. 4. Vnde.

Probatur ex eius principijs: Vſus, & doctrina regularum Logicalium pertinent ad eundem habitum; ergo Logica docens, & vtens eſt idem habitus: Probatur antecedens: Actus ſubordinati, quorum vnus oritur ex alio, & non addit nouam difficultatem, pertinent ad eumdem habitum: ſed vſus in Logica oritur ex doctrina, vt patet, ipſique ſubordinatur; nec nouam addit difficultatem; ergo vſus, & doctrina in Logica ſpectant ad eumdem habitum. Maior eſt D. Thom. 2. 2.

q. 28. art. 4., & patet inductione. Sic amor Dei, & Proximi spectat ad eandem charitatem: Sic vincere nimios timores, & frænare temerarias audacias spectat ad vnicam virtutem fortitudinis: Sic Deum colere, adorare, precari, sacrificare, &c. pertinent ad vnicam virtutem religionis, &c. Min. verò prob. Si vsus regularum logicalium adderet difficultatem suprà doctrinam, vel illa difficultas oriretur ex parte materiæ, quæ resisteret, vt in arte fabrili ferrum resistit, ideoque opus est speciali industria ad ipsum tractandum; vel ex parte potentiæ executiuæ; quæ esset alia à potentia sciente, vt in musica; Nam Musicus mente scit regulas, & gutture eas exequitur, ideoque noua industria indiget ad erudiendam vocem; Sed ex neutro capite oritur difficultas in vsu regularum logicalium; ergo ex nullo. Probatur minor: Nam in primis materia logicalis non resistit; res enim cognitas possumus ordinare, prout placuerit, ex vna conficiendo prædicatum, ex alia subiectum, absque eo quòd resistant. Deinde eadem potentia est, scilicet intellectus, quæ & scit regulas Logicæ, & eas discurrendo redigit ad vsum.

Obijcies primò: Instrumentum distinguitur à re, cuius est instrumentum: Sed Logica vtens est instrumentum docentis; ergo distinguitur ab illa. Maior constat; quia nihil potest esse instrumentum sui ipsius. Minor verò probatur: Nam Logica vtens est instrumentum omnis scientiæ: sed Logica docens est scientia; ergo Logica vtens est instrumentum docentis.

Respondeo distinguendo maiorem: Instrumentum propriè dictum, concedo; Instrumentum impropriè dictum, nego: Logica autem non dicitur propriè instrumentum scientiarum; sed potiùs facultas cognoscitiua, & factiua instrumentorum sciendi. Nam propriè instrumenta sciendi sunt syllogismi definitiones, & alia eiusmodi. Vnde sicut ars fabrilis vtitur malleo à se facto ad fabricandum alium malleum; ita Logica vtitur regulis syllogismi ad considerandam naturam syllogismi. Adde prætereà, quòd non est inconueniens in instrumentis istis spiritualibus: quòd idem quodammodo sit instrumentum sui ipsius. Nam definitio definit se ipsam; & argumentatio arguit de se ipsa; & sermo loquitur de se ipso; cuius radix est, quia ratio reflectitur supra se ipsam. Vnde omnia, quæ sunt in ratione, sunt etiam supra se reflexiua.

Instabis: Logica vtens non est scientia; ergo distin-

gnitur à docente, quæ est scientia.

Respondeo distinguendo antecedens: Logica vtens non est scientia, reduplicatiuè vt vtens, concedo; specificatiuè, nego. Id est, ille habitus, quo vtimur regulis Logicæ, non habet, quòd sit scientia formaliter ex ipso vsu; attamen etiam vsus ad illum pertinet. Sicut charitas reduplicatiuè, vt amat Proximum, non est virtus Theologica; quia non habet quòd sit Theologica ex ipso Proximo: sed tamen etiam amor Proximi pertinet ad charitatem, quæ aliunde est Theologica, eò quòd scilicet respiciat Deum,

Vrgebis: Vsus non potest esse actus scientiæ; ergo non pertinet ad Logicam docentem, quæ est scientia, sed ad nouum habitum. Prob. antecedens: quia actus scientiæ est scire, non verò vti.

Respondeo disting. antecedens: vsus non potest esse actus scientiæ, primarius, concedo, secundarius, nego. Nam vti scientia, & vsus scientiæ est quasi quædam diffusio, & propagatio scientiæ. Vnde, nisi afferat nouam difficultatem, pertinere potest ad habitum scientiæ.

Dices: Logica docens, & vtens habent diuersos fines; nam finis docentis est cognitio regularum; finis verò vtentis est constructio syllogismorum; ergo sunt diuersi habitus.

Respondeo disting. antecedens: habent diuersos fines subordinatos, concedo; non subordinatos, nego; nam confectio syllogismi subordinatur cognitioni syllogismi. Vnde possunt pertinere ad eundem habitum.

Obijcies 2. Logica docens, & vtens differunt definitione; ergo differunt quidditate; Definitio enim explicat naturam rei, & quidditatem; vnde vbi est duplex definiti o, est etiam duplex quidditas, & natura.

Respondeo disting. antecedens: differunt definitione adæquata, & totali, nego inadæquata, & partiali, concedo. Sæpè enim fit, vt vnica res habens duplex munus, definiatur duplici definitione inadæquata, quarum quælibet explicat vnum munus. Vt si quis definiret charitatem Dei, dicendo esse amorem, quo Deus diligitur super omnia: & charitatem Proximi, dicendo esse amorem, quo Proximus diligitur, sicut diligimus nosmetipsos, essent duæ definitiones inadæquatæ, & vna res definita. Ita se habet res in præsenti: nam facultas discurrendi, seu Logica, licèt sit vnus habitus, habet duo munera, ideoque definiri potest dupliciter, dicendo, quòd, vt docens, est facultas speculatiua syllogismorum; &, vt vtens, est facultas confectiua syllogismorum.

In-

Instabis: Consideratio prudentialis, qua quis discurrit, quid in negotio expediat, & applicatio prudentialis, qua quis exequitur id, quod secundùm virtutem indicat expedire, sunt duo habitus, vt dicitur 1. 2. ergo etiam consideratio, & executio syllogismorum spectant ad duos habitus.

Respondeo negando paritatem; nam in moralibus executio nouam, imò maximam affert difficultatem: plures enim sunt fortes in consultando, & ignaui in exequendo. At verò in logicalibus tota difficultas est in sciendo regulas, & vix vlla in exequendo.

Vrgebis: Etiam quis perfectè callens regulas Logicæ, non ita promptus est ad conficiendos syllogismos, & per vsum sentit se quotidie acquirere nouam facilitatem; ergo, & nouum habitum.

Respondeo distinguendo antecedens: Quis sciens regulas patitur difficultatem, quam per vsum tollit, ex parte regularum, nego; ex defectu materiæ, quæ non ita promptè succurrit, concedo, & nego consequentiam. Difficultas enim illa se tenet non ex parte regularum applicandarum, sed ex penuria materiæ, quam ita promptam non habet. Sæpe autem disputando acquirit facilitatem; quia per exercitium memoria fit promptior ad sumministrandam materiam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm Logica sit scientia speculatiua.

CONstat quid sit, & quotuplex sit Logica; nunc examinandum est, qualis sit tum in se ipsa, vtrùm sit practica, vel speculatiua; tum respectu aliarum scientiarum, vtrùm sit ad illas necessaria, & earum demonstrationes conficiat. Primum, & præcipuum in hoc articulo discutiendum suscipimus; pro quo.

Nota scientiam diuidi in speculatiuam, & practicam. Speculatiua est, quæ ad solam veritatis cognitionem tendit. Practica verò, quæ ad opus extenditur. Prima respicit veritatem, vt sciat, secunda, vt operetur. Seu speculatiua scit, vt sciat; practica scit, vt operetur. Sed quia ipsa speculatio est aliquod opus, ideo acutè discernendum est, nec censenda est scientia practica eo, quòd ordinetur ad tale opus, quod sit speculatio. D. Thomas 1. p. q. 14. ar. 16. assignat discrimen scientiæ speculatiuæ à practica ex tribus. Primò ex obiecto, quia scientia dicitur practica, si sit de re operabili, seu, vt vocat

Ioannes à S. Thoma, de re practicabili. 2. Ex modo, quia ſcientia practica procedit compoſitiuè applicando ſuas cognitiones ad aliquod opus. 3. Ex fine, quia non ſiſtit in ſola ſpeculatione veritatis, ſed vlteriùs tendit ad opus, quod non eſt ſpeculatio. Hoc poſito

Tot ſunt ſententiæ, quod modis quæſtio ſolui poteſt. Quidam tenent Logicam eſſe totam practicam. Hæc ſententia communis eſt inter Recentiores extra D. Thomæ ſcholam. Quidam verò tenent eſſe totam ſpeculatiuam. Ita omnes Thomiſtæ cum D. Thoma, Scotiſtæ, & plures alij.

Quidam vtuntur iudicio Salomonis; eam enim diuidunt in duas partes, quarum vna ſit ſpeculatiua, & altera practica. Quidam demum fatentur eſſe ſimplicem qualitatem; dicunt tamen in ſua ſimplicitate continere rationem ſpeculatiui ſimul, & practici, vt communiter dicitur de Theologia. Sed hi nimium ancillam ſcientiarum efferunt; cùm illi tribuant, quod ſolius Theologiæ ſcientiarum reginæ proprium eſt.

Dico primò, Logica non eſt partim ſpeculatiua, partim practica.

Probatur facilè: nam Logica, ſicut & omnis ſcientia, eſt vnica ſimplex qualitas; ergo non poteſt diuidi in partes, quarum vna ſit practica, & alia ſpeculatiua. Conſequentia patet. Antecedens verò probabitur in Metaphaſica, vbi generaliter oſtendemus, quamlibet ſcientiam eſſe vnum ſimplicem habitum, nec componi ex pluribus partialibus.

Dico 2. Logica non eſt ſimul eminenter practica, & ſpeculatiua. Concluſio eſt D. Thomæ 1. p. q. 1. art. 4. Vbi apertè, aſſerit in ſcientijs naturalibus alias eſſe ſpeculatiuas, & alias practicas, ita vt formalitas ſpeculatiui, & practici in illis ſeparetur in Theologia verò ſimul vniatur.

Probatur ratione; nam obiectum finis, & principia ſcientiarum naturalium non poſſunt ſimul eſſe practica, & ſpeculatiua; ergo nec ipſa ſcientia naturalis poteſt vtrumque in ſe ipſa vnire: conſequentia patet. probatur antecedens: Nam ſcientiæ naturales reſpiciunt res limitatas, in quibus vtraque iſta formalitas practicabilis, & ſpeculabilis nequit ſimul colligi; ſiquidem proprium ſolius Dei eſt, vt ſit ſimul prima veritas, ac proinde ſpeculabilis, & prima regula morum, ac proinde congruum ſcientiæ practicæ obiectum. Et confirmatur; quia, quæ ſunt vnita in ſuperioribus, ſunt diuiſa in inferioribus. Ergo quamuis ratio pra-

ctici, & speculatiui vniantur in Deo, & in Theologia, attamen diuiduntur in aliis obiectis, & scientiis inferioribus.

Dico 3. Logica est tota speculatiua. Difficultatis pondus totum incumbit in hanc conclusionem, quæ ideo accuratiùs probari debet, & defendi. Vnde

Probatur primò ex D. Thoma pluribus in locis, vt 1.2. q.57. art.3. ad 3. *In speculabilibus*, inquit, *est aliquid per modum operis, vt constructio syllogismi, & quicumque habitus speculatiui ad eiusmodi opus ordinantur, dicuntur per similitudinem artes* (intellige liberales.) Item 2. 2. quæst. 51. art. 2. dicit, *quòd in speculabilibus alia rationalis scientia est dialectica, & alia demonstratiua*. D. Augustinus etiam 8. de Ciuit. Dei c. 4. annumerat Logicam inter speculatiuas scientias.

Probatur 2. ratione facili, & euidenti: facultas discurrendi, seu Logica, est tota propter speculationem; ergo est tota speculatiua. Probatur antecedens: est enim tota propter definitionem, diuisionem, & argumentationem; sed definitio, diuisio, & argumentatio sunt speculationes; ergo Logica est tota propter speculationem. Maior est certa. Probatur minor: tunc enim censemur speculari, quando definimus, diuidimus, aut argumentamur; & aliæ scientiæ speculantur sua obiecta, in quantùm circa illa argumentantur.

Probatur 3. Ex fine ipsius Logicæ Scientia censetur speculatiua, quæ habet pro fine ipsum scire, & fugare ignorantiam, vt dicit Aristoteles 1. Metaph. c. 1. sed Logica habet pro fine ipsum scire, & fugare ignorantiam; ergo est speculatiua. Probatur minor: modus sciendi, inuentus ad hoc, vt ratio dirigatur in acquisitione scientiarum, habet tantùm pro fine ipsum scire, & fugare ignorantiam: sed Logica est modus sciendi inuentus, ne ratio erret in speculando, & acquirendo scientias; ergo habet pro fine ipsum scire, & fugare ignorantiam.

Probatur 4 ex materia, & obiecto formali Logicæ: scientia, quæ habet pro materia, & obiecto aliquid purè speculabile, non est practica; sed tota speculatiua: atqui Logica habet pro materia, & obiecto formali aliquid purè speculabile; ergo est tota speculatiua. Probatur minor; nam materia Logicæ sunt res cognitæ; obiectum verò formale est ordo artificiosus, quem ratio apprehendit in rebus cognitis, ipsas formando in modum syllogismi, aut definitionis: sed illa materia, & ille ordo est aliquid tantùm speculabile; ergo materia,

teria, & obiectum formale Logicæ est aliquid purè speculabile: Probatur minor; tum quia talis ordo rerum cognitarum totus consistit in apprehensione, & speculatione rationis; tum quia omnes scientiæ versantur circa res cognitas in modum Syllogismi ordinatas; ergo tales res, & talis ordo non est aliquid practicabile, sed potiùs speculabile, aliàs omnes scientiæ essent practicæ. Et confirmatur vrgentissima ratione; nam maxima pars rerum, quæ tractantur in Logica, solent etiam ab aduersarijs tractari in Metaphysica: Et econtrà, plura, quæ sunt propria Metaphysicæ, tractantur in Logica; ergo signum est, res, de quibus tractat Logica, esse speculabiles, cùm sint communes Metaphysicæ, quæ est perfectissimè speculatiua.

Probatur 5. Ex principijs, & modo procedendi Logicæ: ex principijs quidem; nam principia Logicæ sunt speculatiua; siquidem ipsis vtimur in scientijs etiam speculatiuis, vt dicit D. Thomas 1. Post Probamus enim bonitatem consequentiæ purè speculatiuæ per illa principia: dici de omni, dici de nullo; & alia eiusmodi, quibus innititur Logica. Modus etiam procedendi Logicæ est speculatiuus; nam ens rationis, seu dispositio artificiosa rerum cognitarum non fit per transpositionem localem, sicut dispositio domus; sed per speculationem, concipiendo in rebus ordinem rationis. Vnde ipsa factio syllogismi est quædam speculatio: ergo modus procedendi Logicæ conuincit ipsam esse speculatiuam.

Probatur tandem 6. Logica non respicit praxim; ergo non est practica. Probatur antecedens. Operationes intellectus non sunt praxes: sed Logica ordinatur ad operationes intellectus; ergo non ordinatur ad praxim. Minor patet. Probatur maior: nam praxis definitur, operatio alterius potentiæ ab intellectu ellicita conformiter ad rectam rationem; vnde commune fert axioma ex Aristotele, & D. Thoma depromptum. *Intellectus extensione fit practicus*, id est, dum respicit actus aliarum potentiarum. Adde demum, quòd si operatio intellectus esset praxis, omnes scientiæ essent practicæ, cùm earum actus sint actiones intellectus.

Obijcies primò: Aristoteles, & D. Thomas diuidendo scientias speculatiuas nullam faciunt mentionem Logicæ; ergo non eam agnoscunt, vt speculatiuam.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: nam etiam enumerando scientias practicas, nullam faciunt men-

tio-

tionem Logicæ; ergo non est practica.

Respondeo 2. in his locis, quæ referunt aduersarij. Aristotelem solùm diuidere scientias principales. Vnde Logicam, quæ est solùm ministra speculatiuarum, vt ait D Thomas, omittunt. Adde, quòd teste Laertio, Aristoteles duplicem fecit Philosophiæ partem. Actionis vnam, contemplationis alteram; contemplatiuam verò diuisit in Physicam, & Logicam.

Obijcies 2. obiectum Logicæ est quid practicum, ergo & ipsa Logica. Probatur antecedens: obiectum practicum, ex Aristotele, est *aliquid contingens operabile à nobis*: sed obiectum Logicæ est aliquid contingens operabile à nobis; ergo est practicum,

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, distinguo maiorem: obiectum practicum est contingens operabile à nobis, operatione, quæ non sit speculatio actualis, concedo; operatione, quæ sit ipsa speculatio actualis, nego. Ens autem rationis, quod est obiectum Logicæ, fit per operationem, quæ est pura speculatio; fit enim cognoscendo; imò totum in cognitione, & speculatione consistit.

Obijcies 3. Scientia, quæ tendit ad opus, est practica; sed Logica tendit ad opus; ergo est practica.

Respondeo distinguendo maiorem: scientia quæ tendit ad opus intra intellectum, nego; ad opus extra intellectum, concedo; & distinctione applicata minori, nego consequentiam. Opus enim quòd fit intra intellectum, vt iam dixi, v. g. definitio, diuisio, & argumentatio, est mera speculatio. Vnde ex eo quòd scientia tendat ad opus intra intellectum factum, non est censenda practica.

Instabis: opus intellectus potest esse praxis; ergo scientia, quæ tendit ad opus intra intellectum, potest esse practica: Probatur antecedens: praxis est executio regularum, & applicatio illarum ad vsum: sed opus intellectus potest esse executio, & applicatio regularum; ergo potest esse praxis.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: praxis est executio, & applicatio regularum practicabilium, concedo; regularum speculabilium, nego. Regulæ autem logicales non sunt practicæ, id est, operis cuiusdam faciendi, sed sunt speculatiuæ, id est, sunt regulæ bene speculandi.

Vrgebis: Actus intellectus potest esse executio regularum etiam practicarum: ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: actus prudentiæ est actus intellectus: sed

actus prudentiæ est executio regularum practicarum; scilicet regularum moralium; ergo actus intellectus potest esse executio regularum etiam practicarum.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo maiorem: actus prudentiæ est actus intellectus, solius, nego; vt habet adiunctam voluntatem, & se extendit ad ipsam regulandam, concedo. Prudentia enim est virtus perficiens intellectum in ordine ad voluntatem; & ad bene viuendum: vnde actus eius est practicus, quia tendit ad aliquid extra intellectum; sed Logica perficit intellectum in ordine ad se tantùm, & ad bene speculandum.

Dices: etiam syllogismus non fit ab intellectu solo; sed vt habet adiunctam voluntatem; ergo nulla disparitas. Probatur antecedens: nam nemo format syllogismum, nisi velit.

Respondeo distinguendo antecedens: syllogismus fit ab intellectu, vt habet adiunctam voluntatem, purè applicantem ad opus, concedo: vt habet adiunctam voluntatem specificantem ipsum opus, nego. Id est, vt intellectus argumentetur, debet quidem applicari à voluntate; attamen voluntas ipsa non dat speciem syllogismo; nam, siue bona, siue mala voluntate argumentemur, modò seruemus regulas, syllogismus erit bonus. Vnde vides, quòd syllogismus non dependet à voluntate, nisi applicatiuè. Hoc autem non impedit, quin sit opus merè speculatiuum; omnis enim speculatio dependet hoc modo à voluntate; nihil enim possumus speculari, nisi velimus.

Dices adhuc: quidam syllogismi sunt praxes; ergo Logica ordinatur ad praxim. Probatur antecedens: nam syllogismus operatiuus, quem facit omnis, qui deliberat de aliquo faciendo, & de quo dicit Aristoteles, peccatores paralogizari, id est, malè argumentari; bonos verò bene argumentari, sunt merè practici; ergo saltem respectu illorum Logica erit practica.

Respondeo talles syllogismos non esse logicales, sed prudentiales. Constant enim bona intentione, tanquam maiori, bona deliberatione, tanquam minori, & bona electione, tanquam consequentia. Vnde non pertinent ad Logicam, sed ad prudentiam: ideoque fieri potest, vt pessimus Logicus, tamen bene argumentetur in istis syllogismis, si tamen aliunde sit bonus vir; vnde nego consequentiam.

Obijcies 4. syllogismi etiam logicales ordinatur ad aliquid practicum; ergo sunt practici. Probatur antecedens;

cedens, nam syllogismi ordinantur non solùm ad scientias speculatiuas; sed etiam ad practicas; ergo, ordinantur ad aliquid practicum.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo; syllogismus ordinatur ad scientias practicas, reduplicatiuè, vt practicæ sunt, & aliquid operantur, nego; præcisè vt scientiæ sunt, & aliquid speculantur, concedo: scientia enim practica primò speculatur, deinde procedit ad operationem; Logica autem, & syllogismus ipsi deseruit tantùm ad speculandum. Quod vero illam speculationem vltrà referat ad opus, est extra iura Logicæ, nec de hoc curat Logica.

Obijcies 5. scientia speculatiua debet sistere intra sui obiecti speculationem; sed Logica non sistit intra sui obiecti speculationem; ergo non est speculatiua. Probatur minor; nam Logica ordinat speculationem suam ad obiecti confectionem; ideo enim discimus regulas argumentandi, vt de facto argumentemur.

Respondeo, transeat maior (non enim de ratione scientiæ est, saltem instrumentalis, qualis est Logica, vt non ordinet suum obiectum ad aliud) & nego minorem. Ad probationem distinguo: Logica ordinat speculationem sui obiecti ad eius confectionem, quæ sit praxis, nego; quæ sit etiam exercita eiusdem obiecti speculatio, concedo. Nam ipsa confectio syllogismi est quædam actualis eius speculatio, cùm fiat speculando: scientia autem non desinit esse speculatiua ex eo, quòd suam speculationem referat ad aliquid aliud, quod sit etiam speculatio.

Instabis: actualis confectio syllogismi, esto sit quædam speculatio: attamen non est speculatio regularum Logicalium; ergo erit earum praxis.

Respondeo ex dictis: confectionem syllogismi non esse quidem regularum speculationem, sed speculatiuam earum executionem; vnde nego consequentiam.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm Logica sit ad alias Scientias necessarias.

Explicuimus præcedenti articulo qualis sit Logica in se considerata; nunc quæritur qualis sit comparata ad alias scientias: An scilicet ad illas sit necessaria; pro quo duo notanda sunt. Primò necessarium esse duplex: necessarium simpliciter, & necessarium secundùm quid. Necessarium simpliciter dicitur, sine quo

res haberi nequit; sic respiratio est necessaria ad vitam; gratia ad salutem; oculus ad videndum. &c. Necessarium secundùm quid est, sine quo res haberi quidem potest; sed non ita facile; vt equus est necessarius ad iter, vestis, & domus ad vitam; perspicilla seni ad videndum.

Notandum 2. scientiam posse dupliciter haberi: primò in statu perfecto; secundò in statu imperfecto. Scientia in statu perfecto est exacta notitia rerum etiam difficiliorum circa aliquod obiectum, ita vt quis possit resoluere suam notitiam vsque ad prima principia per se nota, & eam contra omnes defendere. Scientia verò in statu imperfecto est rudis cognitio rerum faciliorum per aliquam facilem demonstrationem acquisita; vt si quis sciat circulum esse rotundum per istam demonstrationem: Rotundum est, cuius partes æqualiter à centro distant: sed partes circuli æqualiter à centro distant; ergo circulus est rotundus. Hoc posito. Triplex est sententia; duæ extremæ, & vna media. Prima tenet Logicam acquisitam esse quidem vtilem, non tamen necessariam simpliciter ad scientias perfectè acquirendas. Secunda ècontra, dicit eam esse simpliciter necessariam ad scientias etiam imperfectè acquirendas; ita vt sine Logica ne quantulacumque scientia possit acquiri. Et hæc sententia fortè aliquid veri habet, si sumat Logicam acquisitam pro quocumque lumine aduentitio circa res Logicales; Nam omnem etiam imperfectè scientem oportet aliqualiter scire bonitatem consequentiæ argumenti, per quod conuincitur. Quia tamen non sumitur hic Logica acquisita in isto rigore pro qualicumque notitia rerum logicalium, sed pro ea, quæ acquiritur, dum ex professo aliquis examinat res logicales, & per quam distinctè, & scientificè tenet regulas, ac principia artificij syllogistici; ideò media sententia vult eiusmodi notitiam regularum, & principiorum Logicæ esse quidem simpliciter necessariam ad scientias in statu perfecto acquirendas, non tamen in statu imperfecto. Pro resolutione.

Dico primò: Logica acquisita est simpliciter necessaria ad scientias in statu perfecto com parandas; ita vt sine Logica nulla prorsùs scientia in statu perfecto haberi possit.

Probatur 1. conclusio authoritate D. Thomæ Opusc. 70. vbi dicit, quòd necessitas exigit, vt incipiamus à Logica: quia ab illa aliæ dependent: *Hæc enim*, vt

inquit

inquit 1. Post. *Ordinatur ad hoc, vt facilè, promptè, & sine errore procedamus.* Vnde Augustinus de Logica inquit, *quòd sola scientes facere potest*, & Plato, *quòd sine ea verum perfectè attingi non potest.* Vnde, vt notat Arist. primi Græciæ Philosophi, quamuis acutissimi ingenij in pluribus errauerunt defectu Logicæ.

Probatur 2. ratione: Facultas perfectè discurrendi est necessaria ad scientias perfectè acquirendas: sed Logica est facultas perfectè discurrendi; ergo est necessaria ad scientias perfectè acquirendas. Maior patet: nam scientiæ acquiruntur in statu perfecto per discursus perfectos. Minor verò declaratur: nam Logica naturalis est facultas imperfectè solùm discurrendi, ideoque indiget perfici à Logica acquisita, vt perfectè discurrat.

Confirmatur ex Alberto Magno: qui enim ignorat Logicam, nescit se scire; ergo non est perfectè sciens. Probatur antecedens; quia sine Logica non potest clarè, & distinctè probare bonitatem suarum demonstrationum, & ostendere euidenter consequentiam rectè sequi ex præmissis; ergo nescit se scire, id est suas demonstrationes esse bonas.

Dico 2. Logica non est simpliciter necessaria ad scientias in statu imperfecto aquirendas. Conclusio est communis inter Thomistas, & alios.

Probatur facilè: tum authoritate D. Thomæ, & Aristotelis, qui dicunt, quòd opus artis aliquando fit sine arte per solam naturam, quamuis imperfectè. Sic aliquis architecturæ nescius, potest rudem casam componere; & artis equestris ignarus nonnunquam equum ad numeros inflectit; ergo etiam Logicæ ignarus poterit aliqualem demonstrationem condere, vt, v. g. istam: Omne vitium est fugiendum: sed iniustitia est vitium; ergo iniustitia est fugienda, aut alias similes. Tùm etiam probatur ratione: nam facultas naturalis discurrendi sufficit ad facilia: ergo per eam sine Logica artificiali possumus aliquid facile in scientijs addiscere, scilicet primas, & notiores demonstrationes. Vnde saltem ipsa Logica acquisita per solam naturalem comparata est.

Obijcies contra primam conclusionem: Plures didicerunt scientias etiam perfectè sine Logica artificiali, vt Hipocrates Medicinam, Ægyptij Mathematicas, antiqui Hebræi, & Chaldæi scientias omnes; ergo Logica non est necessaria ad scientias perfectè acquirendas. Adde prætereà, quòd Patres culpant Logicam,

præcipuè Aristotelis, imò D. Ambrosius, vt refertur, dicebat: *à Logica Augustini libera me Domine*.

Respondeo. Vel illos antiquos dialecticæ non fuisse ignaros, quamuis eam sub al ia forma discerent, quàm nunc soleamus; vel si qui inter illos Logicæ prorsus expertes fuerunt, alias quidem scientias tenere poterant, quantùm ad ipsa documenta, & experientias, non tamen quantùm ad certitudinem, & formam scientificam. Vnde, vt diximus grauissimè decipiebantur. Ad secundum respondeo, Patres relatos non culpare Logicam; sed eius abusum, præcipue, in parte, sophistica, qua sæpe vtuntur Hæretici ad impugnandam veritatem fidei. Et sanè patet, quod Logica, quantùm in August. infideli fuit molesta veritati, tantùm in Augustino fideli veritatem contra Hæreticos adiuuit.

Obijcies secundò, Logica est scientia; sed acquiritur perfectè sine se ipsa; ergo aliæ scientiæ possunt etiam acquiri perfectè sine Logica.

Respondeo negando paritatem: nam Logica est facultas benè discurrendi; vt autem aliquis addiscat facultatem bene discurrendi, non est necesse, vt eam priùs teneat, Siquidem nemo debet præscire quæ addiscit. At verò aliæ scientiæ non docent bene discurrere: vnde, vt quis in illis bene discurrat, debet priùs tenere facultatem bene discurrendi, scilicet Logicam. Ideoque Aristoteles dicit; *Absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi.*

Respondeo secundò, quibusdam etiam gradibus Logicam præsupponi ad se ipsam: nam Logica naturalis iuuat ad artificialem imperfectam; & artificialis imperfecta conducit ad perfectam.

Obijcies tertiò, sine Logica fieri potest demonstratio perfecta; ergo & acquiri scientiam perfectam.

Respondeo ex dictis distinguendo antecedens: in materia facili, concedo; in materia difficili, nego. Non autem aliquis censetur perfectè sciens, eò quòd habeat demonstrationem perfectam de rebus faciliotibus.

Respondeo etiam secundò distinguendo idem antecedens: sine Logica potest fieri demonstratio perfecta in se, concedo; perfecta respectu demonstrantis, nego. Tunc enim demonstratio censetur perfecta, quando ipse demonstrans clarè potest ostendere bonitatem consequentiæ, quòd sine Logica fieri non potest.

Instabis: Ergo omnes aliæ scientiæ dependent à Lo-

Logica; quæ proinde nobilior est cæteris.

Respondeo distinguendo antecedens: dependent à Logica, quantùm ad materiam, nego; quantùm ad formam syllogisticam, concedo. Quia verò forma syllogistica est solùm quædam forma instrumentalis, & materia est præcipuum in scientijs, ideò non dicuntur dependere à Logica, tanquam à principaliori inter scientias, sed solùm tanquam à ministra necessaria.

Obijcies vltimò contra secundam partem: sola Logica docet facere demonstrationes; ergo nec minima demonstratio potest fieri sine illa, nec proinde scientia etiam imperfecta acquiri.

Respondeo distinguendo consequentiam: nec minima demonstratio sine Logica fieri potest perfectè, & artificiose, concedo; naturaliter, & imperfectè, nego. Nam ad faciliora sufficit naturalis Logica, vt iam diximus.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm Logica conficiat demonstrationes aliarum Scientiarum.

DEmonstratio, vt magis infrà dicetur, est syllogismus scientificus, id est, in materia necessaria certò, & euidenter inferens conclusionem. De tali syllogismo, dum formatur in materia aliarum scientiarum, quærimus, vtrùm fiat à Logica, vel potius ab alijs scientijs. Authores, etiam Thomistæ diuisi sunt. Alij putant omnes syllogismos fieri à Logica in quacumque materia, & in quacumque scientia formentur. Alij econtrà tenent, quamlibet scientiam conficere suos syllogismos, sub directione tamen Logicæ, quæ præscribit regulas, quas aliæ scientiæ disputando exequuntur. Fortè vtraque sententia conciliari potest: vnde, vt difficultas resoluatur.

Tria distinguenda sunt in syllogismo demonstratiuo; Materia, circa quam versatur talis syllogismus; Forma, seu ordo syllogisticus in materia illa introductus; & tandem Assensus, quibus adhæremus veritati rerum in modum syllogismi dispositarum, qui assensus sunt tres, maioris, minoris, & consequentiæ. Sic in ista demonstratione physica: Omne subiectum contrarijs est corruptibile: sed omnia sublunaria subjacent contrarijs; ergo omnia sublunaria sunt corruptibilia: Materia sunt res naturales, de quibus procedit, scilicet, *sub-*

luna-

Innaria, corruptibilia, & subiecta contrarijs. Forma est ipse ordo syllogisticus in illis rebus apprehensus: & actus, quibus admittimus maiorem, minorem, & consequentiam, dicuntur Assensus, contingit autem hic æquiuocatio; nam aliquando demonstrationis nomine intelliguntur ipsi assensus, quibus adhæremus præmissis, & conclusioni; aliquando verò demonstratio dicitur ordo syllogisticus in tali materia introductus; quæ distinctio exactè consideranda est, & deseruire potest ad conciliandas opiniones suprà relatas; vnde.

Dico primò, in materia aliarum scientiarum, assensus, quibus adhæremus præmissis, & conclusioni non sunt effectiuè à Logica; sed ab illa scientia, ad quam pertinent obiecta talium assensuum. Vnde, si demonstratio sumatur pro tribus illis actibus, quibus adhæremus maiori, minori, & consequentiæ, non est effectiuè ab ipsa Logica.

Probatur euidenter: Assensus enim sunt effectiuè ab illo habitu, qui eos elicit: sed quælibet scientia elicit suos assensus; ergo assensus cuiuslibet scientiæ sunt effectiuè ab illa, ac proinde non sunt à Logica; siquidem idem actus non potest elici à duobus habitibus.

Confirmatur: Tum quia nulla scientia fertur extra suum obiectum: sed tales assensus sunt extra obiectum Logicæ; ergo non possunt ab illa elici. Tùm quia quilibet habitus producit actus similes illis, per quos productus est; sed assensus aliarum scientiarum non producunt habitum Logicæ; ergo non possunt elici ab habitu Logicæ.

Dico secundò, forma syllogistica etiam in materijs aliarum scientiarum fit ab ipsa Logica. Vnde, si per nomen demonstrationis intelligatur ipsa forma syllogistica, seu dispositio artificiosa materiæ demonstratiuæ, dicendum erit, omnem demonstrationem, quantùm ad hoc, esse à Logica.

Probatur primò, conclusio authoritate D. Thomæ Op. 70. q. 5. art. 1. vbi expressè docet, Logicam ministrare omnibus scientijs instrumenta sciendi. Hæc autem ministratio intelligi non potest, nisi in quantùm Logica est, quæ disponit materiam omnium scientiarum in formam syllogismi. Vnde communiter Logica dici solet organum, seu instrumentum; & ministra scientiarum, in quantùm ad eam spectat artificiosè disponere materias scentificas, vt meliùs attingi possint à suis habitibus.

Probatur secundò ratione; Forma syllogistica fit ab

ab illo habitu, cuius est artificiosè ordinare res cognitas: Atqui solius Logicæ est artificiosè ordinare res cognitas; ergo sola Logica facit in alijs scientijs formam syllogisticam. Maior euidens est. Minor verò duo dicit: Primò quod ad Logicam pertineat artificiosè ordinare res cognitas. Secundò quòd hòc ita proprium sit Logicæ, vt ad alias scientias non spectet. Et quidem, quantùm ad primum patet: quia ipsa Logica definitur facultas bene discurrendi, id est, bene ordinandi res in modum discursus. Secundum verò, quod scilicet aliæ scientiæ non possint artificiosum illū ordinem conficere, in quo punctum difficultatis est, probatur: nam talis artificiosa ordinatio solùm fieri potest ab illo habitu, qui nouit eiusmodi artificium syllogisticum: sed aliæ scientiæ non cognoscunt tale artificium; ergo non possunt ipsum efficere. Maior patet; quia, vt dicit Aristoteles, *Solius sapientis, & scientis est ordinare*. Minor verò declaratur: nam artificium syllogisticum, cùm sit ens rationis, non pertinet ad obiecta aliarum scentiarum, sed solius Logicæ.

Confirmatur primò. Artificiosus ille ordo pertinet ad illum habitum solum, qui facilitat intellectum ad ipsum attingendum: sed sola Logica facilitat intellectum ad ordinem syllogisticum attingendum; ergo solùm pertinet ad Logicam. Maior patet: nam intantū aliquid pertinet ad habitum, inquantùm ille habitus nos facilitat ad illud attingendum, Minor verò probatur: quia tota difficultas ordinis syllogistici consistit in cognoscendo, & sciendo regulas, sicut suprà fusè ostendimus: sed sola Logica cognoscit, & scit regulas ordinis syllogistici; ergo sola facilitat intellectum ad talem ordinem attingendum.

Confirmatur secundò. Nulla scientia se extendit vltra sphæram suorum principiorum; vt enim inquit D. Thomas, *tota scientia continetur virtualiter in suis principijs, sicut tota arbor in suo semine:* Sed cognitio ordinatiua rerum in modum syllogismi est extra principia aliarum scientiarum, & solùm continetur in principijs logicalibus; ergo ad illam cognitionem ordinatiuam, & fabricatiuam syllogismorum non se extendunt aliæ scientiæ. sed sola Logica.

Respondebis ad hæc omnia, formam syllogisticam, vt cognoscendam pertinere quidem ad Logicam tantùm; attamen, vt executioni mandandam posse pertinere ad alias scientias. Sed

Con-

Contra: nam talis executio, & applicatio formæ syllogisticæ fit cognoscendo ipsum siquidem, vt sæpe diximus, facere formam syllogisticam nihil aliud est, quàm illam apprehendere in aliqua materia; ideoque dicitur ens rationis, quia tota consistit in cognitione, & apprehensione rationis; ergo cognitio, & executio formæ syllogisticæ pertinent ad eundem habitum Logicæ, qui facilitat intellectum non modò ad cognoscendam in communi formam syllogisticam, sed etiam ad illam concipiendam in quacumque materia. Vnde, si quis defectus contingat circa formam syllogisticam in alijs scientijs, statim recurritur ad tribunal Logicæ, quæ discutiat, & examinet talem formam, eamque corrigat, & reformet. Eiusdem autem habitus est ordinare, & corruptum ordinem reformare.

Obijcies 1. D. Thomas expressè dicit 4. Metaph. lect. 4. *quòd in parte demonstratiua, sola doctrina pertinet ad Logicam; vsus verò talis doctrina pertinet ad alias scientias*; ergo aliæ scientiæ conficiunt formam syllogisticam vtendo regulis Logicæ.

Respondeo D. Thomam, vt ex textu constat, non loqui de illo vsu, qui consistit in confectione formæ syllogisticæ, hunc enim vsum semper attribuit Logicæ, vt suprà ostendimus; sed loquitur de alio vsu, qui consistit in subministratione medij. Certum est autem, quòd licèt Logica subministret media syllogismorum probabilium; attamen non suggerit alijs scientijs media demonstrationum: sed quælibet scientia habet sua media, & sua principia, quibus probet proprias conclusiones. Et ideò D. Thomas dicit illum vsum, qui consistit in subministratione mediorum, non pertinere ad Logicam in alijs scientijs. Cæterùm illum vsum, qui consistit in confectione formæ syllogisticæ, dixerat alibi pertinere ad Logicam.

Obijcies 2. Conficere formam syllogisticam nihil aliud est, quàm cognoscere obiecta in modum syllogismi disposita; sed quælibet scientia cognoscit sua obiecta in modum syllogismi disposita; ergo conficit suam formam syllogisticam.

Respondeo distinguendo maiorem: conficere formam syllogisticam est obiecta in modum syllogismi disposita cognoscere, cognitione, quæ sit ordinatiua talium obiectorum, concedo; cognitione, quæ sit tantùm apprehensiua veritatis rerum in modum syllogismi dispositarum, nego. Et ad minorem: quælibet scientia cognoscit sua obiecta in modum syllogismi dispo-

dispofita, cognitione ordinatiua talium obiectorum, nego; cognitione solùm apprehensiua veritatis obiectorum in modum syllogismi dispositorum, concedo. Et nego consequentiam. Explicatur: in quolibet syllogismo demonstratiuo, duæ sunt cognitiones, scilicet: cognitio ordinis syllogistici, & cognitio veritatis rerum in modum syllogismi dispositarum. Prima cognitio est propriè confectiua formæ syllogisticæ, & pertinet ad Logicam, cuius est facilitare intellectum, vt apprehendat, & cognoscat in rebus ordinem syllogisticum. Secunda cognitio, scilicet veritatis rerum in modum syllogismi ordinatarum non est confectiua formæ syllogisticæ, sed solùm apprehensiua veritatis obiectorum; & hæc pertinet solùm ad alias scientias.

Obijcies tertiò. Si Logica conficeret demonstrationes aliarum scientiarum, sola esset scientia. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur sequela: quia pertinet ad scientiam conficere demonstrationes; ergo si sola conficit, sola est scientia.

Respondeo distinguendo maiorem: si sola Logica conficeret demonstrationes aliarum scientiarum, quantùm ad formam syllogisticam; disponendo solùm materiam, nego; si conficeret, quantùm ad ipsos actus, concedo. Demonstratio enim propriè dicitur pertinere ad illam scientiam, quæ elicit ipsos actus, per quos adhæremus ipsi veritati rerum in modum syllogismi ordinatarum, non verò ad illam scientiam, quæ solùm disponit, & præparat materiam demonstratiuam, vt sit congruum obiectum habitus scientifici. Et hæc sufficiant circa quæstionem præambulam de natura Logicæ. Quæ enim aliqui prematurè disputant circa ens rationis in communi, ad Metaphysicam, veluti ad proprium locum remittimus.



PRIMA



PRIMA PARS LOGICÆ

De entibus rationis directiuis simplicis apprehensionis.

PROEMIVM.



SIMPLEX apprehensio, vt sæpe diximus, est illa mentis operatio, quæ nudo intuitu res ita percipit, vt nihil de illis neget, vel affirmet: res autem, quæ sic apprehenditur, vocatur conceptus obiectiuus, seu terminus mentalis: Actio verò, quæ rem sic apprehendit, dicitur conceptus formalis. Quæ distinctio conceptus obiectiui, & formalis exactè obseruanda est, vtpote satis frequens in hac parte. Terminorum autem alij sunt vniuersales, alij singulares. De singularibus nihil dicendum occurrit: quia de illis non datur scientia: vnde tota huius partis cura est circa terminos vniuersales; de quibus duo explicanda occurrunt: 1. vniuersalitas ipsa; 2. distinctio rerum vniuersalium in decem classes, seu Prædicamenta. Vnde istam partem diuidimus in duas disputationes; quarum prima erit de Vniuersalibus; secunda de Prædicamentis.

DISPVTATIO PRIMA
De Vniuersalibus.

TRactatus vniuersalium inscribi solet *Isagoge Porphyrij*: eò quòd primus illum præmiserit Porphyrius per modum introductionis seu isagoges ad prædicamenta Aristotelis. Fuit autem Porphyrius natione Phœnix; religione primò quidem Christianus, sed deinde Apostata; professione Philosophus; secta Platonicus, Platoni discipulus, Origenis verò condiscipulus. Vixit sub Diocletiano circa annum 280. Multa scripsit, quædam impiè contra fidem, quam eiurauerat,

& quæ à sanctis Patribus refutata sunt; quædam superstitiosè de magia, & sacrificijs inanium deorum; aliqua tamen eruditè de Philosophia (quid enim vetat, impium esse in aliquibus eruditum?) Inter alia verò edidit hunc tractatum de vniuersalibus, quem sibi communiter authores explicandum suscipiunt. Circa vniuersalia autem hunc ordinem seruabimus; vt in prima parte agamus de vniuersalibus in communi; in 2. de vniuersalibus in particulari; in 3. de proprietatibus vniuersalium.



QVÆSTIO PRIMA.

De Vniuersalibus in communi.



Vniuersale, vt vox ipsa indicat, est vnum respiciens multa. Tripliciter autem vnum potest respicere multa; scilicet vt causa, vt repræsentatio, & vt natura ipsis communis. Vnde vniuersale est triplex, scilicet vniuersale in causando, in repræsentando, & in essendo. Vniuersale in causando est vnum aptum causare multa; sic Deus, cæli, astra, elementa, &c. sunt vniuersalia in causando. Vniuersale in repræsentando est vnum repræsentans multa; vt idea artificis plures repræsentat domos; species intelligibiles Angelorum plures naturas repræsentant; nomen commune plures etiam res significat. Vniuersale in essendo est vnum aptum inesse multis, seu vnum aptum prædicari de multis: sic natura humana, est in multis, & prædicatur de multis. Prima definitio est essentialis; secunda verò descriptiua; quia esse in multis est essentia vniuersalis in essendo: dici verò de multis est eius proprietas; nam prædicari sequitur ad esse. Vnde, ex eo quòd aliqua natura reperiatur in multis, sequitur, quòd possit dici de illis.

Solùm hic agetur de vniuersali in essendo; cuius naturam in hac quæstione suscipimus explicandam quatuor articulis, in quorum primo quæretur quibus rebus conueniat vniuersalitas in essendo, in 2. an res sint vniuersales à parte rei, in 3. per quam operationẽ intellectus fiant vniuersales, in 4. quotuplex sit vniuersale.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum natura reales possint esse vniuersales.

IN hac difficultate triplex est opinio; prima Nominalium, qui dicebant solas voces esse vniuersales, res autem significatas per tales voces esse tantum singulares: vnde tenebant, scientias esse solum de vocibus, seu de nominibus; non verò de rebus; ideoque Nominales dicti sunt. Hanc sententiam vocat Anselmus Hæresim Logicæ; dum ait: *Dialectici nostri temporis imò Dialectica Haretici non nisi flatum vocis substantias naturales esse dicunt*. Secunda opinio fuit Platonis, qui posuit quidem præter voces dari naturas vniuersales, sed dixit illas esse quasdam ideas à rebus singularibus separatas, v. g. dixit præter hominem, dari quamdam ideam humanam, cuius participatione formabantur homines; sicuti participatione sigilli eiusdem plures fiunt imagines in cera.

Harum autem idearum dicebat fieri duplicem impressionem; alteram in materia corporali; aliam in mentibus nostris. Dum ideæ imprimebantur materiæ corporali, causabant multitudinem indiuiduorum, sicut multitudo imaginum fit in cera ex impressione sigilli; dum verò ideæ mentibus nostris imprimebantur; rerum omnium scientiam ipsis communicabant. Hanc autem impressionem, dicebat Plato factam fuisse in anima nostra, antequam corpori vniretur: posteà tamen dum immersa fuit corpori, materiæ crassitudine nobilia hæc lineamenta obnubilata fuisse; quæ tamen iterum relucebant per studium, quando contemplationi vacans, anima, veluti eiusmodi carnis nubes discutiebat, sicuti sepulta in puluere imago excusso puluere iterum apparet, vnde dicebat, scientias esse quasdam reminiscentias. Pro veræ sententiæ explicatione.

Dico primo: non solum dantur voces communes; sed etiam naturæ vniuersales per illas voces significatæ.

Probatur primò conclusio authoritate Aristotelis (de mente enim D. Thomæ nemo dubitare potest) Aristoteles enim 1. Periherm. cap. 5. diuisit res in singulares, & vniuersales; sæpe repetit obiectum intellectus esse res vniuersales, & tandem initio Logicę diuisit substantias in vniuersales, & singulares; neque vnquam reprehendit Platonem eò, quod vniuersales naturas poneret.

deret, sed quod eas extra singularia subsistere diceret. 2. Ex communi hominum sensu: nam experimur nos habere generales quasdam notiones naturarum pluribus communicabilium; sicuti est illa notio, quam formamus de natura humana; sentimus enim id, quod à nobis concipitur, & experimitur per istam vocem (homo) esse aliquid commune pluribus: vnde definitio illius rei potest pluribus attribui. 3. Ratione; vniuersale enim est vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis: atqui non solùm voces, sed etiam naturæ per voces significatæ sunt in pluribus, & dicuntur de pluribus; v. g. significatum istius vocis (homo) de Petro, Paulo, Ioanne, &c., ergo non solùm voces, sed etiam naturæ per voces significatæ sunt vniuersales. 4. Nomina vniuersalia differunt à singularibus, quod significent aliquam naturam pluribus communem, proindeque vniuersalem; ergo dantur non solùm voces, sed etiam naturæ vniuersales, per voces significatæ. Confirmatur demum: Nam dantur scientiæ de rerum naturis, v. g. de natura virtutis, de natura febris, &c. sed scientiæ non sunt nisi de vniuersalibus, vt communiter dicitur, ergo dantur naturæ vniuersales. Dicere autem, quòd scientiæ non sunt, nisi de nominibus, videtur omnino absurdum. Nam, dum Medicus disputat de febri, non disputat de illo nomine; sed de re per nomen significata.

Obijcies. Omnis natura, quæ existit à parte rei; est singularis; ergo non datur aliqua natura vniuersalis. Respondeo, distinguendo antecedens: Omnis natura, quæ existit à parte rei, est singularis, essentialiter, & ratione sui, negò; accidentaliter, & ratione indiuidui, in quo existit, concedo: Nam quælibet natura, v. g. hominis, si consideretur præcisò, indiuiduò, id est, non prout est Petri, vel Pauli, sed secundùm id, quod essentialiter ipsi conuenit, non est ampliùs singularis, sed fieri potest vniuersalis, quamuis non existat, neque in indiuiduis reperiatur, nisi affecta singularitate.

Dico 2. Naturæ vniuersales non existunt extra singularia; sed sunt ipsæ naturæ singularium, quæ, dum attinguntur à nobis, non consideratis singularibus, induunt vniuersalitatem, sicuti magis infrà dicetur.

Probatur facilè: Nam, quod est de essentia, & constitutiuo intrinseco singularium, non existit extra singularia: sed naturæ vniuersales, v. g. natura humana est de essentia, & constitutiuo intrinseco singularium; ergo non est extra singularia. Maior patet. Nam essen-

tia cuiuslibet rei debet esse intra rem ipsam. Minor etiam videtur certa; siquidem Petrus est essentialiter homo; ergo natura humana est de essentia Petri. Vnde, vt patet ex D. Thom. Opusc. 55. quamuis darentur naturæ Platonicæ extra singularia subsistentes, attamen non essent vniuersales in essendo; quia de facto non essent in multis: sed solùm essent vniuersales in causando, & repræsentando; quia plura causarent, & repræsentarent. Cæterùm, quantum pertinet ad sententiam Platonis, graues Authores, vt Augustinus, & alij Platonem explicant, dicendo, eum intellexisse ideas, quæ sunt in mente diuina: Sicut enim artifex habet in mente ideam operis faciendi, ita supremus mundi Opifex ab æterno gerit in mente sua ideam creaturarum omnium, vt docent Theologi: vnde Boetius de Deo inquit.

Mundum mente gerit pulchrum pulcherrimus ipse.

Istæ autem ideæ vocantur mundus archetypus, de quo dixit D. Ioannes: *Quod factum est in ipso vita erat*; id est, intelligibiliter, ac proinde vitaliter in Deo præexistebat ab æterno. Et D. Paulus ad Hebr. 10. hunc mundum idealem, & archetypum vocat, sæcula inuisibilia, dum inquit: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*; id est, cùm inuisibili modo in mente Dei existerent; initio temporum in suo esse naturali condita sunt: vnde sequitur naturas rerum triplicem habere statum; scilicet idealem in mente Dei; naturalem in rerum natura; & intelligibilem in mente humana. Naturæ in primo statu, scilicet ideali, sunt superuniuersales, & supersingulares; in se ipsis sunt singulares; in mente humana sunt vniuersales.

Obijcies. Scientiæ non sunt nisi de vniuersalibus, & perpetuis; sed omnia, quæ sunt in mundo materiali, sunt corruptibilia, & caduca; ergo præter ista debent dari quædam naturæ originales, seu quædam ideæ subsistentes, circa quas versentur scientiæ. Respondeo concessa maiore, distinguo minorem. Omnia, quæ sunt in hoc mundo materiali sunt corruptibilia, & caduca, quantùm ad existentiam, concedo; quantùm ad veritatem essentiæ, nego: licèt enim naturæ istæ corporales oriantur, & pereant; ideòque sint corruptibiles, quantùm ad existentiam; attamen si sumantur præcisæ ab indiuiduis, & secundùm habitudines prædicatorum essentialium, vt loquitur D. Thomas 1. p. q. 84. a. 1. ad 3. possunt terminare cognitiones immutabiliter veras, v. g. immutabiliter verum est, omnem febrem esse con-

trariam sanitati; virtutem esse conuenientem homini, &c. vnde hoc modo essentiæ rerum dicuntur secundùm se esse incorruptibiles, & æternæ; sicuti ampliùs explicabitur quæst. 3. sequenti, art. 1.

Solet hic agi de distinctione graduum Metaphysicorum, & eius occasione impugnari opinio Scoti, qui posuit distinctionem aliquam à parte rei actualem inter eiusmodi gradus; v. g. inter animalitatem, & rationalitatem: sed hæc difficultas cùm sit subtilior, commodiùs in Metaphysica discutietur, agendo de vnitate quæst. 2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm natura sit formaliter Vniuersalis à parte rei.

Constat igitur non solas voces, sed etiam naturas ipsas esse vniuersales, quæ tamen non existunt in rerum natura separatæ ab indiuiduis, vt fingebat Plato; sed in ipsis indiuiduis. Nunc quæritur: Vtrùm ipsa vniuersalitas eis conueniat prout sunt à parte rei in ipsis indiuiduis, vel prout sunt in intellectu nostro: sicut quamuis Deus possit esse subiectum, vel prædicatum, attamen ratio prædicati, & subiecti non conuenit ipsi, vt est à parte rei, sed vt est in intellectu. Pro intelligentia difficultatis.

Nota cum D. Thoma de ent., & ess. cap. 4. Naturam posse sumi tripliciter; Primò, vt est in singularibus contracta; Secundò, vt est in intellectu à singularibus abstracta; & tertiò secundùm se, id est, secundùm prædicata essentialia, quæ semper ei conueniunt. Natura enim humana sua prædicata essentialia, scilicet animalitatem, & rationalitatem vbique seruat, siue, vt est in singularibus, siue vt est in intellectu: quia sicut nequit existere sine animalitate, & rationalitate, ita quoque nec à nobis concipi sine illis. Vnde natura dicitur sumi secundùm se, quando sumitur secundùm talia prædicata, quæ semper ipsi conueniunt. Hoc posito.

Duplex est sententia. Prima tenet, naturas esse vniuersales etiam in ipsis indiuiduis, & à parte rei. Attamen diuersimode hanc sententiam explicant illius authores; aliqui enim ponunt eiusmodi vniuersalitatem consistere in similitudine, quam plura indiuidua habent inter se: Scotus verò in eò quòd natura vniuersalis sit

actualiter distincta à natura singulari, v. g. homo à Petro, ideoque, homo, vt in re distinctus à Pettro, est vniuersalis apud Scotum. Communior verò sententia tenet, naturas à parte rei non esse formaliter vniuersales, sed solùm in intellectu ipsas abstrahente à singularibus. Ita omnes Thomistæ, cum quibus.

Dico: natura à parte rei non est formaliter vniuersalis, sed solùm per intellectum. Ita expresse D. Thom. Op. 55. vbi sic habet; *Vniuersale est solùm in anima, & nullo modo in rebus:* Et in Op. de ente, & essentia cap. 4. *Ratio speciei accidit naturæ humanæ, vt est in intellectu.* Vnde Aristoteles, dixit, *vniuersale, aut nihil esse, aut posterius esse:* id est, vniuersalitatem, vel nusquam extare, vel in intellectu quærendam esse; ita explicant Aristotelem Auerroes, & Auicennas, imò ferè omnes interpretes, præter Scotum.

Probatur primò, vniuersale est vnum in multis; sed natura non est vna in multis à parte rei; ergo non est vniuersalis: probatur minor, quod diuiditur in multis, non est vnum in multis; atqui natura humana, v. g. diuiditur in multis, ergo non est vna in multis. Maior patet: quia diuisio tollit vnitatem. Minor probatur: Quod identificatur cum singularibus, diuiditur diuisis singularibus: sed natura identificatur cum singularibus, v. g. homo cum Petro, & Paulo; ergo natura diuiditur diuisis singularibus; ergo sicut quodlibet singulare, licèt sit simile cum alio, est tamen diuisum ab illo, v. g. Petrus à Paulo, ita quoque natura Petri, quamuis sit similis naturæ Pauli, est tamen diuisa ab illa. Vnde natura, v. g. humana non est vna in multis, sed singula in singulis, inquantùm quilibet homo sicut est distinctus ab alio, ita quoque habet naturam distinctam. Sicut dicit D. Th. Op. 42. cap. 7.

Respondet Scotus, naturam esse quidem realiter eamdem cum singularibus, non tamen formaliter actualiter. Et ideò, multiplicatis singularibus, naturam non multiplicari, nec diuidi formaliter actualiter. Sed contra: nam præterquamquòd non datur eiusmodi distinctio, nulla est, vt probabitur in Metaph. q. 2. Adhuc dato, & non concesso, quòd natura humana distingueretur actualiter formaliter à singularibus, attamen diuisis singularibus diuideretur; ergo nulla responsio. Probatur antecedens: nam ad diuisionem rei diuiditur quidquid identificatur realiter cum illa, saltem in creaturis; atqui natura realiter saltem identificatur cum singularibus, ergo ad diuisionem singularium di-

uiditur natura. Vnde nascente, v. g. Petro, nascitur quoque noua natura humana ab omnibus alijs distincta, & diuisa etiam realiter, sicut & ipso moriente, moritur ipsa natura.

Respondet ad hoc Scotus: ad diuisionem singularium diuidi naturam per accidens, & materialiter, non tamen per se, & formaliter; vnde, inquit, semper de se remanet formaliter indiuisa, & proindæ vna. Sed contra: nam ex quocumque capite diuidatur natura Petri à natura Pauli, attamen de facto est diuisa; ergo non manet realiter vna: sicut ex quocumque capite moriatur homo, siue per se, siue per accidens, siue isto, siue illo modo, non manet ampliùs viuus, vnde, sicut absurdum est dicere, Petrus non est mortuus per se, sed solùm per accidens; ergo remanet per se viuus; ita quoque absurdum est dicere, natura non diuiditur per se essentialiter in Petro, & Paulo, sed solùm per accidens, in quantùm reperitur in duobus indiuiduis; ergo remanet per se vna.

Probatur secundò conclusio: vniuersalitas non conuenit naturæ neque secundùm se, neque vt est in indiuiduis; ergo conuenit tantùm ipsi, quatenus est in intellectu: consequentia patet: in his enim tribus modis tantùm potest considerari natura: antecedens probatur: & in primis, quod non sit vniuersalis, secundùm quod est in indiuiduis patet, quia sic est potiùs singularis; ergo non est vniuersalis; quantùm verò ad naturam secundùm se; probatur etiam, quia quidquid positiuè conuenit naturæ secundùm se, conuenit omni habenti naturam, atqui vniuersalitas non conuenit omni habenti naturam, non enim possum dicere, Petrus est vniuersalis, quamuis habeat naturam humanam; ergo vniuersalitas non conuenit naturæ secundùm se.

Probatur tertiò: Quidquid existit à parte rei est singulare: sed nullum singulare est vniuersale; ergo nullum existens à parte rei est vniuersale; ac proinde non datur vniuersalitas à parte rei: Maior patet: vt enim fert commune axioma, *existentia non est nisi singularium*. Minor etiam videtur certa: nam singulare, & vniuersale inuicem opponuntur. Dicere autem, quòd ea, quæ sunt à parte rei, sunt singularia tantùm per accidens, nihil refert, ex quocumque enim capite sint singularia, non sunt vniuersalia, sicut enim non est necesse ad hoc, vt aliquis sit possessor agri, vt illum omnibus titulis possideat, v. g. titulo emptionis, donationis, hæreditatis, primi occupantis, &c. Sed sufficit

vnicus titulus; ita quoque, vt res sint singulares, & non vniuersales, sufficit, vt ex aliquo titulo conueniat ipsis singularitas.

Ex his omnibus constat, naturas esse solùm vniuersales, secundum illum statum obiectiuum, quem habent in intellectu, in quantum scilicet intellectus noster naturas in indiuiduis multiplicatas, diuisas, & dissipatas adunat, formando de illis vnicum conceptum ab omnibus indiuiduis præcisum, qui conceptus est ipsa natura in esse intelligibili, vt magis dicemus in libro de anima; in tali statu natura est vniuersalis, quia est vna respiciens multa; vna quidem, in quantùm excludit diuisiones numericas, v. g. Petreitatem, Pauleitatem; &c. Respiciens etiam multa, in quantùm talis natura potest attribui omnibus indiuiduis, & de illis prædicari. Id declarari potest facili, & sensibili exemplo. Sic enim videmus artificem, cui plurium domorum omnino similium ædificatio incumbit, in mente sua formare vnicam ideam, ad cuius instar omnes illas domos ædificat à parte rei: si consideres domos illas materialiter, vt sunt a parte rei, multæ sunt inter se diuisæ; sed si consideres illas domos, vt sunt idealiter in mente artificis, vnica domus est, in hoc solùm multiplex, quòd cùm sit notio plurium domorum, pluribus attribui potest: Sic natura humana à parte rei est diuisa, & dissipata in plures homines, sed tamen intellectus noster format conceptum vnicum de illa natura, eam præscindendo ab omnibus suis indiuiduis. Natura igitur in tali conceptu, vnica est, & tamen multiplex; quia multis indiuiduis attribui potest; ideoque in tali statu est vniuersalis, non verò in ipsis rebus, & vt est à parte rei.

Obijcies primò: Aristoteles diuisit res, id est, naturas reales in particulares, & vniuersales. Sed respondeo facilè; res ipsas esse vniuersales, non tamen secundùm statum, quem habent à parte rei: Aliud est enim, naturas esse vniuersales, & vniuersalitatem ipsis competere secundùm statum, quem habent à parte rei: Primùm verum est, sed secundum negamus.

Obijcies secundò. Natura est formaliter vna in multis à parte rei; ergo est vniuersalis à parte rei; probatur antecedens: illa natura est formaliter vna in multis, quæ non diuiditur formaliter in multis: sed natura, v. g. humana non diuiditur formaliter in multis; ergo est formaliter vna in multis. Probatur minor: Nam diuisio formalis est diuisio specifica, sicuti diuisio materialis

est

est diuisio numerica: atqui natura, v. g. humana non diuiditur specificè in Petro, & Paulo; ergo non diuiditur formaliter.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo maiorem: Illa natura est vna formaliter in multis, quæ non diuiditur formaliter in multis, est vna vnitate similitudinis, & conformitatis, concedo; vnitate entitatis, nego: Et concessa minori, distinguo consequentiam; ergo natura est formaliter vna in multis, vnitate entitatis, nego, vnitate similitudinis, concedo, id est, natura Petri, & Pauli sunt quidem duæ entitates ab inuicem distinctæ, & diuisæ; vnde nullo modo sunt vnum vnitate entitatis; sed tamen illæ entitates, & naturæ sunt inuicem similes, nec diuersificantur formaliter, & specificè, sicut Petrus, & leo; vnde possunt dici aliquo modo vnum vnitate similitudinis: sed illa vnitas non sufficit ad vniuersale; nam natura, vt sit vniuersalis, non debet esse similis in multis, sed eadem in illis.

Respondeo etiam secundò, distinguendo eamdem maiorem: natura est formaliter vna, quæ non diuiditur formaliter, vnitate positiua, nego; vnitate negatiua, concedo: Vnitas positiua est eadem entitas in se indiuisa; vnitas verò negatiua est solum negatio diuersitatis. Dicimus ergo, quod natura Petri, & Pauli, quamuis non sit diuisa formaliter, attamen non est positiuè vna, quia non ponit eandem entitatem in vtroque; sed est tantùm negatiuè vna, in quantùm, licèt sint duæ entitates, attamen sunt inter se similes specificè; ideòque negant specificam diuersitatem.

Instabis: vnitas est carentia diuisionis, atqui Petrus, & Paulus carent diuisione specifica; ergò sunt vnum vnitate specifica.

Respondeo distinguendo maiorem: Vnitas est carentia diuisionis omnimodæ, & ex quocumque capite prouenientis, concedo: diuisionis aliqualis dumtaxat, nego: Vnde ad hoc, vt aliquid sit simpliciter vnum, non sufficit, vt ex aliquo capite non sit diuisum, sed oportet, vt ex nullo capite diuidatur, sicut dicebamus, quod ad hoc, vt aliquis sit viuus, non satis est, quòd ex aliqua parte mortem non incurrerit, sed oportet, vt ex nulla parte incurrat.

Responderi potest etiam secundo, distinguendo minorem: Petrus, & Paulus carent diuisione specifica formaliter, concedo: materialiter, nego. Nam ipsa natura specifica diuiditur in Petro, & Paulo, quamuis talis

diuisio non sit formalis, idest, non sit per diuersitatem specificam.

Vrgebis: Diuisio indiuidualis, quæ est inter Petrum, & Paulum, non potest tollere vnitatem eorum specificam; ergo sunt propriè vnum specificè. Probatur antecedens. Nam vnitas non tollitur, nisi per diuisionem oppositam: sed diuisio indiuidualis non opponitur vnitati specificæ; ergo non potest eam tollere.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: Diuisio indiuidualis non opponitur vnitati specificæ, directè, concedo; indirectè, nego: vt enim dicit D. Thomas, semper priùs includitur in posteriori, & ideò, quia gradus indiuidualis est vltimus omnium, includit etiam omnes; vt v. g. in Petro includitur homo, includitur animal, includitur substantia &c. Vnde ad diuisionem indiuiduorum multiplicantur, & diuiduntur etiam gradus specifici, & generici; v. g. nascente Petro, nascitur nouus homo ab alijs distinctus, nascitur nouum animal, nascitur noua substantia, &c. Vnde patet, quod diuisio indiuidualis opponitur indirectè vnitati specificæ, genericæ, &c. Et ad multiplicationem, aut diuisionem numericam multiplicari, & diuidi naturas etiam specificas, quamuis non specificè.

Dices: Duo indiuidua sunt vnum vnitate sufficienti ad vniuersalitatem; ergo à parte rei natura est vniuersalis in illis. Probatur antecedens: Vnitas similitudinis sufficit ad vniuersalitatem: atqui duo indiuidua sunt vnum in natura vnitate similitudinis; ergo sunt vnum vnitate sufficienti ad vniuersalitatem. Probatur minor: Illa vnitas sufficit ad vniuersalitatem, qua maior dari non potest: sed inter duo indiuida non est possibilis nitas maior vnitate similitudinis; ergo illa sufficit ad vniuersale.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem, nego maiorem: sicut enim ad vniuersale in causando non sufficit congeries causarum particularium inter se similium; sed oportet, vt vnica causa plures producat effectus; ita ad vniuersale in essendo non sufficiunt plures naturæ particulares inter se similes; sed exigitur vna natura respiciens plura indiuidua. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: Non est possibilis maior vnitas, quàm vnitas similitudinis, à parte rei, concedo: per intellectum, nego. Licèt enim a parte rei natura sit dissipata, & diuisa in indiuiduis, ideòque non possit habere nisi vnitatem simili-

litu-

litudinis, attamen dum est in intellectu, fit perfectè vna modo suprà explicato ante obiectiones, & infrà magis explicando.

Replicabis: Saltem natura Diuina est vna non solùm vnitate similitudinis; sed etiam vnitate identitatis in pluribus Personis, vt Fides docet; ergo saltem natura Diuina est vniuersalis à parte rei.

Respondeo Naturam Diuinam esse vnam in pluribus non quidem pluralitate absoluta, & naturali, sed pluralitate relatiua, & personali; ideòque in illis multis nullo modo fit multiplex, sed remanet perfectè singularis; ac proinde non est vniuersalis.

Obijcies 3. Dantur à parte rei genera, & species; sed genera, & species sunt aliquid vniuersale; ergo datur vniuersale à parte rei.

Respondeo distinguendo maiorem: Dantur à parte rei genera, & species, formaliter; nego; materialiter concedo: Id est, naturæ illæ, quæ denominantur genera, & species, v. g. animal, & homo, sunt quidem à parte rei, attamen formalitas generis, & speciei non conuenit in illis secundùm quod sunt à parte rei.

Instabis: Petrus, & equus à parte rei suut distincti specie; ergo dantur à parte rei species.

Respondeo eadem solutione; sunt distincti à parte rei specie formali, nego; specie materiali, concedo. Id est, natura illa, quæ fit per intellectum species, est diuersa in Petro, & equo.

Vrgebis: Petrus à parte rei non est vnus cum equo etiam vnitate speciei formalis; ergo distinguitur ab equo vnitate speciei formalis negando suppositum.

Respondeo, quòd scilicet detur species formalis à parte rei; vnde Petrus, & equus neque sunt vnum, neque differunt à parte rei specie formali.

Obijcies 4. Omnia indiuidua definiuntur vnica definitione; ergo natura omnium indiuiduorum est vnica in ipsis.

Respondeo distinguendo consequentiam; ergo natura est vnica in omnibus indiuiduis, secundùm rem, nego; secundùm rationem, concedo: Natura enim non definitur, nisi priùs sit in intellectu definiente; vnde, vt definiatur vnica definitione, sufficit quòd sit vnica per rationem, & per intellectum.

Instabis: natura definitur prout est à parte rei; ergo si definiatur vnica definitione, erit vna à parte rei.

Respondeo distinguendo antecedens: Natura definitur prout est à parte rei; quoad rem definitam, con-

cedo; quoad statum, quem habet à parte rei, nego. Id est, natura, quæ definitur, eadem est, quæ est à parte rei; attamen non habet eundem modum in definitione, quem habet à parte rei: Nam definitio explicat naturam præcisam ab omnibus indiuiduis, & tamen certum est, quod à parte rei natura non reperitur sine indiuiduis.

Vrgebis: Obiecta scientiarum dantur à parte rei, sed obiecta scientiarum sunt vniuersalia; ergo vniuersalia dantur à parte rei.

Respondeo primò, obiecta scientiarum non esse vniuersalia formaliter, sed tantùm materialiter; Respondeo 2. disting. Obiecta scientiarum dantur à parte rei secundùm realitatem suæ entitatis, concedo; secundùm statum vniuersalitatis, nego. Solutio patet ex dictis.

Obijcies vltimò; Natura, v. g. humana non est per se, & essentialiter singularis; ergo est per se essentialiter vniuersalis.

Respondeo cum D. Thoma de ent. & ess. c. 4. Naturam secundùm se neque singularem, neque vniuersalem esse, sed indifferentem ad vtrumque statum: Vnde quando descendit ad indiuidua, & existit in illis, induit statum singularitatis: quando verò est in intellectu, induit statum vniuersalitatis.

Instabis: Intellectus non potest facere suum obiectum, sed vniuersale est obiectum intellectus; ergo non potest facere vniuersale; ergo vniuersale debet dari extra intellectum.

Respondeo distinguendo maiorem: Intellectus non potest facere suum obiectum, quantùm ad substantiam, concedo, vel etiam transeat; quantùm ad modum aliquem, nego: Nihil enim prohibet, naturas, quando obijciuntur intellectui, aliquam modificationem ab illo recipere, v. g. modificationem præcisionis, abstractionis, comparationis, & vniuersalitatis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Per quam operationem intellectus natura fiat vniuersalis.

PRobauimus suprà naturam fieri vniuersalem per intellectum; nunc discutiendum est, per quam operationem natura recipiat illam vniuersalitatem. Hæc difficultas faciliùs probatur, quam explicatur; tangit enim quædam ad tractatum de anima pertinentia, quæ hic necessariò prælibanda sunt. Vnde Nota,

Nota, hanc cognitionis humanæ œconomiam esse, vt primò res sensibus externis perceptæ immittant suas species ad phantasiam, seu imaginationem; (patet enim, quòd etiam clausis oculis res à nobis visas imaginamur, quando volumus) istæ rerum imagines dicuntur phantasmata, quæ cùm sint quid materiale, & corporale, non possunt immittere speciem sui vsque ad intellectum; sicut paries opacitate circumfusus non potest immittere sui imaginem ad oculum: vnde sicut in mundo sensibili datur lux corporalis ad illuminanda obiecta, vt possint immittere speciem visibilem; ita quoque data nobis est quædam lux spiritualis, quæ irradiando supra ista phantasmata, facit vt ex illis resiliat species quædam spiritualis repræsentans præcisè generalem quidditatem rerum abstractam ab omnibus conditionibus indiuiduantibus, vt à loco, tempore, existentia, distinctione numerica, &c. sicut lux Solis refusa super parietem efficit, vt resultet species quædam visualis repræsentans colorem abstractum ab omnibus accidentibus, quibus adiungitur talis color, vt à frigiditate, humiditate, densitate, &c. Hanc mentis nostræ lucem vocat Plato *Solem intelligentiæ*; Aristoteles verò, D. Thomas, & omnes Peripatetici vocant *Intellectum agentem*, cuius vnicum munus est irradiando phantasmata elicere species illas spirituales, nudam, & simplicem rerum quidditatem repræsentates, & eas menti nostræ seu intellectui, vt vocant, possibili, seu passibili imprimere. Mens autem nostra mediante tali specie cognoscit quidditatem naturæ, v. g. humanæ denudatam ab omnibus accidentibus, & differentijs indiuidualibus, vt à loco, tempore, Petreitate, Ioanneitate, &c. Et sic format generalem aliquam naturæ notitiam, quam vocare solemus, naturam abstractam, & præcisam. Sic dum Medicus disputat de febre, non considerat febrim Petri, vel Pauli, vel, quæ hodie est, aut cras erit, &c. sed tantùm febrim in communi, seu quidditatem febris ab omnibus istis denudatam. Naturam autem sic abstractam aliquando refert intellectus noster ad illa particularia indiuidua, quæ sunt à parte rei, tanquam aliquid superius sub se continens omnia hæc inferiora. Imò aliquando prædicat naturam illam de suis inferioribus, v. g. dicendo, hic morbus Petri est febris. Prima actio, per quam licet ex phantasmatibus in imaginatione residentibus elicitur species spiritualis representans naturam ab omnibus indiuiduis separatam; vocatur *Abstractio*. Secunda actio, per quam natura sic

abstracta cognoscitur: dicitur *Præcisio* intellectus possibilis. Tertia actio, per quam inter naturam istam, & eius indiuidua concipimus ordinem superioritatis, vocatur *simplex comparatio*. Quarta tandem actio, per quam positiuè naturam affirmamus esse in indiuiduis, dicitur *Comparatio composita*. Hoc prænotato.

Qatuor sunt sententiæ circa propositam difficultatem. Prima dicit naturam fieri vniuersalem per abstractionem intellectus agentis, Secunda vult fieri vniuersalem per cognitionem præcisiuam, quando scilicet consideramus realem naturam sine suis indiuiduis. Tertia dicit naturam fieri vniuersalem formaliter per comparationem simplicem, qua comparamus naturam ad sua indiuidua, seu apprehendimus ordinem superioritatis in natura respectu indiuiduorum. Quarta demum sententia exigit comparationem compositam, id est, quod natura prædicetur actualiter superior indiuiduis.

Dico: natura fit vniuersalis Metaphysicè per abstractionem intellectus agentis: Logicè verò fit vniuersalis per comparationem simplicem. Vtraque pars est communior inter Thomistas.

Conclusio supponit distinctionem apprimè notandam, vniuersalis metaphysici, & logici, Vniuersale metaphysicum est vnum abstractum à multis, seu natura sine indiuiduis considerata: cùm enim natura à parte rei diuidatur per differentias indiuiduales, vbi primùm ab illis per intellectum abstrahitur, statim redit ad vnitatem; remota enim causa, remouetur effectus; vt si consideremus naturam Petri, & naturam Pauli, suntquidem duæ naturæ, duoque homines; sed si consideremus hominem in communi, abstrahendo à Petro, & Paulo, tunc homo fit vnus obiectiuè, & ad modum vnius obiecti, & vnius naturæ à nobis concipitur. sicque dicitur vniuersalis metaphysicè. Vniuersale verò logicum est vnum respiciens multa, seu comparatum ad plura, tanquam superius ad sua inferiora, Vnde vniuersalitas logica formaliter consistit, non in abstractione à pluribus; sed in quodam ordine superioritatis; quem intellectus apprehendit in natura, respectu indiuiduorum; cuius ratio est, quia Logica tota occupatur circa artificiosum ordinem, quem ratio nostra concipit in rebus consideratis, inquantùm vnum apprehendit vt superius, aliud vt inferius: vnum vt prædicatum, aliud vt subiectum; &c. ergo in tali ordine consistere debet vniuersalitas logica; Et quia

natura

natura à suis inferioribus abstracta exigit ad illa comparari, tanquam superius ad inferiora, ideò dicitur communiter, quod vniuersale logicum fundatur in vniuersali metaphysico. Hæc diligenter notata conclusionem omninò facilem efficient. Vnde

Probatur prima pars facilè, scilicet naturam fieri vniuersalem metaphysicè per abstractionem intellectus agentis, probatur, inquam, primò authoritate D. Thomæ, qui sæpe naturas sic abstractas vocat vniuersales: Et expresse 1. p. q. 86. art. 1. ait; *Quod abstrahitur à materia indiuiduali, est vniuersale*: Et Op. 55. *Vna*, inquit, *& eadem natura, quæ singularis erat, & indiuiduabatur per materiam in singularibus hominibus, fit postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus materialibus*. Probatur etiam ratione: nam vniuersale metaphysicum est vnum abstractum à pluribus, sed per actionem intellectus agentis natura abstrahitur à pluribus: ergo fit vniuersalis metaphysicè; maior est definitio vniuersalis metaphysici; minor verò est certa; in hoc enim consistit abstractio, vt per actionem intellectus agentis natura separetur à suis indiuiduis.

Quæres, quid sit abstrahi à conditionibus materialibus, & quæ sint eiusmodi conditiones indiuiduales, & materiales, de quibus toties redit sermo.

Respondeo: Conditiones indiuiduales, materiales, & numericas pro eodem sumi, saltem in rebus corporeis; sunt autem quædam accidentia, siue realia, siue rationis, quæ non sunt de essentia naturæ, quibus tamen indispensabiliter vestitur natura, quando est à parte rei. Præcipua istarum conditionum est differentia numerica, qua natura vnius distinguitur à natura alterius, vt Petrus à Paulo, & quam Scotus vocat *Hacceitatem*, eò quòd natura per istam differentiam fiat *Hæc singularis natura*. Differentiam numericam sequitur actualis existentia; deinde alligatio ad certum tempus, & locum: Postremò coniunctio quorumdam accidentium, quibus vel indiuiduum designatur, vt sunt Forma, Figura, Nomen, Parentes, Patria, &c. vel quibus subijcitur; vt sunt morbus; sanitas, scientia, ignorantia, virtus, vitium, &c. respectu indiuidui humani: natura ergo dicitur deputari, seu abstrahi à conditionibus materialibus, & indiuidualibus, quandò consideratur à nobis sine omnibus istis, præcise secundùm se, & secundùm prædicata essentialia. Quod frequenter nos facimus, dum res in communi consideramus; vt dum apud me [illegible]

reputo, vtrum virtus sit melior voluptate, considero virtutem in communi, abstrahendo ab illa, vel ista virtute, quæ existit in Petro, vel Paulo, tali tempore, tali loco, cum talibus accidentibus ipsam concomitantibus, v.g. quod illa virtus sit cum scientia, vel cum ignorantia, &c. seu, vt loquitur D. Thomas, considero virtutem, prout abstrahit ab hic, & nunc; id est, ab omni singularitate, tempore, loco, & existentia.

Secunda, & principalior pars conclusionis, quod scilicet vniuersale logicum fiat per comparationem simplicem, qua natura refertur ad indiuidua, tanquam superius ad sua inferiora.

Probatur primò Authoritate D. Thomæ, qui expresse dicit, q.7. de potentia, art. 11. relationem vniuersalitatis intellectus adinuenit, considerando ordinem eius, quod est in intellectu ad res, quæ sunt extrà intellectum, seu Naturæ ad indiuidua. Et Op. 56. dicit naturam fieri vniuersalem, quatenus cognoscitur vt participabilis ab inferioribus. Et rationem assignat, tum quia diuersitas vniuersalium desumitur ex diuerso modo participabilitatis; tum quia habilitas essendi in pluribus non est de essentia naturæ; sed ipsi accidit ex eo quòd comparetur ad inferiora.

Probatur secundò ratione: vniuersale logicum est vnum respiciens plura, sed natura abstracta, vel præcisa non respicit plura: sed solùm natura comparata; ergo natura, vt comparata ad indiuidua est vniuersalis logicè; ac proinde vniuersale logicum fit per comparationem. Probatur minor. Nam in hoc consistit abstractio, & præcisio, quod natura cognoscatur absque vllo prorsus ordine ad indiuidua; comparatio verò in hoc, quod natura cognoscatur, vt respiciens ipsa indiuidua, seu vt concipiatur ordo superioritatis in natura, respectu indiuiduorum.

Confirmatur efficaciter; vniuersalitas logica, sicut & cætera entia rationis logicalia, consistit in ordine, & relatione rationis: atqui talis ordo, & relatio rationis non fit nisi, comparando naturam ad inferiora; ergo vniuersalitas Logica fit tantùm comparando naturam ad inferiora.

Obijcies primò plures authoritates D. Thomæ, qui sæpe repetit, naturam per abstractionem fieri vniuersalem: sed facilè respondeo, ea D. Thomæ loca intelligenda esse de vniuersali metaphysico, quod est natura abstracta à multis; non verò de vniuersali logico, quod est natura respiciens multa, vt superius inferiora.

Quod

Quod si aliquando videatur dicere, naturam abstractam esse etiam aliquomodo vniuersalem logicè, hoc intelligendum est, non quidem formaliter, sed fundamentaliter, inquantùm vniuersale metaphysicum est fundamentum proximum vniuersalis logici.

Obijcies 2. Si natura existeret realiter separata ab indiuiduis, qualem finxit Plato, esset formaliter vniuersalis; ergo hoc ipso, quod per intellectum separetur ab indiuiduis, fit etiam per intellectum vniuersalis.

Respondeo, transeat antecedens; (non enim admittimus ideas illas Platonicas fore vniuersales, saltem in essendo, etiamsi darentur, vt diximus cum D Thoma, articulo primo, conclusione secunda.) & nego consequentiam. Ratio est, quia si natura existeret realiter separata ab indiuiduis, diceret realem respectum ad ipsa; At verò ex eo quod natura abstrahatur ab indiuiduis per rationem, non sequitur, quod illa respiciat per rationem, sed potius, quod ab illis recedat.

Instabis: Natura abstracta dicit relationem rationis ad sua inferiora; ergo est formaliter vniuersalis. Probatur antecedens: Natura multorum dicit relationem ad multa: sed natura abstracta, v. g. natura humana est natura multorum, ergo dicit relationem ad multa.

Respondeo negando antecedens: ad probationem distinguo maiorem: Natura multorum dicit relationem ad multa, si ad illa comparetur, concedo: si ab illis penitus abstrahatur, & nullatenus respiciat ipsa, nego. Natura autem, dum est in statu abractiouis, nullo modo respicit sua inferiora, sed potiùs ab illis recedit; Vnde mirum non est, si pro tali statu nullam dicat relationem ad illa inferiora.

Vrgebis: Natura abstracta, licèt non sit relata ad inferiora, est tamen referibilis ad illa; ergo est vniuersalis. Probatur consequentia; nam, *verba in definitionibus posita non dicunt actum, sed solùm aptitudinem*, vt fert axioma; ergo ad hoc, vt natura sit vniuersalis logicè, non exigitur, vt sit actu relata, sed solùm referibilis ad indiuidua.

Respondeo distinguendo consequentiam: ergo est vniuersalis logicè, nego; metaphysicè, concedo. Ad probationem, respondeo quod, quando actus est differentia essentialis rei, tunc definitio debet exprimere ipsum actum, & non tantùm aptitudinem. Discrimen autem vniuersalis logici à metaphysico in eo consistit, quod vniuersale metaphysicum dicit naturam abstractam à pluribus, ac proinde referibilem ad multa; sed

vniuersale logicum dicit naturam respicientem multa, seu relationem naturæ ad indiuidua, sicut superioris ad inferiora: Vnde non sufficit, quòd natura sit referibilis, sed exigitur, quod sit relata ad multa.

Dices: Vniuersale etiam logicum definitur, vnum aptum esse in multis; ergo non requiritur, vt actu respiciat multa.

Respondeo negando consequentiam: Quamuis enim ad vniuersale logicum non requiratur, vt natura sit de facto in pluribus, sed solùm aptitudinaliter, attamen requiritur, quòd in tali natura concipiamus actualem ordinem ad multa, non tanquam ad ea, quibus insit, sed saltem in quibus esse possit.

Obijcies tertiò. Natura abstracta non est singularis; ergo est formaliter vniuersalis: siquidem non videtur inter ista dari medium. Respondeo distinguendo consequentiam: est vniuersalis logicè, nego; metaphysicè, & fundamentaliter, concedo: solutio patet ex dictis: Nam inter singulare, & vniuersale logicum, mediat vniuersale metaphysicum, quod est fundamentum vniuersalis logici.

Instabis: natura abstracta est vniuersalis fundamentaliter; ergo etiam est vniuersalis logicè, & formaliter. Probatur consequentia: Nam posito fundamento resultat relatio; ergo si natura abstracta habeat fundamentum vniuersalitatis logicæ; habebit etiam formaliter talem vniuersalitatem.

Respondeo negando consequentiam ad probationem distinguo antecedens: Relatio resultat posito fundamento solo, nego; posito fundamento simul, & termino; concedo, Relatio enim est ordo fundamenti ad terminum; v.g. relatio vniuersalitatis est ordo naturæ ad sua inferiora: Vnde impossibile est concipere talem vniuersalitatem sine illis inferioribus; ideòque quamdiu natura concipitur abstracta ab illis indiuiduis, nunquam concipitur logicè vniuersalis, sed solùm quando concipitur, vt respiciens talia inferiora, quod fit per comparationem, inquantùm intellectus comparat illam naturam ad indiuidua, tanquam aliquid superius ad inferiora.

Obijcies quartò: Quod est prædicabile de multis est vniuersale: sed natura abstracta est prædicabilis de multis; ergo est vniuersalis. Probatur minor: natura, quæ realiter est in multis; potest prædicari de multis: sed natura abstracta, v.g. humana, realiter est in multis indiuiduis, ergo potest prædicari de illis. Respondeo con-

concessa maiori, distinguo minorem: natura est prædicabilis de multis, quando est abstracta, formaliter, & proximè, nego; fundamentaliter, & remotè, concedo: Nam antequam natura illa abstracta ab indiuiduis, prædicetur de illis, oportet eam concipere, vt superiorem, & participatam ab illis, ac proinde illam comparare ad indiuidua: Vnde inter abstractionem, & actualem prædicationem mediat comparatio, cui proindè conuenit constituere naturam vniuersalem logicè.

De quarta sententia, scilicet ad vniuersalitatem exigi comparationem compositam, id est, quòd natura prædicetur actualiter de suis inferioribus, nihil dicimus, quia hæc opinio vix vllum habet patronum, & prætereà manifestum est, quòd prædicari supponit esse. Vnde, antequam natura prædicetur, vt vniuersalis, debet supponi, & concipi vt vniuersalis; ideòque non fit vniuersalis per illam actualem prædicationem, sed supponitur iam vniuersalis; præcipuè cùm actualis prædicatiò sit potiùs proprietas vniuersalis, ergo non potest constituere ipsum vniuersale, nulla enim proprietas constituit suam essentiam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quotuplex sit vniuersale.

Explicata natura vniuersalis, & ijs, quæ ad illam pertinebant, in hoc articulo diuidemus illud in suas species; vbi etiam singulorum vniuersalium definitiones paucis explicabimus: Vnde

Dico: Vniuersale in communi diuiditur in quinque species vniuersalium, scilicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens: Ita communiter omnes Philosophi.

Probatur facilè conclusio: vniuersale est vnum aptum in esse multis: sed quinque modis vnum potest inesse multis; ergo vniuersale est quintuplex. Probatur minor: quidquid enim est in re aliqua, vel exprimit totam essentiam, vt homo, respectu Petri, & sic est *species*; vel exprimit solùm id, quod talis essentia commune habet cum alijs, & sic est *genus*, vt animal respectu hominis; vel exprimit id in quo talis essentia differt ab alijs rebus, & sic est *differentia*, vt rationale respectu hominis; vel est aliquid consequens inseparabiliter essentiam, & sic est *proprium*, vt calor respectu

ignis;

ignis; vel demum contingenter aduenit essentiæ, & sic est *accidens*, vt morbus, & sanitas respectu hominis, rubor, & pallor respectu vultus; ergo sunt quinque vniuersalia, scilicet genus, differentia, species, proprium, & accidens.

Obijcies primò: Quidquid prædicatur de multis, vel est aliquid essentiale, vel aliquid accidentale; ergo dantur solùm duo vniuersalia.

Respondeo negando consequentiam: Quod enim prædicatur essentialiter est triplex, scilicet genus, species, & differentia; Quod verò prædicatur accidentaliter, est duplex, scilicet proprium, & accidens: Vnde sicut non valet: omne animal, vel est terrestre, vel aquatile, vel volatile; ergo sunt tantùm tres species animalium; siquidem volatile adhuc diuiditur in plures species, sicuti & terrestre, & aquatile; ita quoque non valet, omne vniuersale, vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter; ergo sunt tantum duo vniuersalia.

Obijcies secundò: Genus diuiditur in gènus supremum, vt substantia, & genus infimum, vt animal, & genus medium, seu subalternum, vt viuens; ergo sunt plus quàm quinque vniuersalia.

Respondeo, ista omnia genera non habere nisi eumdem prædicandi modum, scilicet, in quid incompletè, vt patebit ex dicendis; vnde pertinent ad idem vniuersale, scilicet ad genus in communi.

Obijcies tertiò. Sunt decem prædicamenta; ergo & decem vniuersalia.

Respondeo negando consequentiam; quia omnia prædicamenta pertinent ad vnicum vniuersale, scilicet ad genus; prædicamenta enim sunt suprema rerum omnium genera.

Vt autem aliqualem horum vniuersalium notitiam tradamus, prælibandæ sunt eorum definitiones, suo loco magis examinandæ.

Genus ergo definitur: vnum aptum inesse multis specie differentibus, & prædicari de illis in quid incompletè; id est, per modum prædicati essentialis substantiuè enunciati, & totam essentiam non explicantis: sic animal prædicatur de homine, & leone, qui differunt specie per modum nominis substantiui, essentiam eorum non exprimentis totaliter.

Differentia definitur: vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale quid; idest, per modum adiectiui, essentialiter tamen conuenientis: sic rationale prædicatur de homine per modum quidem adiectiui.

ctiui, sed essentialiter conuenientis. Nam rationale est de essentia hominis.

Species definitur: vnum aptum inesse multis numero differentibus, & prædicari de illis in quid completè; id est prædicari substantiuè, & essentialiter, per modum prædicati totam essentiam exprimentis; vt dum dico: Petrus est homo: *Homo* complectitur, & exprimit totam Petri essentiam. Vnde species differt à genere, & differentia, quod genus, & differentia non exprimant nisi partem essentiæ; genus quidem id, quod essentia habet commune, differentia verò id, quod habet speciale per alijs rebus: at verò speties exprimit vtrumque.

Proprium definitur: vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale necessario; id est, per modum prædicati essentiæ aduentitij; eam tamen necessariò concomitantis: sic calor dicitur de igne, humiditas de aqua, lux de sole, &c.

Accidens definitur: vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale contingenter, id est, non solùm per modum prædicati purè aduentitij; sed etiam separabilis ab essentia: sic morbus; & sanitas sunt accidentia animalis, curuitas, & rectitudo sunt accidentia rami: &c.

Quæres: quid est prædicari *in quid*; prædicari *in quale*; prædicari *in quale quid*?

Respondeo, quòd prædicari *in quid*, est prædicari per modum prædicati essentialis, & substantiui, vt dum dico: Petrus est homo, *homo* substantiuè, & essentialiter prædicatur de Petro. Prædicari *in quale* est prædicari per modum aduentitij, & accidentalis, ideoque adijectiuè expressi, vt dum dico; Petrus est doctus, *doctus* est prædicatum aduentitium, & accidentale Petro, & exprimitur per nomen adiectiuum. Prædicari verò *in quale quid*, ex vtroque temperatur; est enim prædicari quidem per modum alicuius essentialis, tamen adiectiuè expressi, vt dum dico: Angelus est spiritualis, homo est rationalis, *Spiritualis*, *& Rationalis* sunt quidem de essentia Angeli, & hominis; attamen enunciantur per nomina adiectiua.



QVÆ

QVÆSTIO SECVNDA.

De Vniuersalibus in particulari.



CONSIDERAVIMVS quæstione præcedenti Vniuersalia in communi, nunc secuti methodum compositionis de quolibet in particulari agemus. Primò quidem de Genere; deindè de Differentia; posteà de Specie; postremò de Proprio, & Accidente.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Genere.

Circa genus duo disputari possunt: Primò. vtrum rectè definiatur; deindè quomodo prædicetur de specie. Vtrumque explicabimus duplici Paragrapho.

§. I.

Vtrùm definitio generis à Porphyrio tradita sit bona.

Genus sumitur tripliciter: Primò prò stirpe familiæ sicut aliquis dicitur de genere Sacerdotali, de genere Regali, de genere Gigantum. Secundò pro patria, vt Plato dicitur genere Atheniensis, & Aristoteles genere Stagyrites, & Paulus genere Tharsensis. Tertiò sumitur genus magis propriè, & philosophicè pro natura communi pluribus specie differentibus; siquidem quælibet species duplici formalitate constat; altera, qua conuenit cum alijs rebus; altera, qua differet ab illis: vt species humana constat animalitate, & rationalitate: per animalitatem conuenit cum alijs animantibus, piscibus, auibus, quadrupedibus; per rationale verò differt ab illis. Formalitas illa, seu notio communis, in qua plures species conueniunt, dicitur genus; de illo quæritur, vtrum rectè definiatur à Porphyrio.

Dico; genus optimè definitur: vnum aptum inesse mul-

multis specie differentibus, & prædicari de illis in quid incompletè. Ita communiter omnes.

Probatur conclusio: Nam talis definitio rectè explicat, quid sit genus; ergo est bona: Probatur antecedens: in primis enim assignat in quo conueniat cum alijs vniuersalibus per illas particulas: *Vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis*. Cæteræ particulæ assignant id, in quo differt ab alijs: & quidem dum dicitur genus prædicari *in quid*, differt à proprio, accidente, & differentia, quæ prædicantur in quale; dum verò dicitur *de multis specie differentibus*, distinguitur à specie, quæ prædicatur de multis numero differentibus: Particula etiam illa, *incompletè*, distinguit genus à specie, quæ prædicatur per modum essentiæ completæ.

Ex hac definitione colliges, cur genus dicatur natura perfectibilis, contrahibilis, & potentialis. Dicitur enim perfectibilis, quia potest perfici per differantias superuenientes; dicitur contrahibilis, quia est aliquid vagum, & indifferens ad plures species, per differentiam verò ad vnam determinatur; dicitur potentialis, quia est in potentia ad recipiendas differentias: sic animal perficitur, & ad speciem humanam determinatur per rationale.

Obijcies primò: Definitio illa conuenit alijs à definito; ergo non est bona: Probatur antecedens: Conuenit enim enti; siquidem ens est vnum aptum inesse multis specie differentibus,& prædicari de illis,in quid.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo: ens est vnum aptum, &c. vnum vnitate analoga, concedo; vnitate vniuoca, nego: siquidem, vt dicemus in Metaphysica, ens est analogum suis inferioribus, ideòque non est genus, nam genus, sicut & alia vniuersalia, debet vniuocè prædicari.

Instabis, saltem definitio, v.g. ista: animal rationale, prædicatur in quid, & vniuocè; ergo malè definitur genus id, quod prædicatur, &c.

Respondeo definitionem esse aliquid complexum; genus autem debet esse aliquid simplex. Deinde definitio immediatè prædicatur tantum de vno, scilicet de suo definito; genus autem immediatè debet prædicari de multis.

Obijcies secundò: Prædicari *in quid*, seu substantiuè, est nobilius, quàm prædicari *in quale*, seu adiectiuè; ergo non conuenit generi, sed potiùs differentiæ. Probatur consequentia; Nobiliori perfectioni debet competere

petere nobilior modus prædicandi; sed differentia est perfectior genere; ergo debet ipsi conuenire nobilior modus prædicandi, non verò generi.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: Differentia est nobilior genere, secundùm rem, concedo; secundùm modum concipiendi, nego. Genus enim concipitur veluti prima, & fundamentalis notio rei, cui differentiæ concipiuntur superaddi; vt in homine, primò concipio gradum animalis; & hæc est fundamentalis notio, in qua homo cum cæteris animalibus conuenit; cui notioni deindè concipio aduenire rationalitatem, per quam istud animal, scilicet homo, diuersificatur ab alijs. Ex quo patet genus esse nobilius ex modo concipiendi, quàm differentia, & esse veluti fundamentum primum naturæ specificæ: Vnde mirum non est, si exprimatur nobiliori modo, scilicet substantiuè.

Dices: Genus prædicatur de multis etiam numero differentibus, vt animal de Petro, & Paulo: Ergò malè dicitur, quod prædicatur de multis specie diuersis.

Respondeo distinguendo antecedens: Genus prædicatur de multis numero differentibus immediatè, nego; mediatè concedo. Genus enim immediatè prædicatur de speciebus, quibus mediantibus prædicatur etiam de indiuiduis talium specierum.

Quæres in præfata definitione, quidnam sit definitum, vtrum secunda intentio generis, seu genereitas; vel natura habens talem genereitatem; vel compositum ex vtroque.

Quidam hic magnam disputationem mouent, sed minus necessariam: vnde vt facilè, & clarè respondeamus huic quæstioni, dicendum quod genus in præfata definitione definitur per modum concreti: In quolibet autem concreto tria sunt, forma, subiectum, & conflatum ex vtroque. Quia tamen istud conflatum; v. g. ex homine, & Philosophia in isto vocabulo *Philosophus*, dicit duas essentias, hominis scilicet, & Philosophiæ, impossibile est, vt de illo conflato detur vnica definitio; necesse est igitur, vt dum definitur aliquod concretum; definitio cadat principaliùs vel super formam, vel super subiectum habens formam; vt dum dico, Philosophus est contemplator rerum per causas altiores: Ista definitio debet cadere vel super hominem, vel super philosophiam. Diximus autem in Logica minori; quòd nomen concretum, licèt significet subiectum, & for-

formam; principaliùs tamen, & formaliter significat ipsam formam; subiectum verò tantùm materialiter,& per modum substrati. Vnde quia definitio explicatiùs tradit, quod nomen confusè significat, sicut nomen concretum principaliùs significat formam, subiectum verò minùs principaliter,& solùm per modum substrati; ita quoque definitio concreti principaliùs cadit supra ipsam formam, subiectum verò importatur materialiter tantum, & per modum substrati.

Vt ergo applicetur hæc doctrina, quæ est D. Thomæ 5. metaph. lect. 9. dum definitur Philosophus, contemplator rerum per causas altiores; dum definitur iustus, qui reddit vnicuique quod suum est; dum definitur Rex, supremus belli, pacisque arbiter: In his definitionibus id, quod principalius explicatur, & directius importatur, non est subiectum, v. g. homo habens præfata munera; sed ipsa forma, scilicet Philosophia, iustitia, & regia dignitas. Vnde similiter, dum definitur genus vnum aptum inesse multis specie diuersis, & prædicari de illis in quid incompletè, definitum principale est ipse status vniuersalitatis, scilicet secunda intentio genereitatis: natura verò habens talem statum non importatur,nisi per modum substrati, non verò per modum explicati in tali definitione.

Dices: Natura est id, quod prædicatur de multis, non verò ipsa genereitas: dum enim dico,homo est animal, non prædico genereitatem; sed naturam habentem genereitatem; ergo natura est, quæ definitur in præfata definitione.

Respondeo distinguendo antecedens: Natura est id, quod prædicatur, præcisè ratione sui, nego; ratione ipsius status genereitatis, concedo, & nego consequentiam. Sicuti enim Rex est, qui gubernat, sed tamen ratione dignitatis regiæ; ita quoque natura quidem prædicatur de multis, non tamen ratione sui præcisè, sed ratione ipsius genereitatis: vndè sicut in definitione Regis, dignitas regia est principale definitum, homo verò habens talem dignitatem non ingreditur definitionem, nisi per modum substrati; ita quoque genereitas est principale definitum in præfata generis definitione; natura verò non definitur per illam, nisi ratione ipsius genereitatis, cui substernitur.

Quæres 2. Quomodò genus definiatur in abstracto?

Respondeo definiri vniuersalitatem naturæ potentialis pluribus specie differentibus communis. Similiter differentia in abstracto definitur, vniuersalitas natu-

ræ specierum distinctiuæ: Et species vniuersalitas naturæ completæ: Et proprium, vniuersalitas naturæ accidentalis, necessariò tamen essentiam consequentis: Et demum accidens vniuersalitas naturæ accidentalis contingenter aduenientis: Siquidem, vt notat D. Thomas Op. 48. tractatu de enunciatione, c. 1. formæ accidentales, quandò definiuntur in concreto, proprium illarum subiectum ponitur loco generis, gradus verò communis ponitur loco differentiæ: Et econtrà, quando definiuntur in abstracto, gradus communis ponitur loco generis, & subiectum proprium loco differentiæ: Vtrumque patebit familiari exemplo: si enim velim definire crispum in concreto: Dicam esse capillum contractum; in qua definitione, *capillus*, qui est subiectum istius crispitudinis, tenet locum generis; *contractus* verò tenet locum differentiæ At verò, si velim definire crispitudinem in abstracto; dicam, illam esse contractionem capillorum. Similiter, si quis velit definire gryppum in concreto, dicetur nasus recuruus; in abstracto verò dicetur, curuitas nasi. Similiter, claudus in concreto dicetur tibia curua; in abstracto verò, curuitas tibiæ, &c.

§. II.

Vtrum genus prædicetur de specie, vel vt totum, vel vt pars.

Communiter dicitur, quòd species constat ex genere, & differentia; non tanquam ex partibus realibus (siquidem, vt probabitur in Metaphysica, gradus genericus, & differentialis, sicuti, & alij gradus metaphysici, non distinguuntur, nisi per intellectum) sed tanquam ex partibus Logicis, & per rationem distinctis; Vnde dicit D. Thomas, quòd homo est ex animali, & rationali, non tanquam ex duabus rebus tertia res, sed tanquam ex duobus conceptibus tertius conceptus: siquidem speciem in re vnicam, v. g. humanitatem, intellectus noster distinguit in duos conceptus, quorum vnus non includit alium, saltem actualiter; & ex illis duobus conceptibus format vnicum tertium, qui exprimit totam essentiam, & dicitur conceptus specificus. Sed quia conceptus genericus nō solùm componit speciem, sed etiam prædicatur de specie. Quæstio est, vtrum prædicetur tanquam pars, vel tanquam totum: pro quo.

Nota

Nota, genus respectu speciei, v. g. animal respectu hominis, habere simul rationem partis, & rationem totius potentialis. Id sæpe repetit D. Thomas, vt Op. 48. tract. 1. c. 4. & de ent. & eff. c. 3. & ratio in promptu est, quia genus dicit quidem totam rem, sed illam totaliter non explicat, vt animal significat habens animalitatem; habens autem animalitatem est totus homo, & non solùm pars hominis: Attamen habens animalitatem non explicatur totaliter per istud nomen animal, sed solùm secundùm quod est principium sentiendi: vnde genus, in quantùm significat totam rem, dicitur totum potentiale; inquantùm verò illam rem non exprimit totaliter, sed solùm secundùm aliquam perfectionem, dicitur pars, non quidem physica, sed logica. Hoc prænotato, facile erit resoluere præfatam quæstionem: Vnde

Dico: Genus prædicatur de specie tanquam totum potentiale: Ita D. Thomas, qui sæpe repetit genus, quamuis aliquomodò sit pars, attamen habere rationem formalem totius, & prædicari, vt totum.

Probatur eius ratione, quam habet in Op. de ente, & essentia c. 3. Nulla pars potest directè, prædicari de toto; sed genus directè prædicatur de specie; ergo non prædicatur vt pars; ergo prædicatur vt totum: Minor patet: Nam directè dicitur, leo est animal, homo est animal, iustitia est virtus, albedo est color, &c. In quibus propositionibus *Animal*, *virtus*, *color* directè prædicantur de suis speciebus: Maior verò probatur tum ratione, tum inductione: Ratione quidem; nam quod prædicatur de aliquo, debet esse idem cum illo; si enim non essent idem, non posset dici, quod vnum est aliud; sed nulla pars præcisè vt pars, est idem cum toto: ergo nulla pars, præcisè vt pars, prædicatur de suo toto: Tum etiam inductione; non enim dici potest; corpus est brachium, homo est anima, homo est rationalitas, &c.

Respondebis; partem physicam non posse quidem dici de suo toto; attamen partem metaphysicam posse dici de suo toto. Genus autem non est pars physica speciei, sed metaphysica.

Sed contrà: Nam ideò pars metaphysica potest prædicari de suo toto, quia potest habere rationem totius; ergo semper stat, partem, præcisè vt partem, non posse prædicari de suo toto. Declaratur antecedens: Non enim possum dicere; Homo est rationalitas, quamuis rationalitas, sit pars metaphysica hominis; sed tantùm

homo est rationalis, quia rationalitas in concreto induit rationem totius; rationalis enim idem est, ac habens rationalitatem; habens autem rationalitatem non est dimidius homo, sed totus homo, ergo patet, quod neque pars metaphysica potest prædicari de suo toto, præcisè vt pars, sed tantùm vt induit rationem totius.

Ex his infertur primò etiam accidentia concreta, quando prædicantur de suis subiectis, non sumi vt partes, sed vt tota Concretum enim etiam accidentale, licèt non exprimat nisi aliquam perfectionem sub iecti, vt Medicus exprimit tantùm medicinam, albus albedinem; attamen significat totum subiectum, vt Medicus significat totum hominem, vt habentem medicinam, & albus totum cygnum, vt habentem albedinem, &c.

Infertur secundò, cum D.Thoma Opusc. 48 & Opusc. de ente, & essentia cap. 3. quòd ista tria, genus, species, & differentia significant quidem totam essentiam: sed tamen genus, & differentia non exprimunt omnes perfectiones essentiæ; hoc enim proprium est speciei Nam genus exprimit solùm essentiam secundùm, quod conuenit cum alijs; differentia verò secundùm id in quo differt ab alijs: Species verò vtrumque. Seu, vt dicit Diuus Thomas 1. 2. q. 67. art. 5. genus exprimit de re id, quod est in ea materiale, & communius; differentia id, quod est in ea formale, & actualius; species vtrumque. Vnde genus solet vocari totum perfectibile, differentia totum perfectiuum, & species totum perfectum.

Obijcies; quòd prædicatur incompletè, non prædicatur vt totum; sed genus prædicatur incompletè; ergo non prædicatur vt totum.

Respondeo. Transeat maior, & distinguo minorem: Genus prædicatur incompletè ex parte huius, quod significat, nego; ex parte perfectionis, quam explicat, concedo. Solutio patet ex dictis: nam genus significat totam rem, sed non explicat eam totaliter: Vnde, inquantùm totum significat, est completum, inquantùm verò rem totaliter non exprimit, est quid incompletum; & ideò dicitur prædicari incompletè.

Instabis: Genus nullo modo est totum; ergo non potest Prædicari vt totum. Probatur antecedens: Nullum totum componit: sed genus cum differentia componit speciem; ergo non est totum.

Respondeo negando antecedens: ad probationem distinguo: Nullum totum componit, quatenus est totum, concedo; quatenus etiam est pars, nego. Dixi-

mus

mus autem genus, licèt ex parte illius quod significat sit totum; attamen ex parte illius, quod exprimit, esse tantùm partem: Vnde mirum non est, si possit componere.

Vrgebis: si genus habeat rationem partis, non potest habere rationem totius; ergo vel non est pars, vel non est totum. Probatur antecedens: Nam pars, & totum opponuntur; ergo si sit pars, non potest esse totum.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem distinguo: Totum, & pars opponuntur, si sumantur secundùm eumdem respectum, concedo: si sumantur secundùm diuersos respectus, nego: Genus autem non habet rationem totius, & partis secundum eumdem respectum, sed sub diuerso respectu: Nam inquantùm significat totam rem, dicitur totum; inquantùm verò illam totaliter non exprimit, dicitur pars.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Differentia, quæ est secundum prædicabile.

GEnus diuiditur per differentias, cùm quibus constituit species rerum: Vnde secuti methodum compositionis, priùs de genere egimus: deinde de differentia eius comparte, posteà de specie ex vtroque composita agemus. Differentiam diuisit Porphyrius in communem, propriam, & proprijssimam. Differentia communis est, quæ attenditur secundùm accidentalia, sic homo sanus differt ab ægro. Gallus ab Italo, sedens ab ambulante, &c. Differentia propria est, quæ attenditur secundùm proprietates, vt oculi cærulei differunt à nigritantibus, capillus crispus à fluente. Differentia demum proprijssima est, quæ attenditur secundùm essentialia rei, vt rationalitas facit differre hominem à bruto, non per modum accidentis, aut proprietatis, sed per modum essentialis constitutiui. De illa differentia solùm hic agitur, quæ sola constituit hoc secundùm vniuersale; circa quam explicandum est. 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ sint eius inferiora, per quæ constituitur in ratione vniuersalis.

Dico primò. Differentia rectè definitur, vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale quid incompletè. Ita communiter omnes.

Probatur conclusio: Nam per hanc definitionem

ostenditur in quo differentia conueniat cum alijs vniuersalibus, & in quo differat ab illis: Conuenit enim, in quantùm est vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis: Differt autem in eo, quòd prædicetur in quale quid, id est, adiectiuè quidem, sed essentialiter tamen; nam genus, & species prædicantur in quid, id est, substantiuè: Proprium autem, & accidens prædicantur tantùm in quale, id est, adiectiuè, & nullo modo essentialiter. Additur *incompletè*, quia licet differentia, vt diximus, significet totam essentiam, non tamen eam totaliter exprimit, sed solùm secundùm id in quo differt ab alijs essentijs.

Præter hanc definitionem quatuor alias tradidit Porphyrius. Prima est: Differentia dicitur id, quo species excedit suum genus. Secunda: Differentia est, quæ diuidit ea, quæ sunt sub eodem genere. Tertia: Differentia est, qua differunt à se singula. Quarta: Differentia est, qua vna species distinguitur ab alia. Istæ omnes definitiones sunt veluti maiores explicationes primæ definitionis à nobis explicatæ, nec aliquid difficile continent, quod explicatione indigeat.

Dico secundò: Differentia alia dicitur suprema, alia infima, & alia media, seu subalterna, quæ diuisio etiam applicari potest generibus, & speciebus.

Explicatur conclusio: Differentia suprema est, quæ nullam supra se agnoscit; vt corporeum, & spirituale, quæ sunt supremæ differentiæ diuidentes substantiam: Differentia infima est, quæ nullam infra se agnoscit, vt rationalitas, & hinnibilitas respectu animalis: Differentia subalterna seu media est, quæ mediat inter supremam, & infimam; vt sensibile, & insensibile sunt differentiæ subalternæ substantiarum. Similiter genus supremum est, quod nullum supra se agnoscit; vt substantia: Genus infimum est, quod nullum infra se agnoscit, vt animal: genus subalternum est, quod mediat inter infimum, & supremum; vt *viuens* inter substantiam, & animal. Tandem species suprema est, quæ nullam supra se agnoscit, sed immediatè ponitur sub supremo genere, vt spiritus, & corpus sunt species supremæ substantiarum: Species infima est, quæ nullam inferiorem agnoscit, vt homo est species infima animalium: species subalterna est, quæ inter vtramque mediat, vt animal dicitur species viuentis. Vbi obseruandum eandem naturam posse esse simul, & speciem subalternam, & genus; Speciem quidem subalternam, in quantùm continetur sub genere altiori;

genus

genus verò, inquantùm ſub ſe continet inferiores ſpecies. Sic animal reſpectu viuentis eſt ſpecies; reſpectu verò hominis, leonis, & equi eſt genus.

Obſeruandum inſuper, genus non includere actu in ſe differentias; aliàs de quocumque diceretur genus, dicerentur, & differentiæ; v. g. animal non includit actu rationale, & irrationale, ſed ſolùm continet illa ſub ſe, & in potentia, inquantùm ſcilicet animal dicit id, quod habet animalitatem, quod poteſt eſſe, vel rationale, vt homo; vel irrationale, vt leo. Similiter differentia inferior non continet actu in ſe formaliter differentias ſuperiores, vt rationalitas ſenſibilitatem; ideòque differentia ſuperior non poteſt formaliter prædicari de inferiori: Hæc enim prædicatio, rationalitas eſt ſenſibilitas, eſt quidem vera; non tamen formalis, ita vt de conceptu rationalitatis ſit ſenſibilitas.

Dico tertio. Differentia non conſtituitur vniuerſalis per reſpectum ad ſpeciem, ſed per reſpectum ad inferiora ſpeciei; vt rationale non conſtituitur vniuerſale per reſpectum ad hominem in communi, ſed per reſpectum ad Petrum: Paulum, &c.

Probatur concluſio facilè: Differentia enim conſtituitur in ratione vniuerſalis per illa, de quibus prædicatur in quale quid, tanquam de inferioribus: Sed differentia prædicatur in quale quid de indiuiduis ſpeciei, tanquam de inferioribus; ergo conſtituitur vniuerſalis per reſpectum ad indiuidua ſpeciei. Probatur minor: Sic enim rationale v. g. non prædicatur in quale quid de hac, & illa rationalitate; ſed de illo, & iſto homine.

Dices: Differentia prædicatur in quale quid non ſolùm de indiuiduis, ſed etiam de ſe ipſa ſpecie: vt quærenti, quale animal ſit homo? reſpondetur rationale; Ergo conſtituitur vniuerſalis per reſpectum ad ipſam ſpeciem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, differentia prædicatur in quale, quid de ſpecie tanquam de ſibi inferiori, nego: tanquam de ſuo æquali, concedo: Et nego conſequentiam: Nam rationale non prædicatur de homine tanquam de ſuo inferiori, ſed tanquam de ſuo æquali: Omnis enim homo eſt rationalis; & omnis rationalis eſt homo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vnde sumantur Genus, & Differentia.

HÆc Quæstio satis facilis est, & tamen maioris momenti In ea quærimus, vnde sumantur genus, & differentia, id est, in quo fundetur conceptus genericus, & conceptus differentialis; seu, quænam sit causa in rebus conueniendi cum alijs, & differendi ab ipsis; & hoc tum in substantijs spiritualibus, tùm in substantijs corporeis, tum in accidentibus; de his enim omnibus procedit quæstio, quia in his omnibus reperitur genus, & differentia: Nam Angelus conuenit cum alio Angelo genericè, & differt ab illo specificè: similiter animal conuenit cum alio animali, & differt ab ipso: vt albedo conuenit cum alio colore genericè, & differt ab illo specificè. Pro quæstionis resolutione.

Notandum primò: Quod generis, & differentiæ duplex est origo, seu causa; proxima scilicet, & remota, seu radicalis: siquidem dum quæritur, vnde aliquid oriatur, duplex assignari potest principium, proximum scilicet, & remotum: vt quærenti, cur Petrus quarta quaque die ægrotet: si dicas, quia febri quartana laborat, causam proximam assignabis; si verò dicas; quia humor melancholicus corruptus quatriduanis inducijs reparatus solet cor aggredi, & conatum facere, causam radicalem aperies. Quæritur ergo hic tum proximum, tum radicale principium generis, & differentiæ.

Notandum secundò, seu potiùs recolendum, genus esse conceptum communem, potentialem, perfectibilem, & contrahibilem per differentiam: econtrà verò differentia est conceptus actuatiuus, perfectiuus, & determiuatiuus generis; vt animal est aliquid commune multis speciebus, & est in potentia, vt determinetur, perficiatur, & contrahatur per varias differentias; rationale verò ipsi superueniens illud perficit, actuat, & limitat ad speciem humanam. His positis.

Dico primò: genus, & differentia sumuntur proximè à tota rei entitate; genus quidem secundum id, quod est in ea commune potentiale, & determinabile; differentia verò secundùm id, quod est in ea actuale, speciale, & determinatiuum. Conclusio est communis, quam docet D. Thomas 1.2. quæst. 67. art.5., & pluribus alijs in locis.

Probatur facile ex dictis; Nam gradus potentialis, & com-

communis debet desumi ab ipsa re secundùm id, quod est in ea potentiale, & cum alijs commune; gradus verò actuatiuus, & perfectiuus, secundùm id, quod est in ea specialius, & actualius; sed genus est gradus communis, & potentialis, differentia verò gradus actuatiuus, & perfectiuus; ergo genus debet desumi à re secundùm id, quod est in ea potentiale, & commune, differentia verò secundùm id, quod est in ea perfectiuum, & actuatiuum. Quod verò debeant sumi à tota re, manifestè patet ex dictis articulo primo, paragrapho secundo: nam genus, & differentia significant totam rem; ergo debent sumi à tota re saltem proximè.

Explicatur magis ex D. Thoma Opusc. 48. tractat. 1. Nam in rebus sunt diuersi gradus essendi, vt gradus substantiæ, gradus corporis, gradus viuentis, gradus animalis, gradus rationalis, in quibus semper posterior actuat, & determinat priorem. Quamuis autem isti gradus sint aliquando dispersi, inueniuntur tamen vniti, & identificati in eadem entitate, vt in homine; quæ entitas, si consideretur secundùm gradus priores, fundat conceptus communes, & genericos; si verò sumatur secundùm gradus posteriores, fundat conceptus differentiales; vt dum considero entitatem Petri quatenus per se subsistit, quod est aliquid communissimum, fundatur conceptus substantiæ, qui est genus supremum Petri: si inquantùm viuit, formatur conceptus viuentis, qui est genus subalternum Petri: si inquantùm sentit, formatur conceptus animalis, qui est genus infimum Petri; si demùm inquantùm ratiocinatur, formatur conceptus rationalis, qui est differentia Petri, per quam omnes alijs gradus determinantur, & actuantur.

Dico secundò: In rebus spiritualibus, vt in Angelis, non est quærenda alia origo conceptus generici, & differentialis præter totam entitatem sumptam, vt diximus, secundùm id, quod est in ea commune, & secundum id, quod est in ea speciale. Conclusio est Diui Thomæ Opusc 42. cap. 5. & de ent. & ess. cap. 6.

Declaratur: Cùm enim substantiæ spirituales sint formæ simplices, vt dicetur in Metaphysica, oportet, vt ipsa rei entitas sit simul causa proxima, & remota gradus generici, & differentialis, seu conueniendi, & disconueniendi: vnde in Angelis formatur conceptus genericus, secundùm quod consideramus eorum entitatem magis in communi; & secundùm communem gradum spiritualitatis; conceptus verò differentialis

sumitur in illis, quatenus talis entitas consideratur magis in particulari, secundùm quod tali, vel tali modo est spiritualis.

Dico tertiò: In rebus materialibus, id est, compositis ex materia, & forma, genus radicaliter sumitur à materia, differentia verò à forma. Ita D. Thomas quæst. de Spiritualibus creaturis, articulo primo ad 24. *In rebus*, inquit, *compositis ex materia, & forma, genus sumitur à materia, & differentia à forma*. Idem repetit alijs in locis.

Probatur primò conclusio: Nam genus sumitur à re secundùm id, quod est in ea potentiale: Differentia verò secundùm id, quod est in ea actuale: sed res materiales quantò magis accedunt ad materiam, tantò magis sunt potentiales; quantò verò magis participant de forma, tantò sunt actualiores; ergo genus sumitur radicaliter à materia, & differentia à forma. Minor declaratur: Nam in rebus corporeis sunt duo extrema, actus scilicet & potentia, seu forma, & materia. Vnde quantò magis res accedit ad materiam, tantò potentialior est; quantò verò magis, participat de forma, tantò est actualior, vt patebit ex dicendis in Physica.

Probatur secundò ratione facili: Omnis enim potentialitas rei oritur radicaliter ex materia, & omnis actualitas ex forma: sed, vt iam diximus, genus est quid potentiale, differentia verò quid actuale; ergo genus desumitur radicaliter à materia, & differentia à forma: Probatur maior: quia vt fert axioma: *primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum*: sed materia in rebus corporeis est prima potentia; forma verò primus actus, vt dicetur in Physica; ergo omnis potentialitas desumitur à materia, & omnis actualitas à forma. Maior est axioma, quod quia sæpè occurrit, ideò luculentiùs est explicandum.

Verissimum igitur est hoc axioma: *primum in vnoquoque genere*; *est causa cæterorum*. Et licèt quidam illud inficientur, attamen probatur tum ratione, tum inductione, ratione quidem: Nam, natura ordinatè procedit; ordo autem fundatur in dependentia posterioris à priori; dependentia verò fundatur in causalitate; & ideo, vt seruetur ordo in rebus, necesse est posteriora dependere, & causari à prioribus, & proinde quòd primum in genere; sit causa cæterorum. Inductione quoque declaratur idem axioma: sic enim in gradu entium, primum ens, scilicet Deus, est causa omnium aliorum. Primum bonum est fons omnis bonitatis; prima veritas

est

est causa omnis veritatis; Et generaliter in causando, & regendo, Deus hanc legem statuit, vt superiora, & priora causarent inferiora, & posteriora, vt notat Diuus Dionysius, & Diuus Augustinus. Sic etiam in naturalibus, primum cęlum mobile est causa omnium motuum inferiorum, & secum rapit omnes cælos: Primum lucidum, scilicet Sol, est causa lucis in omnibus alijs astris, quæ eclipsantur, quoties aliquid medium occurrit inter ipsa, & Solem, vt patet in eclipsibus Lunæ, & Mercurij: Primum calidum elementale, scilicet ignis, est causa totius caloris mixtorum. Sic in viuentibus, primus motus vitæ, scilicet motus cordis, est fons, & causa omnium vitalium motuum, quo proinde cessante, vt in deliquio, & morte, cessat omnis motus vitæ: sic in artificialibus, prima horologij rota cæteras omnes rapit: sic in intellectu, & voluntate, prima cognitio, scilicet notitia primorum principiorum, est fons, & origo omnium nostrarum cognitionum, & scientiarum: Prima volitio, scilicet amor vltimi finis, est principium, & causa omnium volitionum: sic in moralibus: prima virtus moralis, scilicet prudentia, cæteras virtutes regit, & mouet: Sic in passionibus, prima passio, scilicet amor, causat omnes alias; sic in politicis, prima dignitas, scilicet regia, causat, & constituit cæteras, &c. Ergo vbique patet, *quòd primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum.*

Dico quartò. In accidentibus, genus desumitur ex modo afficiendi substantiam; & differentia ex habitudine ad propria principia cuiuslibet accidentis. Ita Diuus Thomas in fine Opusc. de ente, & essentia. Hæc conclusio magis explicatione indiget, quàm probatione: vnde

Explicatur: accidens est, quod inhæret substantiæ (vt dicetur in prædicamentis:) Vnde iuxta nouem modos afficiendi substantiam ibidem recensendos, diuiditur accidens in nouem genera, seu prædicamenta. Dicimus ergo, quod lex accessu ad istos modos prædicamentales, desumitur genus in accidentibus; differentia verò petitur in illis ex principijs proprijs cuiuslibet accidentis; scilicet ex subiecto, quòd afficit; ex obiecto, quod respicit; ex termino, ad quem ordinatur; &c. Cùm enim essentia accidentalis dependeat ab eiusmodi principijs, oporteret ut ipsis comm. conferetur; ideòque diuersitas accidentium debet attendi secundùm diuersitatem talium principiorum: sic scientiæ habent differentiam ab obiectis, circa quæ versantur: sic relationes dif-

differunt secundùm terminos, quos respiciunt: sic virtutes differunt secundùm bona, ad quæ ordinantur: sic morbi differuut secundùm partes, quas afficiunt, aut causas, à quibus procedunt: quia tamen effectus accidentium sunt nobis notiores, quàm propria principia cuiuslibet accidentis, ideò in definitione accidentium sæpè vtimur differentijs ab eorum effectibus depromptis. Sic albedo definitur, color disgregatiuus visus: sic color definitur, qualitas similarium congregatiua: Frigus definitur, qualitas dissimilarium congregatiua. Vbi vides ista accidentia explicari per suos effectus: vtpote magis notos.

ARTICVLVS QVARTVS.

De specie quæ est tertium prædicabile.

Ex genere, & differentia fit species, de qua proinde hic vobis agendum est. Species autem tripliciter sumi solet: Primò pro pulchritudine, quæ definitur ab Aristotele: proportio partium cum suauitate coloris; In hoc sensu locutus est Propheta de Christo, dum dicit: *Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere, procede & regna*, id est, formositate tua. Secundò, species sumitur pro repræsentatione, seu similitudine; sic in libris de anima sumi solet, quando dicimus, intellectum intelligere per species, id est, per similitudines rerum ipsi impressas. Tertiò: sumitur species pro natura completa, quæ sub genere collocatur, & de indiuiduis prædicatur tanquam tota eorum essentia; in hoc sensu à nobis hic sumitur, de qua duo hic quæruntur: Primò, quid sit: Secundò, quomodo sit vniuersalis: nam quotuplex sit, iam constat ex dictis articulo secundo, vbi eam diuisimus in supremam, infimam, & mediam, seu subalternam.

Dico primò, species rectè definitur: vnum aptum inesse multis numero differentibus, & prædicari de illis in quid completè, id est, per modum prædicati substantiui, & essentialis, totam rei essentiam exprimentis.

Probatur: Nam in illa definitione explicatur primò, in quo species conueniat cum alijs vniuersalibus, dum dicitur, *Vnum aptum inesse multis*: Cæteræ verò particulæ ostendunt, in quo species differat ab alijs vniuersalibus, siquidem solius speciei est prædicari de multis numero differentibus in quid complete. Hæc tamen definitio videtur competere soli speciei infimæ:

vnde

vnde præter hanc definitionem, aliam tradidit Porphyrius, dicens: species est, quod directè, & immediatè collocatur sub genere, quæ definitio competit omnibus omninò speciebus: Ex quo patet speciem esse quid medium inter genus, & indiuidua, sicuti iudex est quid medium inter regem, & populum; subijcitur enim regi, sed præest populo; Ita species subijcitur generi, sed præeminet indiuiduis: Vnde in specie distinguendus est duplex respectus, scilicet respectus subijcibilitatis ad genus, & respectus superioritatis ad indiuidua, qui sunt veluti duo respectus oppositi: Vnde vnus non est proprietas alterius: sicut subijci Regi, & præesse Populo sunt respectus oppositi, quorum vnus non est proprietas alterius.

Dico 2. Species non constituitur formaliter vniuersalis per respectum subijcibilitatis ad genus; sed per respectum superioritatis ad indiuidua: Vnde species quatenus subijcibilis reduplicatiuè non est vniuersalis. Hæc conclusio vix negari potest, quamuis de illa quidam videantur dubitasse; sed quæstio videtur esse solùm de nomine, quis enim intelligere potest, ex eo formaliter speciem esse vniuersalem, quod sit inferior genere? Vnde.

Probatur conclusio: nam vniuersale est vnum respiciens multa, vt superius sua inferiora: Atqui species reduplicatiuè vt subijcibilis generi, non respicit multa tanquam inferiora, sed vnum tanquam superius; ergo ex illa parte non est vniuersalis; sicut nec Iudex potest dici superior, quatenus respicit Regem, cui subijcitur, sed solùm quatenus respicit populum, cui præest.

Obijcies: Quod subijcitur generi est vniuersale; ergo species vt subijcibilis generi est vniuersalis. Probatur antecedens: Quod enim subijcitur generi non est singulare, & indiuiduum; ergo est aliquid vniuersale.

Respondeo distinguendo antecedens: Quod subijcitur generi, est vniuersale, reduplicatiuè inquantum subijcitur generi, nego; aliunde concedo. Sicut enim licet Iudex qui immediatè sub rege collocatur, sit superior respectu populi; attamen non habet superioritatem ex eo, quod subijcitur regi, sed ex eo quod præest Populo; sic species licet sit vniuersalis, non tamen habet vniuersalitatem ex eo quod sit sub genere, sed ex eo quod sit superior ad indiuidua. Ad probationem, dicendum quod species, quatenus est sub genere, est vniuersalis fundamentaliter, & metaphysicè, non verò formaliter, & logicè.

Instabis: Illud est vniuersale, quod prædicatur de multis: sed species, quatenus subijcibilis, prædicatur de multis; ergo quatenus subijcibilis est vniuersalis. Probatur minor: Nam species quatenus subijcibilis prædicatur de illa, & ista specie subijcibili; Possum enim dicere, species humana est subijcibilis; species leonina est subijcibilis.

Respondeo ad hoc sophisma: Argumentum committere fallaciam, quam vocant *Accidentis*, inquantùm transit à natura, quæ subijcitur, ad ipsum statum subijcibilitatis: Nam species subijcibilis potest dupliciter sumi; Primò pro natura ipsa, quæ subijcitur generi; & hanc dicimus non esse vniuersalem, quatenus subijcitur generi: 2, pro ipsa subijcibilitate, & talis subijcibilitas potest sine dubio induere rationem vniuersalis, in quantùm prædicatur de illa, & ista subijcibilitate. Vnde in forma distinguo minorem: species subijcibilis prædicatur de multis, si species sumatur pro ipsa natura specifica, v. g. pro natura humana nego, quòd quatenus subijcibilis prædicetur de multis; si species sumatur pro ipsa subijcibilitate, concedo, quod prædicetur de multis; sed de tali subijcibilitate non procedit conclusio, sed solum de ipsa natura, quatenus est subiecta generi.

Quæres, quid sit indiuiduum?

Respondeo indiuiduum esse correlatiuum speciei, sicut subditus est correlatiuum superioris: vnde definitur indiuiduum, id, quod vltimò speciei subijcitur. Vel id, quod de vno tantùm prædicatur, vt Petrus. Socrates, Plato &c. Attamen in indiuiduo tria exactè distinguenda sunt, scilicet nomen, indiuidualitas, & natura indiuidualitate affecta, ac nomine singulari designata. Dum ergo dicitur, indiuiduum prædicari tantùm de vno, intelligendum est de ipsa natura indiuidualitate affecta, v. g. de natura Petri; hanc enim constat, de vno tantùm prædicari. Cæterum indiuidualitas ipsa, & nomen possunt pluribus tribui: Nam hoc nomen Petrus repetitis impositionibus, pluribus hominibus attribuitur; & indiuidualitas in communi dicitur de hac, & ista indiuidualitate. Vnde ad hoc sophisma: Indiuiduum prædicatur de hoc, & illo indiuiduo; ergo indiuiduum prædicatur de multis. Respondendum est, indiuiduum prædicari de hoc, & illo indiuiduo, si sumatur pro ipsa intentione indiuidualitatis; non tamen si sumatur pro ipsa natura indiuiduali, vt tibi gratia, pro natura Petri.

Alias

Aliam definitionem indiuidui tradit Porphyrius dicens: Indiuiduum est, cuius collectio proprietatum ita est in vno, vt non sit in alio. Hæ autem proprietates indiuiduales sunt septem istis versiculis comprehensæ.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis;
Patria sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

Per formam, intelligitur complexio. Per signum lineamenta vultus: Per locum, ea terræ pars, in qua quis natus est: Per tempus, momentum, quo quis formatus est, vel in lucem editus: Per nomen, proprium cuiusque vocabulum: Per sanguinem, familia, & parentes: Per patriam, prouincia in, qua natus est. Patet autem, quod ista omnia simul iuncta non competunt eidem indiuiduo.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum genus possit saluari in vnica specie; & species in vnico indiuiduo.

VTramque difficultatem ideò iunximus, quia ex eodem principio vtraque resoluitur. Loquimur autem non de ipsa vniuersalitate generis, & speciei; sed de natura generica; & specifica, vtrum scilicet natura, quæ vnicam habet speciem, possit dici natura generica; & illa, quæ vnicum habet indiuiduum, possit dici natura specifica

Dico: Genus non potest saluari in vnica specie; bene tamen species in vnico indiuiduo: Seu, natura habens vnicum indiuiduum potest dici specifica; non tamen natura habens vnicam speciem potest propterea dici generica. Conclusio est D.Thomæ 1.post. lect.12. Vbi ait posse reperiri aliquam speciem, quæ non habet nisi vnicum indiuiduum; non tamen aliquod genus, quod non habeat plures differentias, & species. Vnde Aristoteles 4.top. c.3. *Si*, inquit, *generis non sit altera species* (id est, si genus non habeat duas saltem species) *manifestum est, quod omninò non erit genus.*

Probatur conclusio ex discrimine, quod est inter naturam genericam, & specificam: Natura enim generica essentialiter nominat aliquid potentiale, & commune: At verò natura specifica nominat solùm aliquid actuale ex genere, & differentia constans: sed natura communis non est in vnica specie; natura verò actualis potest esse in vnico indiuiduo; ergo genus non

salua-

saluatur in vnica specie; bene tamen species in vnico indiuiduo. Maior constat: Genus enim dicitur, eo quod sit quid commune, in quo plura conueniunt; vnde generale idem est, ac commune: species verò dicitur, ex eo quod hanc generis communitatem, addità differentia determinet, & ad aliquam specialem naturam contrahat: vnde speciale idem est, ac particulare. Minor etiam patet; Nam communitas intelligi nequit respectu vnius tantùm, sed necessario requirit plura; at verò natura actualis perfectè reperitur in quolibet indiuiduo, v. g. tota natura humana, quantùm ad omnem suam actualitatem reperitur in quolibet indiuiduo.

Confirmatur primo, nam genus est totum potentiale, species verò totum actuale, sed totum potentiale non saluatur respectu vnius speciei, totum verò actuale saluatur respectu vnius indiuidui; ergo &c. Probatur minor: Nam totum potentiale in vnica specie non habet nisi vnicam partem suæ potentialitatis. Ergo non saluatur in ratione totius potentialis in vnica specie: At verò totum actuale reperitur in vnico indiuiduo, v. g. omnes partes actuales naturæ humanæ reperiuntur in quolibet homine, scilicet animalitas, & rationalitas; ergo natura humana, verbi gratia, saluatur in ratione totius actualis in quolibet indiuiduo.

Confirmatur 2. ex testimonio naturæ: Cùm enim mundus sit *Liber Dei*, vt dicebat Beatus Antonius; Deus autem verax sit, oportet hominum sententias ad Diuinum illum codicem examinare. Videmus autem plures species non habere nisi vnicum indiuiduum; imò natura non multiplicat indiuidua, nisi vt conseruet speciem. Vnde in rebus incorruptibilibus non est nisi vnum indiuiduum, vt vnus Sol, vna Luna, & in qualibet specie Angelorum vnicus Angelus. At verò nullum est genus, quod non habeat plures species; ergo signum est, quòd species, quantùm ad perfectionem specificam, tota est in vno indiuiduo: At verò genus, quantùm ad perfectionem genericam, non est in vnica specie.

Obijcies: Tota natura generis reperitur in vnica specie, v. g. tota natura animalis in vnico homine; ergo genus saluari potest in vnica specie.

Respondeo distinguendo antecedens: Tota natura generis reperitur in vnica specie, secundùm entitatem, concedo; secundùm rationem naturæ communis, & totius potentialis, nego: Et similiter ad consequentiam. Ergo genus saluatur in vnica specie, quantùm ad entitatem, concedo; quantùm ad communitatem, quam

esse-

essentialiter requirit natura, vt sit genus, nego. Verum enim est, quod quidquid entitatis exprimit animal, reperitur in vnica specie, sed tamen illa entitas, respectu vnius speciei, non habet rationem naturæ communis, & genericæ.

Instabis: In specie saluantur partes definitionis; sed genus est pars definitionis; ergo saluatur in vnica specie.

Respondeo eodem modo distinguendo maiorem: In specie saluantur partes definitionis, quantùm ad entitatem, concedo; quantùm ad communitatem genericam, nego; quamuis enim tota entitas animalis sit in quolibet homine, attamen non habet communitatem genericam, nisi extendi possit ad alias species.

Vrgebis: Post diem iudicij remanebit solus homo ex omnibus animalibus: sed tunc animal non ammittet rationem generis; ergo genus saluatur in vnica specie.

Respondeo, quod post iudicium, licèt de facto non sit futura nisi vnica species humana, attamen plures aliæ semper erunt possibiles: vnde animal retinebit semper quòd sit quid commune multis speciebus, quamuis de facto non communicetur illis actualiter, sed solùm possibiliter.

Obijcies 2. etiam species est totum superius pluribus communicabile; ergo non poterit saluari in vnico indiuiduo.

Respondeo. Hoc verum esse de specie vt vniuersali: Cæterum reduplicatiuè, quatenus species, non dicit hanc vniuersalitatem: sed solùm vt sit natura completa ex genere, & differentia. Vnde patet disparitas, cùm enim genus, quatenus genus, significet potentiam communem, sine multis intelligi non potest. At verè cùm species solùm dicat naturam perfectam ex genere, & differentia constantem, in vnico indiuiduo saluari potest.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm species habens vnicum tantùm indiuiduum possit fieri vniuersalis.

QVæstio procedit de natura, quæ ita vnicum habet indiuiduum, vt plura realiter habere non possit, qualem supponimus esse naturam Angelicam, de qua proinde præcipuè procedit difficultas: Nam in doctrina D. Thomæ, Angeli omnes specie differunt, ita vt impo-

impossibile sit dari duos Angelos eiusdem speciei. Cæterùm natura, quæ licet vnicum habeat indiuiduum, plura tamen habere potest, sine controuersia fieri potest vniuersalis, vt natura phœnicis: si tamen verum est vnicum solùm esse Phœnicem, qui sibi superstes, ex proprijs cineribus iterum generetur, postquam extinctus est. Hanc autem celebrem quæstionem duplici complectemur paragrapho, in quorum primo proponetur, resoluetur, & probabitur conclusio; In secundo soluentur argumenta.

§. I.

Proponitur, & probatur sententia Diui Thomæ.

Nota ex Caietano 1. p. quæst. 13. a. 9. Quòd cum vniuersale sit vnum communicabile multis, dupliciter natura potest esse communicabilis multis; vno modo secundum rem, & rationem, quando scilicet talis natura de facto à parte rei reperitur in multis, aut saltem potest reperiri: alio modo secundùm rationem tantùm, quando scilicet aliqua natura ex parte rei nec actu, nec possibiliter est in multis, ex modo tamen concipiendi apprehenditur vt quodammodo, quantùm est de se, communicabilis pluribus Neque mirum esse debet, naturam esse communicabilem secundum rationem, quæ tamen non est communicabilis secundùm rem: Plura enim conueniunt rebus in ratione nostra, quæ non conueniunt ipsis à parte rei. Sic attributa Diuina distinguuntur secundùm rationem nostram, & tamen actualiter in re non distinguuntur. Sic naturæ Petri à parte rei non conuenit esse sine singularitate, & tamen in ratione nostra denudatur à sua singularitate. Horum autem omnium ratio est, quia intellectus sæpe apprehendit rem solùm inadæquatè, aut modo tali rei non proprio: Plura autem conuenire possunt rei inadæquatè, & impropriè conceptæ, quæ non conueniunt ipsi, vt est modo proprio, & adæquatè in seipsa. Hoc posito. Quærimus, vtrum species, quæ secundum rem non est communicabilis multis indiuiduis, qualem supponimus Angelicam, possit tamen apprehendi, vt communicabilis, & sic fieri vniuersalis secundùm rationem: Negant plures extranei, affirmat verò D. Thomas cum omnibus Thomistis, cum quibus.

Dico; Natura angelica, licèt vnicum tantùm habere possit

possit indiuiduum, attamen potest per rationem fieri vniuersalis.

Probatur ratione D. Thomæ: Vniuersale est vnum communicabile multis: sed natura angelica ex modo concipiendi est vna communicabilis multis; Ergo ex modo concipiendi est vniuersalis. Probatur minor: Natura, quæ concipitur à nobis sine singularitate, est ex modo concipiendi communicabilis multis; sed natura angelica concipitur à nobis sine singularitate; Ergo ex modo concipiendi est communicabilis multis. Minor patet: Vt enim docet D. Thomas, 1. part. quæst. 13. art. 9. natura Angelica (sicut, & aliæ formæ simplices) eodem modo concipitur à nobis, quo consueuimus concipere naturas corporeas, id est, considerando naturam specificam sine indiuiduis, & ab omni singularitate præcisam. Maior verò probatur: Natura enim Angelica non prohibetur communicari pluribus ex parte sui, sed ex parte indiuidui, & singularitatis. Ergo hoc ipso, quod est præcisa à suo indiuiduo, & à singularitate, remanet, quantum est de se communicabilis multis: Consequentia patet: remota enim causa, remouetur effectus; ergo, si causa, cur natura angelica prohibetur communicari multis, est singularitas, & indiuidualitas, remotis illis, remouebitur etiam incommunicabilitas: Antecedens verò est D. Thomæ, quæst. de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 4. Vbi sic ait: *sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa indiuidua ex hoc, quod est albedo, sed ex hoc, quod est in hoc (id est, alliga a huic subiecto) ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui*. Et præterea idem antecedens probatur ratione ab eo desumpta: Nam omnis forma, quantum est de se, est communicabilis pluribus: vt expresse dicit D. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 2. ad 3. & 1. Metap. lect. 5. Vnde si non communicetur, hoc non est defectu sui, sed defectu recipientis: atqui natura angelica est forma; ergo, si consideretur secundum se præciso indiuiduo, est quantum est de se communicabilis pluribus; ac proinde ex parte sui non prohibetur esse in pluribus, sed solùm ex parte indiuidui.

Explicatur magis hæc ratio, & simul aperitur fundamentum conclusionis, & solutionis obiectionum. Humanus intellectus pro hoc statu alligationis ad corpus est omnino assuetus naturis corporeis, veluti obiecto

sibi

sibi connaturali, vt dicit D.Thomas 1.p. quæst.85.art.1. & alijs in locis: Vnde sicut Rusticus diuertentem ad se Regem, licet nouerit esse Regem, non tamen ipsum excipit modo regio, sed modo rustico (est enim incapax aulicæ illius vrbanitatis, qua solent Reges à politioribus excipi) ita pariter, licet nouerimus Angelos esse incorporeos, attamen eos apprehendimus eodem modo, quo consueuimus corporalia intelligere, id est, abstrahendo naturam à singularitate, seu considerando naturam specificam sine indiuiduo. Hæc autem natura Angelica sic apprehensa sine indiuiduo, libera est ab omni singularitate, cui veluti alligabatur: Ideoque sic sumpta incipit indifferens esse vni, vel pluribus, saltem quantùm est de se, & ex modo concipiendi; Vnde sic sumptam possumus illam comparare ad suum indiuiduum, sicut comparamus alias naturas corporeas ad sua indiuidua, id est, tanquam aliquid superius, & quantùm est de se prædicabile de multis, si darentur: si autem non habeat exercitium talis communicabilitatis, & prædicabilitatis, hoc non est defectu sui; sed defectu illorum multorum, quæ non sunt possibilia. Cæterum ita à nobis intelligitur, vt si illa multa non repugnarent, posset ipsis de facto communicari, & de illis prædicari; quod sufficit, vt dicatur ex modo concipiendi, & secundùm rationem vniuersalis.

Res exemplo declarari amplius potest. Vnus pater tres habet filios: duo ei moriuntur: Relatio patris, licèt ad vnicum superstitem filium terminetur, ex se tamen apta est plures filios respicere, etiam illos, qui mortui sunt: Quia tamen naturaliter impossibile est mortuos reuiuiscere, ideò illos actu non respicit, non defectu sui, sed defectu ipsorum; quia amplius non sunt: Ita quoque natura Angelica semel præcisa ab indiuiduo, de se non est amplius alligata vni, sed communicabilis pluribus, licèt talis communicatio non exerceatur nisi in vno, quia plura non sunt possibilia.

Respondebis: Ad hoc vt natura Angelica sit vniuersalis non sufficere, quod ex parte sui sit communicabilis, si de facto non possint concipi multa indiuidua, saltem possibilia, quibus communicetur.

Sed contrà: Nam vt natura Angelica sit vniuersalis, sufficit eam quantum est de se, & ex modo concipiendi esse communicabilem; licèt defectu indiuiduorum, quæ non sunt possibilia, de facto non habeat exercitium illius communicabilitatis; ergo nulla responsio. Probatur antecedens; tum ratione, tum exemplo; Ratione

tione quidem, quia vniuersale non est vnum actu respiciens multa, sed vnum, quantùm est de se communicabile multis; ergo vt natura quædam sit vniuersalis, sufficit eam quantùm est de se multis esse communicabilem, licet per accidens non habeat exercitium illius communicabilitatis, defectu illorum multorum; quæ non sunt possibilia. Tum demum exemplo: sic enim virtus Dei dicitur absolutè, & actu infinita: quamuis non possit producere effectum actu infinitum, eò quòd talis effectus repugnet, non quidem ex defectu virtutis in Deo, sed defectu ipsius creaturæ, cui repugnat infinitas. Ergo & à pari natura Angelica dicetur absolutè vniuersalis, saltem secundùm rationem, si ex parte sui, & ex modo concipiendi, sit communicabilis pluribus, licet defectu illorum plurium non possit habere exercitium suæ communicabilitatis: quia quod de facto non communicetur, non est defectu illius; sed defectu indiuiduorum, quæ non sunt possibilia: sicut oleum Elisæi fluere desijt non defectu fœcunditatis, sed defectu vasorum, in quibus reciperetur.

Confirmatur primò: Nam natura, verbi gratia primi Seraphini, concipitur à nobis sine indiuiduo suo, & vt superior ad ipsum; ergo etiam vt vniuersalis. Antecedens videtur certum: Nam concipitur ad modum naturarum corporearum, quæ dum abstrahunt ab indiuiduo, concipiuntur vt superiores ad illud. Probatur consequentia: Nam vniuersalitas consistit in relatione naturæ ad sua indiuidua, vt superioris ad inferiora.

Confirmatur 2. argumento ad hominem: Nam illa natura, quantùm est de se, est communicabilis pluribus, de qua rationabiliter dubitari potest, vtrum habeat de facto plura indiuidua: sed de natura Angelica, vt à nobis concipitur, rationabiliter dubitari potest, vtrum habeat plura indiuidua; ergo quantùm est de se, & ex modo nostro concipiendi, est communicabilis pluribus indiuiduis. Maior est certa: si enim naturæ Angelicæ, vt à nobis concipitur, repugnaret ex parte sui habere multa indiuidua, absurdum esset dubitare, vtrum de facto habeat plura indiuidua. Minor verò patet ex ipsis Aduersarijs: Nam in Theologia grandem quæstionem mouent: vtrum natura Angelica possit habere multa indiuidua, & quidam ex ipsis affirmant posse habere; quidam verò cum D. Thoma id negant; ergo conuincens signum est, quod naturæ Angelicæ, vt à nobis concipitur, non repugnet habere plura indiuidua.

§. II.

§. II.

Soluuntur obiectiones.

Obijcies primò: natura Diuina concipitur à nobis etiam ad modum rerum corporearum, vt insinuat D. Thomas 1.p. quæst. 13. art. 9. & tamen propterea non est vniuersalis etiam secundùm rationem: ergo à pari licèt natura angelica concipiatur à nobis ad modùm rerum corporearum, non erit propterea vniuersalis.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem: Disparitas est, quia natura Diuina est impræscindibilis à singularitate, saltem implicita; siquidem in omni conceptu naturæ diuinæ inuoluitur essentialiter singularitas: Deus enim essentialiter est supremum omnium entium, cui proinde essentialiter repugnat habere socium, aliàs non esset supremum entium; & ideò quomodocumque à nobis concipiatur, repugnat ipsi communicari pluribus: At verò Angelus potest præscindi ab omni prorsus singularitate, quia singularitas Angeli non est de eius primario conceptu, sed de secundario tantum; seu, vt loquitur D. Thomas supra relatus, non consequitur Angelum ex parte naturæ specificæ, sed ex modo indiuiduandi. Adde præterea, quod Deus, cum sit actus purissimus, non potest habere rationem generis, nec speciei, vt sæpe repetit D. Thomas, nec proinde fieri vniuersalis.

Instabis: Atqui singularitas non imbibitur in natura Diuina, vt à nobis concipitur; ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Nam multi dubitauerunt, vtrum essent plures Dij, vel vnicus; ergo signum est, quòd vnitas, & multitudo non includitur in natura Diuina, vt à nobis concipitur.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem dico, idem prorsus esse dubitare, an sint plures Dij, vel vnicus; & dubitare sitne aliquis Deus, vel nullus. Qui enim plures Deos asserit, nullum Deum ponit; nam pluralitas Deorum nullitas Deorum est, vt optimè notat Athanasius orat. cont. Idola: Deus enim essentialiter significat supremum mundi Monarcham: Vnde, sicut qui plures in regno supremos Principes ponit, monarchiam destruit; ita qui plures in mundo Deos asserit, Deitatem tollit. Vnde etiam Gentiles, qui plures Deos ponebant, ipsa veritate victi, vnicum supra omnes alios collocabant, qui omnium Pater, & Domi-

Dominus esset, ac proinde solus verè Deus; adeò vnitas est de conceptu Dei etiam imperfectissimè cogniti. Hinc præclarè Tertullianus notat antiquos in suo Ioue Deorum patre testimonium Deo nostro reddidisse.

Vrgebis: Quare ergo D. Thomas 1 p. q. 13. art. 9. dicit, Deum secundùm rationem esse aliquid communicabile multis?

Respondeo, D. Thomam solum velle, quòd Deus est aliquid communicabile multis secundùm rationem, non quantùm ad naturam ipsam, rectè, & philosophicè intellectam, sed solum quantùm ad nomen, & grammaticaliter, vel saltem quantùm ad errorem Gentilium: Licèt enim nomen Deus sit commune, ideoque habeat plurale; attamen natura per illud nomen significata essentialiter est singularis; ita vt si velimus eam concipere communem, aut à singularitate saltem implicita præcisam, eam totaliter destruamus, vt iam dictum est: At verò natura angelica, verbi gratia, primi Seraphini, licèt concipiatur à nobis sine vlla prorsus singularitate, sed tantum præcisè quatenus est prima natura spiritualis, non destruitur propterea, quia singularis non est, quatenus est natura, sed ex solo indiuiduandi modo.

Obijcies 2. Vniuersale est vnum communicabile multis; sed natura angelica non est communicabilis multis; ergo non est vniuersalis.

Respondeo distinguendo minorem: Natura angelica non est communicabilis multis, secundùm rem, concedo; secundùm rationem, nego: licèt enim pro illo statu, quem habet à parte rei, & vt alligata est vni indiuiduo, in quo totaliter existit, non sit communicabilis multis; attamen secundùm rationem, seu prout à nobis concipitur, est indifferens ex parte sui ad vnum, vel ad plura indiuidua.

Instabis: Atqui nec secundùm rationem est communicabilis multis; ergo nulla solutio. Probatur antecedens: Natura angelica etiam secundùm rationem non est communicabilis indiuiduis impossibilibus: sed illa plura sunt impossibilia; ergo non potest illis communicari.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo maiorem: Natura angelica non potest communicari indiuiduis impossibilibus, absolutè, & secundùm rem, concedo; conditionatè, & secundùm modum concipiendi nego: licèt enim non possimus dicere: **Natura Gabrielis habet plura indiuidua, quod**

est communicari pluribus absolutè; attamen possumus dicere: Natura, quæ est in Gabriele, ex modo quo à nobis concipitur abstracta ab indiuiduo, quantùm est de se est indifferens ad plura, & ita respicit Gabrielem, vt plura alia respiceret, si darentur.

Vrgebis: Ex hac solutione sequitur naturam Angelicam esse solùm conditionatè vniuersalem; ergo nulla solutio. Probatur antecedens: Quia eo modo est vniuersalis, quo est communicabilis pluribus: Atqui non est communicabilis pluribus, nisi conditionatè; ergo non est vniuersalis, nisi conditionatè.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo maiorem: natura Angelica eo modo est vniuersalis, quo est communicabilis, ex se, concedo; ex parte indiuiduorum, nego. Et ad minorem: Natura angelica non est communicabilis pluribus, nisi conditionatè, distinguo, ex parte sui, ita vt defectus actualis communicationis oriatur ex ipsa natura, nego; ex parte indiuiduorum, ita vt talis defectus oriatur ex ipsis indiuiduis, quæ non sunt possibilia, concedo; & nego consequentiam. Explicatur solutio aperto exemplo. Quis enim neget Deum absolutè esse infinitè participabilem, quamuis nulla creatura ipsum infinitè possit participare? Quia scilicet defectus, qui impedit infinitæ communicationis exercitium, non se tenet ex parte Dei, sed ex parte creaturæ: ita pariter dicimus naturam angelicam ab indiuiduo abstractam, esse quantùm est de se communicabilem pluribus; quia quod de facto communicari non possit, non oritur ex parte naturæ angelicæ, sed ex parte indiuiduorum, seu ex modo indiuiduandi.

Dices; Ex quocumque capite illa plura repugnent, natura angelica nullo modo est vniuersalis; ergo nulla solutio. Probatur antecedens: Nam ex quocumque capite tollatur terminus vniuersalitatis, tollitur vniuersalitas; sed illa multa sunt terminus vniuersalitatis; ergo ex quocumque capite repugnent, tollitur vniuersalitas. Et confirmatur: quia nos idem argumentum vrgebamus supra contra Scotum, ad probandum, quod licèt per accidens natura esset diuisa à parte rei, non erat ampliùs vna in multis; ergo etiam ex quocumque capite non possit communicari multis, non est vniuersalis.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo minorem: Terminus vniuersalitatis sunt multa absoluta, & in re, nego; conditionata, & in ratione con-

concedo; Nam vniuersale secundùm rationem tantùm, differt ab vniuersali secundùm rem, & rationem, quod istud respiciat plura actu, vel possibiliter existentia; vniuersale autem secundùm rationem tantùm respicit solùm plura conditionata, & ex modo concipiendi ipsi non repugnantia: Seu, vt dicit Ioannes à Sancto Thoma, vniuersale secundùm rationem tantùm, debet ita respicere vnum, vt quantùm est de se, sit capax respiciendi multa, si darentur.

Ad confirmationem respondeo nos rectè processisse contra Scotum; cùm enim vnitas sit de intrinseco conceptu vniuersalis, ex quocumque capite tollatur vnitas in natura, tollitur vniuersalitas: At verò multitudo in re, & absoluta non est de constitutiuo vniuersalis secundùm rationem; sed solùm multitudo conditionata, & non repugnanter connotata ex parte ipsius naturæ.

Obijcies tertiò: Natura Angelica non potest etiam à nobis concipi sub aliqua ratione sibi repugnante: sed communicari multis repugnat naturæ Angelicæ; ergo non potest concipi, vt communicabilis multis.

Respondeo iam datis solutionibus, distinguendo minorem: Communicari multis repugnat naturæ Angelicæ, secundùm rem, concedo: secundùm rationem, nego: vel absolutè, concedo: conditionatè, nego: vel etiam, repugnat communicari multis, defectu sui, nego, defectu illorum multorum, concedo: solutiones patent ex dictis.

Instabis: Atqui etiam repugnat naturam Angelicam conditionatè, secundum rationem, & ex parte sui communicari multis; ergo nulla solutio: Probatur antecedens: Ei, quod est essentialiter immultiplicabile, repugnat etiam secundùm rationem communicari multis; sed natura Angelica est essentialiter immultiplicabilis: ergo repugnat ipsi communicari multis, etiam secundũ rationem, Maior patet: Nam quod est de essentia, semper rem sequitur, & si ab ea remoueretur, non esset præcisio, sed destructio: Minor verò probatur: Quod essentialiter caret principio multiplicationis, est essentialiter immultiplicabile; sed natura Angelica essentialiter caret principio multiplicationis; ergo est essentialiter immultiplicabilis. Probatur minor: Vt enim dicitur in Metahysica, principium multiplicationis indiuidualis est materia; sed Angelus essentialiter caret materia; ergo essentialiter caret principio multiplicationis.

Respondeo negando antecedens; Ad probationem,

nego

nego minorem; ad cuius probationem, nego iterum minorem ad probationem, distinguo maiorem: Materia est principium multiplicationis realis, & absolutæ, concedo: Est principium multiplicationis conditionatæ, & secundùm rationem, nego. Explicatur solutio: Principium multiplicationis realis, & absolutæ est materia, qua, sine dubio, caret Angelus; & ideò non est multiplicabilis absolutè, & realiter, sed principium multiplicationis conditionatæ, & secundum rationem est cognitio alicuius naturæ ad modum rerum materialium, & cum præcisione à singularitate: Cùm ergo Angelus possit concipi ad modum rerum materialium, & cum præcisione ab omni singularitate, mirum non est, si concipiatur etiam, vt quantum est de se, & ex modo intelligendi, communicabilis pluribus, ac proindè vt vniuersalis saltem secundùm rationem.

Obijcies 4. & simul vrgebis contra datam solutionem: Angelus non potest abstrahi à singularitate; ergo nullo modo potest fieri vniuersalis: Probatur antecedens: Quod est essentialiter singulare, non potest abstrahi à singularitate, sed Angelus est essentialiter singularis; ergo non potest abstrahi à singularitate: Probatur minor: Quod est esentialiter irreceptibile in materia, est esentialiter singulare; sed natura Angeli est esentialiter irreceptibilis in materia (est enim Angelus forma subsistens sine vllo materiæ, & corporis consortio, vt dicetur in Metaphysica) ergo est essentialiter singularis. Probatur maior: Nam irreceptibilitas in materia est causa singularitatis, & indiuiduationis, vt sæpe docet D. Thomas; ergo quod est essentialiter irreceptibile in materia est essentialiter singulare.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem, nego minorem: Ad cuius probationem, nego maiorem: Ad eius probationem, distinguo antecedens: Irreceptibilitas in materia est singularitatis causa, proxima, nego; remota, & radicalis, concedo. Id est, verum quidem est, naturam Angelicam ex hoc, quod caret materia, esse consequenter ita singularem, vt realiter sit immultiplicabilis; attamen ipsa irreceptibilitas in materia non est ipsa formalis singularitas: vnde possumus concipere naturam Angelicam, vt irreceptam in materia, & tamen nondum singularem; ideoque singularitas non est, nisi ad summum proprietas Angeli.

Respondeo 2. cum Ioanne à S. Thoma, distinguendo idem antecedens; irreceptibilitas est causa singularita-

tis,

tis, irreceptibilitas præcisè, vt constitutiua speciei; nego; irreceptibilitas vt indiuiduatiua, concedo: Nam irreceptibilitas Angeli duo habet munera, constituere speciem, & naturam indiuiduare; considerata secundùm primum munus, non est causa singularitatis; ideoque possumus concipere naturam Angelicam, vt irreceptibilem: & tamen nondum singularem: sicut quamuis in via D. Thomæ materia sit indiuiduatiua naturarum corporearum, possumus tamen considerare naturas corporeas vt materiales, & absque eo, quod in illis consideremus singularitatem, quia materia, non solum illas indiuiduat, sed etiam pertinet ad earum specificam constitutionem: ideòque potest considerari secundùm vnum munus, alio non considerato.

Instabis: Quod opponitur proprietati Angeli, non potest attribui Angelo; sed vniuersalitas opponitur proprietati Angeli; ergo non potest attribui Angelo. Maior constat: Nam quamuis possimus concipere rem præcisam à sua proprietate, non possumus tamen aliquid proprietati repugnans de re affirmare: vt, v. g. possum quidem concipere ignem sine calore, non tamen possum frigus de igne affirmare. Minor verò probatur: Nam singularitas est proprietas naturæ Angelicæ: sed vniuersalitas est opposita singularitati; ergo vniuersalitas non potest attribui naturæ Angelicæ.

Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: Vniuersalitas opponitur proprietati naturæ angelicæ, vniuersalitas tam secundùm rem, quàm secundùm rationem, concedo; vniuersalitas secundùm rationem tantùm, nego: Proprietas enim naturæ angelicæ est, quod sit singularis secundùm rem, cui proinde solùm opponitur vniuersalitas secundùm rem, id est, esse de facto in multis à parte rei: Hoc autem non impedit quin secundùm rationem possit esse vniuersalis; & declaratur aperto exemplo. Sic enim simplicitas, & summa indistinctio in re est proprietas, & attributum Dei; & tamen distinctio, & diuisio secundùm rationem tribuitur à nobis ipsi Deo, dum eius attributa per intellectum distinguimus: Sicut ergo simplicitas secundùm rem compatitur distinctionem rationis in Deo; ita quoque in Angelo singularitas secundùm rem compatitur vniuersalitatem, & communicabilitatem secundùm rationem.

Obijcies vltimò: Multitudo illa, quæ ex modo concipiendi conuenit naturæ angelicæ, est merè fictitia; ergo non sufficit ad vniuersalitatem. Probatur ante-

cedens: Quia nullum habet fundamentum in natura angelica; ergo est merè fictitia. Probatur antecedens; natura enim angelica est potiùs fundamentum singularitatis, quàm multitudinis.

Confirmatur: Natura enim habens vnicam speciem non potest, etiam ex modo concipiendi, esse communis multis, & fieri generica: Ergo etiam species habens vnicum indiuiduum non potest concipi, vt communicabilis pluribus, nec fieri vniuersalis.

Respondeo ad argumentum negando antecedens: Multitudo enim illa non est fictitia, sed conditionata: Ad probationem nego antecedens: Ad cuius probationem, distinguo; natura angelica est potius fundamentum singularitatis, quàm vniuersalitatis, si concipiatur modo sibi proprio, sicuti cognoscitur ab Angelis ipsis, concedo; tunc enim concipitur cum sua singularitate, & indiuiduatione; si concipiatur ad modum rerum corporearum, sicuti à nobis cognoscitur, nego; tunc enim, sicut concipitur ad modum naturæ corporeæ, ita quoque easdem fundat intentiones logicales, quas fundare consueuerunt ipsæ naturæ corporeæ: sicuti si Deus conciperetur, vt est in se, nullo modo distingueretur etiam per rationem à suis attributis: Sed quia cognoscitur à nobis imperfectè, & per analogiam ad creaturas, ideo concipitur cum distinctione.

Ad confirmationem, nego paritatem. Disparitas est, quia nullum est fundamentum concipiendi naturam in vnica specie existentem, vt communicabilem pluribus speciebus; bene tamen naturam in vnico indiuiduo, vt quantùm est de se communem pluribus: Quia hoc ipso, quod natura specifica abstrahitur à sua singularitate, quantùm est de se est indifferens ad plura: At verò hoc ipso, quod natura aliqua concipitur in vnica specie, vel sine vlla specie, non concipitur propterea capax plurium differentiarum, & vt communis pluribus speciebus. Profundiorem adhuc rationem disparitatis affert Ioannes à Sancto Thoma: Quia genus communicatur differentijs, & speciebus per modum potentiæ; species verò communicatur indiuiduis per modum actus: Actus autem est de se communicabilis, suique diffusiuus: Potentia verò non est communicabilis nisi ratione actus. Vnde natura potentialis, quæ concipitur sine differentijs, non concipitur, vt communicabilis; quia ab ipsis emendicat communicabilitatem: At verò natura specifica, hoc ipso quod non concipitur restricta per singularitatem, concipitur, vt communicabilis.

Dices:

Dices: Non possumus concipere naturam angelicam aliter quàm sit in se; ergo nec ad modum rerum corporearum. Probatur antecedens: Nam concipere rem aliter quàm sit in se, est errare.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo: Concipere rem aliter, quàm sit in se, est errare; si *aliter* se teneat ex parte modi cognoscendi, nego: si se teneat ex parte rei cognitæ, concedo. Solutio est D. Thomæ 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. Explicatur ex ipso Sancto Doctore: Intellectus esset quidem falsus, si intelligeret rem aliter esse in se, quàm sit in se; v. g. si intelligeret Angelum in se ipso esse corporeum, & realiter multiplicabilem: At verò non est falsus, licet alius sit modus rei in intelligendo, quàm sit in essendo; ita vt v. g. res intelligatur cum præcisione, vel cum abstractione, vel cum distinctione; vel cum relatione prædicati, subiecti, vniuersalis, &c. Quæ tamen omnia non competunt rei, vt est in se; sed adueniunt secundùm quod est in ratione nostra: sic absque falsitate distinguimus Deum à suis attributis; hominem diuidimus in genus, & differentiam; naturam præscindimus à singularibus: Sic attribuimus Petro relationem subiecti, quam non habet in se, &c. Ex quo patet, quod sine falsitate possumus concipere rem aliter quàm sit in se; ex parte modi cognoscendi. Luculentius exemplum habetur in priuationibus, & negationibus, de quibus ita loquimur, sicuti si essent vera entia; Dicimus enim tenebras occupare aerem, cœcitatem excludere potentiam visiuam, mortem esse terribilissimum omnium malorum, & tamen constat, mortem, cœcitatem, & tenebras nihil esse in se ipsis, quamuis illa concipiamus, & de ijs disputemus, quasi essent vera entia. Quidni ergo à pari licebit concipere naturam Angelicam, quasi esset natura corporea, ipsique attribuere vniuersalitatem, sicut consueuimus attribuere naturis corporeis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Proprio, & Accidente.

Pauca quæri solent de istis duobus vniuersalibus: vnde sub vno titulo ea breuiter explicanda suscipimus. Proprium igitur quatuor modis sumi solet. Primò pro eo, quod conuenit soli, sed non omni; vt soli homini competit esse Christianum, esse Medicum,

esse Philosophum; Sed non omni homini ista conueniunt. Secundò, pro eo, quod conuenit omni, sed non soli; vt esse bipedem conuenit omni homini, sed non soli. Tertiò, pro eo, quod conuenit omni, & soli, sed non semper; vt dormire, & vigilare conuenit omni, & soli animanti, sed non semper; Quartò demùm proprium dicitur, quod conuenit omni, soli, & semper, vt igni esse calidum in summo; homini esse risibilem, &c. Hoc posito.

Dico primò; Quartum prædicabile, seu proprium strictè dictum est, quod conuenit omni, soli, & semper. Vnde tria alia magis pertinent ad accidens, quàm ad proprium. Ita communiter omnes.

Probatur primò conclusio authoritate simul, & ratione D Thomæ opusf.48. Proprium enim est, quod causatur ex principijs essentialibus, & ad illa consequitur: sicut ergo res non potest spoliari sua essentia, ita quoque non potest spoliari sua proprietate: Et sicut quælibet res habet specialem essentiam ab omnibus alijs distinctam, ita quoque; & proprietates sibi soli conuenientes; ergo proprietas debet conuenire omni, soli, & semper.

Dices: esse dormitiuum, & vigilatiuum prædicatur de homine in quale necessariò, & tamen non prædicatur de illo solo; ergo vt aliquid sit proprietas, non est necessarium, vt conueniat soli rei.

Respondeo esse dormitiuum, & vigilatiuum nō prædicari de homine reduplicatiuè, vt homo est, sed quatenus est animal; vnde non sunt proprietates hominis, sed animalis, cui conueniunt omni, soli, & semper. Species enim supremæ, & subalternæ habent suas proprietates, sicuti & species infimæ; vt proprietates corporis sunt tres dimensiones, in longum, latum & profundum: Proprietates viuentis sunt, mouere se ipsum ab intrinseco, nutrire se, augere se, & generare sibi simile: Proprietates animalis sunt esse dormitiuum, vigilatiuum, loco motiuum, visiuum, auditiuum, &c. Sicut autem species superiores includuntur in infimis, vt viuens in animali, animal in homine; ita quoque proprietates specierum superiorum conueniunt speciebus infimis; sicut patet in homine, cui conueniunt proprietates corporis, proprietates viuentis, proprietates animalis: & proprietatis hominis.

Obseruandum est autem duplicem distingui proprietatem, aliam physicam, & realem, aliam logicam, & attributalem. Proprietas physica, & realis est accidens

dens reale consequens essentiam, vt calor summus consequitur ignem sensus consequuntur animal, risibilitas consequitur hominem. Proprietas logica, seu attributalis est quædam notio per rationem solùm distincta ab essentia, & ipsam consequens: Sic infinitas dicitur proprietas essentiæ Diuinæ; mortalitas dicitur proprietas viuentis; non habere contraria dicitur proprietas substantiæ, &c. non quod ista sint aliquid distinctum à rebus, quarum dicuntur proprietates; sed quia sunt quædam notiones secundariæ, quas intellectus noster distinguit ab essentia, & ipsi attribuit, veluti appendices ipsius essentiæ.

Quæres: per quid Proprium constituatur in ratione vniuersalis?

Respondeo constitui per respectum ad inferiora speciei, v. g. risibile est vniuersale respectu indiuiduorum speciei humanæ, Petri, Pauli, Ioannis, &c. Ratio est, quia de illis prædicatur in quale necessario, tanquam de suis inferioribus.

Quantùm spectat ad accidens, aliud dicitur physicum, & aliud logicum; accidens phycum est ens in alio subsistens; vt, v. g. pulchritudo, pallor, rubor, &c. sunt accidentia physica vultus, in quo subsistunt, tanquã in suo subiecto. De illis accidentibus physicis agemus in prædicamentis. Accidens verò logicum paulò latiùs sumitur pro omni eo, quod non est cum essentia necessariò coniunctum: Sic etiam priuationes dicuntur accidentia logica, vt cœcitas dicitur accidens oculi, tenebræ dicuntur accidens aeris, &c. Ipsæ etiam denominationes extrinsecæ dicuntur accidentia logica; vt, v. g. videri, & non videri respectu parietis; sciri, & nesciri respectu obiecti, dicuntur accidentia logica: Et generaliter omne, quod non est cum essentia necessariò coniunctum, dicitur accidens logicum. His positis.

Dico secundò, Accidens logicum rectè definitur, illud, quod potest adesse, & abesse salua rei essentia. Intellige de absentia, vel reali, vt pallor, & rubor possunt abesse realiter à vultu; vel de absentia logicali, & secundum rationem, vt nigredo, vel albedo possunt abesse ab Æthiope, & Cygno: possumus enim per intellectum remouere nigredinem ab Æthiope, & albedinem è Cygno, sine vtriusque essentiæ præiudicio: Ita communiter omnes.

Probatur facilè. Nam accidens est vnum prædicabile de multis in quale contingenter: Sed illud, quod potest adesse, & abesse salua rei essentia, prædicatur

de illa in quale contingenter; ergo accidens est, quod potest adesse, & abesse salua rei essentia. Probatur minor. Contingens enim est, quod potest esse, & non esse; ergo illud prædicatur de essentia contingenter, quod potest ab illa abesse, & illi adesse sine eius destructione.

Obijcies; Albedo non potest negari de cygno, nec nigredo de Æthiope; ergo accidens non potest adesse, & abesse à subiecto: Probatur antecedens: Nam hæc propositio est falsa: cygnus non est albus; Æthiops non est niger.

Respondeo, distinguendo antecedens: Non potest negari absolutè, concedo; non potest negari sine destructione essentiæ, nego: Quamuis enim ista propositio, Æthiops non est niger, sit falsa; attamen ista est vera, Æthiops remota omni nigredine remanet semper homo: Nam nigredo in Æthiope est solùm aliquid consequens ad complexionem eius, & ad tractum, in quo habitat; Vnde si varietur complexio, & habitatio, variatur iste color, non solùm in hominibus, sed etiam in animalibus; Nam Æthiopum familiæ translatæ ad temperatiores regiones paulatim albescunt, sicuti, & animalia mutato tractu, vel viuendi consuetudine, demutant colores: sic lepores inter niues Alpinas albescunt, & palumbes, coniculi, feles, & alia animalia, dum cicurantur, natiuos colores exuunt; Ex quo patet, eiusmodi colores posse abesse etiam salua rei essentia.

Instabis: Existentia, & mors sunt accidentia: sed existentia non potest abesse salua rei essentia, nec mors adesse sine essentiæ destructione; ergo falsum est, accidens posse adesse, & abesse sine subiecti corruptione.

Respondeo transeat maior (non enim videtur mors esse accidens, sed potiùs corruptio ipsius rei) & distinguo minorem: Non possunt adesse, & abesse salua rei essentia, in esse physico, concedo; in esse metaphysico, nego: seu, quod idem est, salua rei essentia, quantùm ad actualitatem existendi, concedo: quantùm ad veritatem prædicatorum essentialium, nego: siue enim homines moriantur, siue viuant, semper verum est, hominem esse animal rationale: ac proinde mori, vel existere, est merum accidens respectu essentiæ humanæ.

AR-

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrùm vniuersale in communi sit genus ad quinque præfata vniuersalia?

Difficultatem hanc hucusque distulimus propter importunitatem quarumdam obiectionum, quæ vix intelligi possunt, nisi teneatur quid sit genus, & quid species. Vnde vt breuiter resoluatur,

Dico: Vniuersale in communi est genus ad quinque vniuersalia. Ita communiter omnes, paucis exceptis.

Probatur conclusio: Genus est quod prædicatur de multis specie differentibus in quid incompletè; sed vniuersale in communi prædicatur de quinque particularibus, tanquam de specie differentibus in quid incompletè; ergo est genus ad illa. Probatur minor: Prædicatur enim per modum termini quidditatiui exprimentis in quo ista quinque vniuersalia essentialiter conueniant; siquidem in hoc conueniunt, quod sint vniuersalia, seu vnum aptum inesse multis.

Obijcies 1. Genus debet prædicari vniuocè: sed vniuersale non prædicatur vniuocè respectu quinque particularium; ergo non est genus ad illa. Probatur minor: vniuersale est vnum in multis: sed esse vnum in multis non conuenit vniuocè quinque vniuersalibus; ergo vniuersale non conuenit vniuocè, &c. Probatur minor: Nam esse in multis essentialiter, & esse in multis accidentaliter, non est esse in multis vniuocè: sed genus, species, & differentia sunt in multis essentialiter; accidens verò est solùm in multis accidentaliter; ergo esse in multis non conuenit vniuocè quinque vniuersalibus.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, nego minorem: ad eius probationem distinguo: esse in multis essentialiter, & esse in multis accidentaliter, non est esse in multis vniuocè, quantùm ad ipsam entitatem, quæ est in multis, concedo; quantùm ad ipsam intentionem vniuersalitatis, nego: id est, illud quod respicit multa, vt eorum essentia, & illud, quod respicit multa, vt quid aduentitium, non conueniunt vniuocè, quantùm ad ipsam entitatem; attamen possunt conuenire quantùm ad ipsam vniuersalitatem. Vniuersalitas enim exigit præcisè, vt aliquid respiciat multa, tanquam superius sua inferiora: Patet autem; quod tam accidens, quàm genus, vel differentia respiciunt multa, tanquam aliquid superius sua inferiora:

Vnde vniuersalitas dicitur vniuocè de accidente, & de alijs vniuersalibus; sicuti esse prædicatum conuenit vniuocè Deo, & creaturis: substantiæ, & accidenti; dum enim dico: Pater Æternus est Deus, homo est iustus, homo est animal; ly, *Deus iustus, animal*, conueniunt vniuocè in ratione prædicati; quamuis quantùm ad entitatem sint maximè diuersa, & nullo modo vniuoca.

Obijcies secundò: Si vniuersale esset genus ad quinque vniuersalia, sequeretur genus esse speciem, quia poneretur sub vniuersali in communi, tanquam species sub suo genere: sequeretur etiam speciem esse genus; nam vniuersale esset quædam species genereitatis, & alia eiusmodi absurda; ergo, &c.

Respondeo cum distinctione: sequeretur genus esse speciem, sub eodem respectu, nego; sub diuerso respectu, concedo; Nam genus respectu vniuersalis in communi est quædam species vniuersalis; respectu verò propriarum specierum est genus: Neque mirum est, quòd ista entia rationis reciprocè sese denominent, & includant; itaut quod vno modo est genus, alio modo sit species; vel econtrà: Nam etiam prædicatum potest esse subiectum, & subiectum prædicatum; definitio potest esse definitum; demonstratio potest se ipsam demonstrare; & sic de alijs entibus rationis.

Instabis: saltem sequeretur speciem vt subijcibilem esse vniuersalem; nam species, inquantùm subijcitur vniuersali in communi, est aliquid vniuersale.

Respondeo primo cum distinctione: sequeretur speciem esse vniuersalem, quatenus subijcibilem vniuersali in communi, concedo; quatenus subijcibilem naturæ solùm habenti vniuersalitatem, nego. Dum enim suprà dicebamus, speciem, vt subijcibilem non esse vniuersalem, loquebamur de specie, vt subijcibili, non quidem ipsi vniuersalitati in communi; sed alicui superiori naturæ habenti vniuersalitatem.

Respondeo etiam secundò distinguendo eamdem sequelam: sequeretur speciem, vt subijcibilem esse vniuersalem, si species sumatur primò intentionaliter pro ipsa natura specifica, nego: Si species sumatur secundò intentionaliter pro ipsa vniuersalitate naturæ specificæ, concedo: licèt enim natura specifica, v. g. humana, non sit vniuersalis, quatenus subijcitur suo generi; attamen ipsa vniuersalitas naturæ specificæ semper est vniuersalis, saltem vt quo, quantumuis subijciatur vniuersalitati in communi.

QVÆSTIO TERTIA.

De Proprietatibus Vniuersalium.



VPLEX assignari solet proprietas vniuersalium, perpetuitas scilicet, & prædicabilitas. Ex hoc enim quod vniuersale sit in multis, sequitur ipsum esse prædicabile de multis; nam prædicari sequitur ad esse: & ex hoc quod natura vniuersalis sit præcisa à singularibus, sequitur eam abstrahere ab existentia, quæ non est nisi singularium; ac proinde abstrahere ab omni tempore, quod est mensura existentiæ; Et sic esse quodammodo perpetuam; id est, ad nullum tempus alligatam: De vtraque ista proprietate breuiter agemus duobus articulis:

ARTICVLVS PRIMVS.

An, & quomodo Vniuersalia sint perpetua.

Diuus Thomas in primo, distinctione 33.art.1. notatly, *esse*, tripliciter sumi. Primò sumitur pro existentia; sicut dicimus, quod viuere viuentibus est esse, id est existere: Et quod singularia modò sunt, modò non sunt; id est, modò existunt. modò non existunt. Secundò, *esse*, sumitur pro ipsa rei quidditate, & essentia; hoc modo Aristoteles dicit:quod definitio explicat esse rei, id est, essentiam ipsius. Tertiò, *esse*, sumitur pro identificatione vnius cum alio; quæ identificatio exprimitur per verbum *est*: Vt dum dicimus, bis tria sunt sex; homo est animal rationale, &c. Hoc posito.

Quæritur, vtrum naturæ vniuersales sint ab æterno tribus istis modis: primò quantùm ad existentiã, vtrum scilicet semper existant. Secundò, quantùm ad essentiam, an scilicet earum essentia sit æterna: Tertiò, quantùm ad identificationem prædicatorum essentialium, an scilicet propositiones de illis formatæ sint æternæ veritatis.

Dico primò: naturæ vniuersales non existunt ab æterno. Conclusio est de fide, qua tenemus, quidquid existit extra Deum, in tempore incepisse.

Probatur; nam vniuersalia existunt in singularibus,

v. g. homo, in Petro, & Paulo: sed singularia non sunt æterna; ergo nec ipsæ naturæ vniuersales existunt ab æterno: Maior patet ex dictis quæst. 1. art. 1. Minor verò est certa de fide, & probabitur in Physica contra Occellum, & alios antiquos Infideles, qui ponebant mundum ab æterno.

Dico secundò: Essentia vniuersalium extra Deum non est positiuè perpetua; sed solùm negatiuè. Conclusio supponit, quid sit esse perpetuum negatiuè, & perpetuum positiuè: Illud dicitur positiuè perpetuum, & æternum, quod se extendit ad omnia tempora, & ad omnes durationes: Sic Deus dicitur perpetuus positiuè: quia ambit omnes durationum differentias. Illud dicitur negatiuè perpetuum, & æternum, quod abstrahit ab omni tempore: Sic veritates scientiarum dicuntur perpetuæ, & æternæ, quia abstrahunt ab omni differentia temporis; v. g. ista veritas, Iustitia est virtus, dicitur veritas æterna: quia non enunciat virtutem de Iustitia pro aliqua temporis differentia, sed abstrahendo ab omni tempore, & ab omni iustitia particulari, quæ est, vel fuit, vel erit; ita explicat D. Thomas 1. p. quæst. 16. art. 7. ad 2. Hoc prænotato.

Probatur prima pars conclusionis. Nam naturæ vniuersales (v.g. natura humana) nullum habent esse positiuum, quo se extendant ad omnia tempora; ergo non sunt positiuè æternæ: Probatur antecedens, vel enim illud esse positiuum esse productum, vel improductum: Non potest esse improductum; quia quidquid est extra Deum, à Deo productum est: si autem sit productum à Deo, incepit; nam productio rerum, vt docet Fides, incepit in tempore.

Dices: Quidditas, seu essentia creaturæ cognita est ab æterno ab ipso Deo; ergo habuit esse cognitum ab æterno.

Respondeo quod esse cognitum est tantùm denominatio extrinseca nihil ponens in re; vnde ex hoc quod Deus cognouerit omnia ab æterno; non sequitur illa fuisse extra Deum, sed solùm idealiter in Deo, vt ait D. Thomas, quæst. 3. de pot. art. 5. *non sunt aliud nisi creaturæ essentia*, quæ est omnium naturarum idea, & primarium exemplar.

Probatur verò secunda pars; tùm authoritate D. Thomæ, qui 1 p. q. 16. art. 7. ad 2. *Viuersale*, inquit, *dicitur esse perpetuum, quia abstrahit ab omni tempore*: tùm etiam ratione: Nam illud dicitur perpetuum negatiuè, quod ex se non est determinatum ad tempus, sed abstrahit in

fuo

suo conceptu ab omni tempore: sed essentiæ vniuersales in suo conceptu abstrahunt ab omni tempore; ergo sunt perpetuæ negatiuè. Probatur minor: Nam tempus non est de essentia rei; ergo essentiæ rerum abstrahunt à tempore, v.g. dum concipio naturam humanam in vniuersali, eam abstraho ab omni differentia temporis, quia tempus non est de essentia hominis.

Confirmatur: Sicut enim ens consistit in vnione essentiæ cum existentia; ita quoque essentia consistit in habitudine prædicatorum essentialium, seu in vnione eorumdem prædicatorum cum subiecto: v.g. essentia hominis consistit in eo, quod sit animal rationale. Quamuis autem prima vnio, scilicet essentia cum existentia, dependeat à tempore; attamen secunda vnio animalis rationalis cum homine, non dependet à tempore; semper enim homo est animal rationale, & animal rationale est homo; ergo talis essentia est æterna negatiuè. Quod declarari potest adhuc amplius: Nam dupliciter aliquid potest identificari cum subiecto. v.g. cum homine: Primò per modum prædicati quidditatiui, & essentialis; sicut v, g. animal, & rationale. Secundò per modum prædicati aduentitij, vt Medicus, Musicus, Philosophus possunt quidem identificari cum homine, non tamen per modum quidditatis ipsius hominis, sed solùm per modum alicuius aduentitij: vnde ista identificatio dependet à tempore, & ideò non dicitur æterna; non enim ab æterno homo, & Medicus sunt idem; sed solùm pro aliqua temporis differentia; postquam scilicet homo didicerit medicinam. At vero prima identificatio, scilicet animalis rationalis cum homine, non dependet à tempore, aut ab aliqua actione; sed semper ex se ipsis animal, & rationale sunt idem cum homine, non quidem ita vt animal rationale, & homo fuerint ab æterno aliquid positiuum actualiter extra Deum, sed quia ab æterno fuit negatio diuersitatis inter illa duo, imò quædam identitas aptitudinalis, ac obiectiua, & habitudo immobilis, per quam vnum exigit identificari cum alio, & non potest concipi diuersum ab ipso.

Dico tertio: Propositiones in materia naturali, & vniuersali sunt æternæ veritatis. Ita communiter omnes.

Probatur conclusio; Nam veritas propositionis fundatur in identitate prædicati cum subiecto; sed in materia essentiali, & vniuersali talis identitas est æterna; ergo propositiones in tali materia sunt æternæ veritatis. Probatur minor tum authoritate D. Augustini, qui

dicit, quod licèt Mundus non esset, tamen semper verum esset bis tria esse sex, & hominem esse animal rationale: tum ratione: Nam ab æterno exigunt talia prædicata identificari cum suis subiectis; ergo etsi ab æterno identificarentur formando de illis propositiones, tales propositiones erunt veræ: vnde ista, v. g. semper fuit vera, homo est animal rationale; Demonstratio est syllogismus scientificus; Charitas est præstantissima virtutum, & aliæ eiusmodi propositiones: ex quo intelligitur, quare scientiæ sint de rebus æternis, scientiæ enim respiciunt huiusmodi veritates, quæ cùm sint æternæ, sequitur quoque ipsas scientias esse de veritatibus æternis.

Obijcies: etiam propositiones in materia contingenti fuerunt ab æterno veræ; ergo nullum est discrimen inter propositiones contingentes, & necessari as seu vniuersales: Probatur antecedens: Nam ista propositio, Antichristus erit: Mundus incendio peribit: Mortui resurgent, & aliæ eiusmodi, semper fuerunt veræ, & ab æterno cognoscuntur à Deo.

Respondeo distinguendo antecedens: Propositiones in materia contingenti ab æterno sunt veræ, ex se ipsis, nego; ex voluntate Dei; concedo. Quòd enim Antichristus sit futurus, hoc non est ex natura rei, sed ex voluntate Dei: At verò quòd bis tria sint sex, quòd homo sit rationalis, hoc est ex ipsa natura rei, independenter ab omni decreto diuinæ voluntatis. Dici etiam posset, quod propositiones contingentes, licèt sint ab æterno veræ, non tamen pro æterno, sed solùm pro aliqua temporis differentia: Nam v. g. quòd Antichristus sit futurus, hoc est solùm verum pro aliqua duratione, in qua Antichristus erit. At verò quòd bis tria sint sex, hoc est verum ab æterno, & pro æterno.

Dices: Habitudo supponit extrema existentia: sed nec homo, nec animal rationale ab æterno extiterunt; ergo non fuit inter illa habitudo identitatis.

Respondeo distinguendo maiorem: habitudo supponit extrema existentia, habitudo exercita, & positiua consistens in actuali relatione vnius ad aliud, concedo; habitudo negatiua consistens in negatione non identitatis inter duo, & in exigentia, vt concipiantur identificata, nego: Non autem dicimus inter hominem, & animal rationale ab æterno fuisse habitudinem realem, & positiuam, quæ consistat in actuali relatione, quam dixerint inter se; sed solùm fuisse quandam habitudinem negatiuam, & obiectiuam, in eo sitam, quod

animal

animal rationale nunquam fuerit diuersum ab homine, & semper potuerit verè affirmari de illo.

Vrgebis: vel illa habitudo est aliquid reale, vel nihil: Si est aliquid, non est æterna; si est nihil, non potest fundare veritatem propositionum necessariarum.

Respondeo esse aliquid exigitiuè, & negatiuè, id est, negationem diuersitatis inter illa duo, & exigentiam, vt concipiantur identificata; vel dici potest esse aliquid obiectiuè, inquantùm tales habitudines possunt ab æterno intelligi, & obijci intellectui; nam si intellectus humanus fuisset ab æterno, etiam ab æterno cognouisset esse habitudinem necessariam inter conceptum hominis, & animalis rationalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De prædicabilitate Vniuersalium.

NOta prædicationem esse triplicem, materialem scilicet, identicam, & formalem. Prædicatio materialis est, in qua prædicatum, & subiectum sunt quidem à parte rei eadem res; attamen in conceptu vnum nullo modo includitur in alio: vt cùm dico, animalitas est rationalitas. Ista propositio est materialiter vera, quia in homine animalitas, & rationalitas sunt eadem res: Attamen formaliter loquendo est falsa; quia conceptus animalitatis nullo modo includit conceptum rationalitatis. Prædicatio identica est, quando prædicatum omnibus modis idem est cum subiecto, vt dum dico; Petrus est Petrus: Ensis est gladius. Prædicatio formalis mediat inter vtramque, & est quando prædicatum nec omninò idem est, nec formaliter diuersum à subiecto, sed vnum aliquatenus includit aliud, id est, prædicatum in potentia includit subiectum, & subiectum actu continet prædicatum: vt dum dico, homo est animal, *animal* in potentia continet hominem, & *homo* actu continet animalitatem.

Nota secundò, aliquid posse prædicari dupliciter, in concreto scilicet, & in abstracto: possum enim dicere, humanitas est rationalitas; vel homo est rationalis: calor est qualitas; vel, calidum est quale, licèt autem nomen abstractum, & nomen concretum exprimant idem formaliter; attamen non exprimunt eodem modo: Concretum enim exprimit suum significatum formale, vt habitum ab aliquo, seu vt coniunctum subiecto, vt *album*, significat albedinem habitam ab

aliquo

aliquo, ipsique coniunctam; significat enim id, quod habet albedinem: Abstractum verò significat formam puram, & auulsam ab omni subiecto, vt *albedo*, *& humanitas* exprimunt eiusmodi naturas ab omni subiecto, & ab omni habente auulsas.

Nota tertiò, quod in accidentibus subiectum est penitùs extra lineam essentiæ eorum, & nullo modo pertinet ad ipsorum conceptum quidditatiuum: possumus enim concipere, quid sit albedo complete, & perfectè sine vllo subiecto; At verò in naturis substantialibus suppositum (sic enim vocatur illud, in quo sunt, & à quo habentur) non est penitus extra illarum conceptum; sed pertinet ad illas, veluti complement um substantiale; suppositum enim est complementum lineæ substantialis, & reddit naturam perfectam in genere substantiæ, vt dicetur in Metaphysica: ex quo fit, vt accidens, quando significatur in abstracto, id est, vt auulsum ab omni subiecto, habet rationem totius completi in linea accidentis, vt albedo significat completè omnem essentiam albedinis: At verò natura substantialis, dum significatur in abstracto, id est, abstrahendo ab omni supposito ipsam habente, non est totum substantialiter perfectum, sed solum quasi pars: Nam suppositum est complementum naturæ substantialis, vnde, quando significatur sine supposito, est aliquid incompletum: sic humanitas non habet rationem totius substantialiter completi, sed solùm partis, quæ iuncta supposito, facit hominem; homo enim est suppositum, seu persona habens humanitatem. Hæc obiter prælibata sint, quorum amplior notitia tradetur in Methaphysica. His ita prænotatis.

Dico primò; genus, & species in substantijs debent prædicari in concreto. Vnde illa propositio, homo est animal, est vera prædicatio generis de specie; non autem ista, humanitas est animalitas. Et ista est vera prædicatio speciei de indiuiduo: Petrus est homo; non verò, Petreitas est humanitas.

Probatur conclusio: Nam genus, & species debent prædicari per modum cuiusdam essentiæ completæ in suo ordine; sed prædicata substantialia abstracta non significant per modum naturæ completæ substantialiter; ergo genus, & species in substantijs non debent prædicari in abstracto, sed in concreto. Probatur minor: quia abstractum substantiale v.g. humanitas significat naturam sine supposito, quod tamen est complementum naturæ substantialis.

Dico

Dico 2. econtrà in accidentibus genus, & species debent prædicari in abstracto; Vnde ista prædicatio est verè generis de specie, albedo est color; non autem ista; album est coloratum.

Probatur conclusio: Nam accidens in abstracto sumptum perfectè, & complete exprimit essentiam accidentis: siquidem, vt diximus: subiectum nullo modo pertinet ad essentiam accidentis; ergo oportet, vt prædicetur in abstracto: præcipuè quia etiam accidens in concreto dicit duas essentias, scilicèt essentiã propriam, & essentiam subiecti: oportet autem genera, & species esse essentias simplices; ergo necesse est, vt in accidentibus genus, & species non efferantur in concreto, sed in abstracto.

Dices: sic se habet humanitas ad animalitatem, sicut homo ad animal; & album ad coloratum, sicut albedo ad colorem; ergo vtrobique est prædicatio generis de specie.

Respondeo negando antecedens; quia, vt dictum est, humanitas significat solùm naturam substantialiter incompletam: Vnde non potest proprie dici genus, aut species; imò, vt dicetur infra, abstractum substantiale non ponitur directè in prædicamento: At verò econtra, album significat aliquid vnum per accidens; significat enim duas essentias accidentaliter vnitas, scilicet essentiam subiecti, & essentiam ipsius accidentis, genus autem, & species debent significare essentiam simplicem, & per se vnam.

Instabis: Ista prædicatio est vera, humanitas est animalitas; ergo est generis de specie.

Respondeo: Transeat antecedens (non enim verum est formaliter humanitatem esse animalitatem, sed solùm materialiter, inquantùm vtrumque est vna entitas in homine) & nego consequentiam: Non enim omnis prædicatio vera est propriè generis de specie: nam prætereà requiritur, vt genus, & species efferantur in tali statu, in quo habeant rationem naturæ completæ; humanitas autem, & animalitas significant tantùm aliquid incompletum in linea substantiæ.

Dico 3. Differentia, proprium, & accidens prædicari debent in concreto de suis inferioribus. Patet conclusio: Quia prædicantur in quale, & per modum alicuius adiectiui; ergo & in concreto: Probatur consequentia; quia omne adiectiuum est concretum.

Quæres, vtrum natura in actuali prædicatione retineat vniuersalitatem, vt dum dico, Petrus est homo,

vtrum *homo* applicatus Petro, sit adhuc vniuersalis?

Respondeo affirmatiuè: tum quia exercitium proprietatis non destruit essentiam. Sed prædicatio est exercitium proprietatis vniuersalium; ergo non destruit vniuersalitatem; tum quia vniuersale prædicatur de particulari, tanquam superius de inferiori; ergo remanet semper superius, ac proinde vniuersale.

Dices: *Si homo* dictus de Petro retinet adhuc vniuersalitatem; sequitur quod Petrus est vniuersalis: Probatur sequela per hanc regulam: *Quando aliquid prædicatur de alio, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subiecto*: Ergo, si vniuersalitas dicatur de homine, dum prædicatur de Petro, dicetur etiam de ipso Petro.

Respondeo negando sequelam: Quia vt dicit D.Thomas Opus.56. quando vniuersale prædicatur de particulari, non prædicatur quantùm ad vniuersalitatem, sed solùm quantùm ad naturam, quæ habet vniuersalitatem. Ad regulam autem dico eam intelligendam esse de prædicatis realibus, & absolutis, non verò de secundò intentionalibus, vt magis infra dicetur agendo de ista regula.



DISPVTATIO SECVNDA.


De Prædicamentis.



Explicuimus quot modis vnum dicatur de alio tanquam superius de inferiori; nunc ea, quæ dicuntur de alio, distribuenda sunt in quasdam classes, & vniuersalissima genera, quæ vocantur prædicamenta seu categoriæ; Nam Κατηγορέω græcè, idem est, ac latinè *prædico*; vnde prædicamenta definiuntur: suprema genera eorum, quæ prædicantur de prima substantia; seu series rerum prædicabilium sub vno primo genere ordinatarum. Totam autem disputationem diuidimus in tres partes; quarum prima erit de quibusdam præambulis, seu, vt vocant, de Anteprædicamentis; Secunda verò, & præcipua, erit de Prædicamentis: Tertia demum, veluti pedissequa, erit de Postprædicamentis: ita enim diuisus est iste Tractatus ab Aristotele, qui primus eius Author extitit, & ab eo suæ Logicæ exordium fecit. Fuit autem Aristoteles (vt aliquid de tanto viro dicamus) natione Macedo, patria Stagirites, cor-

poris

poris forma minimè insignis, ingenio supra hominem sublimi; Platonis primò per viginti annos discipulus extitit: deinde Alexandri Magni per decem annos præceptor; postmodum tredecim annos docuit Athenis in lycæo, vbi sectam in Peripateticam, seu à loco, qui *Deambulatorium* dicebatur, seu quòd ambulando doceret, ita nuncupatam instituit. Accusatus autem, quòd de Dijs, & Religionibus malè sentiret, sponte profugus seueritatem Areopagi in Socrate eadem de causa expertam, declinauit. Obijt in Chalcide annos natus 63. Multa scripsit in omni Philosophiæ parte, quorum magna pars perijt, quamuis plurima adhuc remanserint. Olim à Patribus Ecclesiæ, præcipuè Iustino Martyre, & Gregorio Magno, summis odijs exagitatus est, veluti præcipuus Fidei hostis, & de Diuinis malè sentiens; Aristotelis enim character est, omnia etiam Diuina velle humana ratione metiri, periculosa certè in Diuinis rebus mensura. Vnde de statu hominis post mortem omninò siluit; quia nihil certi ex ratione habere poterat; & dum perlegisset libros Moysis, fertur dixisse. *Barbarus ille bene loquitur, sed nihil probat*: Mirabatur enim Diuinam sacræ Scripturæ energiam; sed tamen Fidem ei negabat, quòd non ratione probet ea, quæ dicit, sed sub sola Dei authoritate intellectum captiuet; ideòque Plato, qui magis sapit doctrinam Hebræorum, & ex eius principijs multa deducit, semper à Patribus Ecclesiæ prælatus est ipsi Aristoteli. Cæterùm modò Aristoteles à D. Thoma purgatus, illustratus, & vt aliquis dixit, penè baptizatus, tanto interpreti debet, quòd nunc ex omnibus antiquis in Schola solus auditur, tanto consensu, vt exceptis ijs, in quibus contra fidem apertè sensit, eius authoritatem omnes recipiant. Vnde scitè dixit Mirandulanus; *Sine Thoma mutus est Arostoteles*.



QVÆSTIO PRIMA.

De Antepradicamentis.



RIPLEX est respectus in prædicamentis: Primò enim respiciunt ens in communi, quod diuidunt: Secundò respiciunt substantiam, quam denominant: Tertiò respiciunt sua inferiora, tanquam supremà eorum genera. Respectu entis prædicamenta sunt analoga.

loga, vt dicemus in Metaphysica; respectu suorum inferiorum sunt vniuoca; respectu substantiæ sunt denominatiua. Vnde primò agendum est de vniuocis, æquiuocis, analogis, & denominatiuis. Secundò explicandum est, quid sit ens complexum, & incomplexum. Tertiò referemus duas regulas deseruientes ad coordinationem Prædicamentorum: Quartò diuidemus ens in decem Prædicamenta; hæc enim sunt, quæ solent explicari, antequam agatur de Prædicamentis: ideòque vocantur Antepredicamenta.

ARTICVLVS PRIMVS.

De primo Antepradicamento, scilicet de vniuocis, æquiuocis, analogis, & denominatiuis.

PRælibauimus aliquid in Logica minori de terminis vniuocis, æquiuocis, & analogis; nunc agendum est de ipsis rebus per talia nomina significatis. Termini enim illi solent dici vniuoca vniuocantia, æquiuoca æquiuocantia, analoga analogantia: econtrà verò res per istos terminos significatæ dicuntur vniuoca vniuocata, æquiuoca æquiuocata, analoga analogata; de quibus omnibus sigillatim hic agemus.

Vniuoca ergo dicuntur ab Aristotele: Quorum nomen commune est, & ratio per nomen significata simpliciter eadem; sic Petrus, Paulus, Ioannes, vniuoca sunt respectu hominis: sic leo, bos, equus, & homo, vniuoca sunt respectu animalis; quia eodem modo participant id, quod per ista nomina significatur. Hæc definitio clara est; solùm obseruandum est, quòd ista vox *Ratio* sumitur pro ipsa quidditate, seu essentia, quæ per nomen significatur.

Æquiuoca sunt, quorum nomen commune est, ratio per nomen significata simpliciter diuersa: Vnde æquiuoca in sola voce conueniunt, in re verò prorsus differunt. Sic piscis, sidus, & animal domesticum æquiuoca sunt respectu istius nominis *Canis*: Sic etiam (*Robur*) æquiuocū est, respectu quercus, & respectu fortitudinis.

Notandum autem, quod Aristoteles sub æquiuocis comprehendit etiam analoga, quæ ipse appellat, æquiuoca à consilio (pura enim æquiuoca vocat æquiuoca à casu) quamuis claritatis gratia soleant distingui, & alio nomine appellari, vnde.

Analoga sunt, quæ media inter vniuoca, & æquiuoca, nec omnino eadem sunt, nec omnino diuersa, sed inter-

& quodammodo proportionata: Vnde dicuntur ea, quorum nomen commune est, ratio verò per nomen significata simpliciter quidem diuersa in illis est, secundùm quid tamen eadem, id est, per aliquam proportionem, vel habitudinem: sic pulsus, vrina, medicina, cibus, & animal dicuntur analogicè: quia nec omninò differunt, nec omninò conueniunt in sanitate; differunt, quia diuersimodè illam respiciunt; conueniunt, quia hæc omnia dicuntur sana ab eadem sanitate; Nam animal dicitur sanum, eò quòd habeat sanitatem, pulsus, & vrina dicuntur sana, quia illam significant: medicina, quia illam causat: cibus, quia illam conseruat, & iuuat. Similiter principium, respectu cordis, fontis, & puncti dicitur analogicè, quia licèt ista differant inter se, attamen aliquo modo inter se proportionantur, inquantùm, sicut cor est origo vitæ, ita fons est origo riuuli, & punctum est initium lineæ; vnde proportionaliter conueniunt in ratione principij.

Analoga sunt duplicis generis; scilicet analoga attributionis, & analoga proportionalitatis. Analoga attributionis dicuntur, quæ idem nomen sortita sunt ex habitudine ad vnum principale, cui attribuuntur: Vnde definiuntur: Ea, quæ sunt idem secundùm terminum, diuersa verò secundùm modum, quo ipsum respiciunt. Id patet in exemplo, *sani*, quod dicitur à sanitate, quæ quidem principaliùs reperitur in animali; cætera verò dicuntur sana, eò quod respiciant sanitatem animalis; sic pulsus dicitur sanus; quia indicat animalis sanitatem; medicina, quia illam causat; cibus, quia illam conseruat. Similiter (*Diuinum*) desumitur à Diuinitate, quæ principaliùs attribuitur Deo: cætera verò, quæ Deum respiciunt, dicuntur *Diuina* ab ipsa Diuinitate, quæ est in Deo. Sic mundus dicitur *Diuinus*, quia à Deo factus est; Charitas dicitur *Diuina*, seu Theologica, quia respicit Deum: Scriptura sacra dicitur *Diuina*, quia à Deo inspirata est; sacerdos dicitur *Diuinus*, quia Deo ministrauit; lex dicitur *Diuina*, quia à Deo lata est. Vbi vides in ista analogia cetera analogata denominari ab vno principali, quod respiciunt. Istud autem principale vocatur famosius, & principalius analogatum; cætera verò; quæ illud respiciunt, dicuntur minùs principalia analogata; vt in exemplis allatis, natura Diuina est principalius analogatum respectu istius nominis *Diuinum*; & animal respectu istius nominis *Sanum*, nomen autem analogum simpliciter sumptum stat pro famosiori analogato, vt communiter

dici-

dicitur; id est, quando effertur sine vlla modificatione, significat id, quod est principalius inter analogata, v.g. sanum significat animal, vt dum dico, sanum est quod adæquatur in humoribus.

Analoga proportionis sunt, quæ diuersa quidem sunt, aliquatenus tamen conueniunt, non quidem per habitudinem ad vnum principale, sed per similitudinem, & proportionem, quam dicunt inter se: Vnde definiuntur: Ea quorum nomen commune est, ratio verò per nomen significata simpliciter quidem diuersa, proportionaliter tamen eadem, id est, similis secundùm quamdam proportionem. Sic *principium* dicitur analogum analogia proportionalitatis respectu cordis, fontis, & puncti. Sic *risus* dicitur analogum respectu hominis, prati, & fortunæ: Sic *Rex* dicitur analogum respectu hominis, leonis, aquilæ, & apis; quia *risus*, & *Rex*, dicuntur de eiusmodi rebus, non quod respiciant vnum tertium principale; sed quia aliquatenus, & metaphoricè inter se proportionantur: Nam sicut homo, qui cæteris præest, dicitur *Rex* inter homines; ita leo dicitur *Rex* inter feras, & aquila inter aues, & ex apibus vna dicitur *Rex*, non quidem, quod ista respiciant regem hominum, sed quia eo modo se habent in multitudine sui generis, sicuti Rex in multitudine hominum. Huiusmodi analogia frequenter vtitur Scriptura sacra, dùm res Diuinas nobis proponit per metaphoram, & proportionem ad creaturas. Sic Deus dicitur aliquando irasci, pacari, quiescere, surgere, sedere, descendere, &c. per metaphoram, & analogiam ad creaturas, inquantùm producit aliquos effectus proportionatos illis, quos producunt homines irati, pacati, quiescentes, surgentes &c. v. g. dum punit, dicitur iratus; dum parcit, dicitur pacatus; dum cessat ab opere externo, dicitur quiescere &c.

Quæres, quis analogiam induxerit?

Respondeo tres præcipuè causas analogiæ esse; scilicet rationem, necessitatem, & venustatem. Ratio quidem induxit analogiam, quia, quæ respiciunt aliquid, meritò denominantur ab ipso, vt domus, supellex, comitatus, arma, satellitium, &c. meritò *regia* dicuntur, eò quòd ad regem pertineant. Necessitas etiam, cùm enim in quibusdam linguis sit penuria nominum, vnica vox ad plura aliquatenus similiter significanda debuit transferre; & hæc præcipuè causa est, cur in lingua Hebræa tot sint æquiuoca, & analoga; quia, cum Hebræis pauca nomina sint, necesse est eamdem vocem plura signi-

ſignificare: Sic vox *ain* ſignificat oculum, fontem, ſcintillam, aſpectum, & ſuperficiem; & propter hanc cauſam varietas verſionum contingit, multipliceſque ſacræ Scripturæ ſenſus litterales, qui licèt inter ſe diuerſi appareant, attamen textui concordant. Tertia cauſa analogiæ eſt venuſtas ſermonis; cùm enim intellectus noſter proportionibus delectetur, gaudet expreſſionibus metaphoricis, & analogicis, quibus vna res per aliam ſimilem ob oculos ponitur: ſic negotium dicitur maturum, quando præſtò eſt, vt expediatur; dentes dicuntur molares, qui cibos atterunt, veluti mola triticum; virtus dicitur ſolida, & robuſta, quæ peccandi occaſionibus corrumpi non poteſt; homo dicitur clarus, qui inter alios ob dignitatem ſuam notior eſt, &c.

Denominatiua tandem dicuntur, quæ ab aliqua forma nomen habent ſolo vocis caſu diuerſum, vt à Grammatica dicitur Grammaticus, à Philoſophia Philoſophus: & hoc modo ſubſtantia denominatur ab alijs prædicamentis, vt à quantitate, quanta; à qualitate, qualis; à relatione, relata, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De reliquis antepradicamentis. Vbi etiam agitur de conditionibus requiſitis ad hoc, vt aliquid ſit in prædicamento.

Secundum antepræedicamentum ab Ariſtotele traditum, eſt, quid ſit complexum, quid incomplexum. Complexa ſunt, quæ plura ſimul comprehendunt; vt homo albus, comprehendit duas eſſentias, ſcilicet hominis & albedinis. Incomplexa ſunt, quæ aliquid ſimplex exprimunt, vt homo, virtus, albedo, &c.

Tertium antepræedicamentum eſt regula, quæ ſic habet: *Quandò aliquid prædicatur de ſubiecto, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de ſubiecto*: quod intelligendum eſt de prædicatis realibus, & abſolutis, non verò de prædicatis ſecundò intentionalibus. Sic, quia animal dicitur de homine, quidquid conuenit realiter animali, conuenit etiam homini, v. g. eſſe ſenſitiuum, eſſe dormitiuum, eſſe viuens, &c. Attamen prædicata ſecundò intentionalia animalis, v. g. quod ſit genus, quod ſit contrahibile per differentias, &c. non conueniunt homini. Ratio autem huius regulæ eſt, quia prædicatum continetur in ſubiecto. Vnde quidquid

pertinet ad prædicatum, debet etiam competere subiecto. Propter hanc regulam in coordinatione prædicamentali semper superiores gradus cum suis proprietatibus includuntur in inferioribus; vt viuens in animali; animal in homine; & homo cum duobus alijs in Petro. Hinc est, quod D. Thomas sæpè vtitur ista regula, quam sic exprimit: *semper prius includitur in posteriori*.

Quartum antepraedicamentum est alia regula, quæ sic dicit: *Duorum generum non subalternatim positorum diuersa sunt differentiæ*; vt scientia, & animal non constituuntur per easdem differentias; *at verò in generibus subalternatim positis nihil prohibet easdem esse differentias*. Ratio regulæ est, quia differentia superior includitur in speciebus inferioribus, vt vitalitas in planta, animali, & homine; ideòque planta, animal, & homo differunt à lapide, v. g. per vitalitatem.

Quintum antepraedicamentum est diuisio entis incomplexi in decem prædicamenta, quæ sunt, Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, & Habitus; quæ omnia duobus versiculis sunt comprehensa.

Arbor, sex, seruos, Feruore, Refrigerat, Vstos;
Ruri, Cras, Stabo, sed Tunicatus ero.

Arbor, significat substantiam; *Sex*, quantitatem; *Seruos*, relationem; *Feruore*, qualitatem; *Refrigerat*, actionem; *Vstos*, passionem; *Cras*, quando; *Ruri*, vbi; *Stabo*, situm; *Tunicatus*, habitum.

Probatur autem bonitas huius diuisionis: Tum antiquitate sua; fuit enim semper apud antiquos celebris; tum ratione; tot enim sunt prædicamenta, quot sunt suprema genera; sed sunt decem suprema genera: ergo & decem prædicamenta: Maior constat; nam prædicamentum est supremum genus. Minor probatur: Tot sunt suprema genera, quot sunt modi generales essendi: sed sunt decem modi generales essendi; ergo & decem suprema genera. Probatur minor: Nam quidquid est, vel est in se ipso subsistens, vel est in alio; si est per se subsistens, vt homo, lapis, Angelus, dicitur substantia; si autem est in alio, dicitur accidens: quod rursus diuiditur in nouem suprema genera. Quidquid enim accidit substantiæ, vel eam extendit, & sic est quantitas; vel eam refert ad aliud, & sic est relatio; vel eam qualificat, & in se modificat, & sic est qualitas; vel connotat aliquid extrinsecum, & si quidem connotet ipsum vt principium, à quo est, sic erit actio, si vt subiectum

ctum in quo est, erit passio ; si vt mensuram durationis, erit quando ; si vt mensuram extensionis localis, erit vbi ; si per modum certæ cuiusdam coaptationis partium locati ad locum, erit situs ; si per modum ornamenti superadditi, erit habitus, seu vestitus.

Dices : sunt solùm quinque vniuersalia ; ergo debent esse tantùm quinque prædicamenta.

Respondeo negando consequentiam ; Nam vniuersalia sunt modi, quibus vnum respicit multa, vt superius inferiora ; prædicamenta verò sunt suprema genera rerum prædicabilium ; licèt autem sint solùm quinque modi respiciendi multa tanquam inferiora ; attamen sunt decem suprema genera rerum prædicabilium, sicut supra dictum est.

Instabis : sunt solùm duo genera rerum ; quidquid enim est, vel per se subsistit, vel in alio ; seu vel est accidens, vel substantia.

Respondeo accidens subdiuidi in nouem suprema genera, quæ simul iuncta cum substantia faciunt decem prædicamenta.

Quatuor autem sunt conditiones requisitæ, vt aliquid ponatur in prædicamento.

Prima est, vt sit ens reale : nam solùm hic diuidimus entia realia ; vnde entia rationis non pertinent ad prædicamenta ; sed si vellemus diuidere ens rationis, ipsùmque coordinare in suas species, oporteret condere alia prædicamenta.

Secunda conditio est, vt sit ens per se vnum, id est, vt dicat vnicam essentiam totalem ; non verò aggregationem plurium essentiarum ; vnde nomina complexa non ponuntur in prædicamento, v. g. homo albus ; quia non significant vnicam essentiam. Ratio autem huius conditionis est, quia, quod non dicit vnicam essentiam, non habet vnicum genus, nec proinde poni potest sub vno prædicamento. Propter hanc conditionem concreta accidentalia, si sumantur quantùm ad omnia quæ dicunt, non sunt in prædicamento, v. g. Medicus, Albus, Musicus, &c. Quia scilicet ista concreta important duas essentias, subiecti scilicet, & accidentis ; vt Medicus dicit hominem, & medicinam, licèt solùm formaliter exprimat medicinam. Attamen si concreta accidentalia sumantur quasi substantiuè, & pro suo formali significato tantùm, id est, pro sola forma accidentali, sic poni possunt in prædicamento : Et in hoc sensu Aristoteles aliquando enumerat prædicamenta accidentalia in concreto, vt quantum, quale, &c. sumendo

scilicet

scilicet quantùm, & quale substantiuè, pro ipsa quantitate, & qualitate, & sicuti fieri sæpè solet, præcipuè in lingua Græca.

Tertia conditio est, vt sit ens completum; partes enim non sunt propter se, sed propter totum; vnde reducuntur ad prædicamentum sui totius, v. g. Caput, Cor, Pectus, &c. reducuntur ad prædicamentum animalis. Propter hanc conditionem abstracta substantialia, vt animalitas, & humanitas, non sunt directè in prædicamento; quia significant naturas substantiales per modum partis, & sine supposito, quod tamen est complementum naturæ substantialis.

Quarta conditio est, vt sit ens finitum; nam ens infinitum comprehendit, imò superexcedit omnia prædicamenta, vtpote cùm contineat totam plenitudinem essendi, cuius prædicamenta sunt solùm quidam particulares modi; vnde sicut totum non capitur sub parte, ita neque ens infinitum sub aliquo prædicamento. Quidam tamen negant hanc conditionem; sed infrà contra eos probabitur, ostendendo, quòd Deus, qui solus est ens infinitum, non continetur in prædicamento.

Addi prætereà potest, quod id, quod ponitur in prædicamento, debet esse vel genus, vel species: Nam prædicamentum est coordinatio specierum sub vno primo genere; vnde illa directè ponuntur in prædicamento, quæ directè ponuntur sub genere; ideòque differentiæ non ponuntur in prædicamento directè, sed solùm à latere, quatenus scilicet diuidunt genera, & constituunt species. Propter hanc etiam rationem æquiuoca, & analoga non ponuntur sub prædicamento, quia non habent rationem generis, & speciei.

QVÆSTIO SECVNDA.

De primo prædicamento, scilicet Substantia.



PRædicamenta partim ad Logicam pertinent, partim ad Metaphysicam. Vt enim sunt quædam suprema genera, seu series prædicabilium, pertinent ad Logicam; vt verò sunt membra diuidentia ens in communi, spectant ad Metaphysicum: vnde Logicus solùm debet examinare in prædicamentis rationem generis & speciei, seu ordinem, & dispo-

sitio-

ctionem ipsorum: Metaphysicus verò debet explicare ipsam quidditatem prædicamenti: Nos tamen secuti consuetum morem, vtrumque hic simul præstabimus; ideòque Logici simul, & Metaphysici munere fungemur, Incipiendo ergo à substantia, circa eam tria quærimus: Primò, quid sit; Secundò, quotuplex sit; Tertiò, quas habeat proprietates.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Substantia.

SVbstantia præcipuè dupliciter sumitur: Primò pro essentia; & in hoc sensu diuagatur per omnia prædicamenta; omne enim prædicamentum est aliqua essentia: Secundò sumitur pro quodam particulari modo essendi; in quo sensu constituit speciale prædicamentum: quod vt magis explicetur.

Nota, duplicem esse modum essendi, in se scilicet,& in alio; quæ sunt in se, & per se, vocantur substantiæ; quæ verò sunt in alio, vocantur accidentia: Nam sicut videmus in arboribus quasdam habere satis roboris, vt se ipsas sustineant, v.g. Quercum; Pinum, Platanum, &c.quasdam verò debiliores esse,ideòque, vt sustineantur, egere fulciri ab alijs, ipsisque adhærere, vt sunt Hedera, & Filaria; ita quoque in entibus, quædam subsistunt in se ipsis, vtpote perfectiora, neque indigent fulciri ab alio; & ideò dicuntur substantiæ, cuiusmodi sunt Homo, Lapis, Angelus, &c. Quædam verò, vtpote debiliora, indigent fulciri ab alijs, ipsisque adhærere; & ideò dicuntur accidentia; eiusmodi sunt Sanitas. Virtus, Pulchritudo, Frigus, &c. Si enim tollas subiectum, in quo sunt, subsistere ampliùs non possunt, v.g. pereunte homine, simul cum eo perit pulcritudo, robur, frigus, &c. quia ista subsistunt in homine, cui inhærent, & à quo veluti sustinentur.

Ex his apparet, substantiam habere duplex munus: Primò enim subsistit in se ipsa; secundò substat accidentibus, sicut videmus, quod corpus lucidum duo habet munera: Primò enim lucet in se ipso; secundò illuminat alia. Quærimus quodnam ex istis duobus muneribus essentialiter constituat substantiam.

Quidam dicunt substantiam essentialiter constitui per hoc, quod substet accidentibus. Quidam verò tenent illam constitui non quidem, ex eo quòd subsistat in se ipsa, vel subest accidentibus; sed ex eo quòd non sit in

alio: vnde dicunt formale constitutiuum substantiæ esse negationem essendi in alio tanquam in subiecto. Pro explicatione veræ sententiæ.

Dico: Substantia essentialiter constituitur, non quidem per hoc, quod substet accidentibus, aut per negationem essendi in alio, sed per hoc, quòd subsistat per se; id est, quòd habeat esse adeò perfectum, vt ipsi non conueniat esse in alio; vt explicat D. Thomas 1. contra Gent. cap. 25.

Probatur prima pars: Nam constitutiuum rei est primum, quod est in re: sed substare accidentibus non est primum, quod est in substantia; ergo non constituit essentialiter substantiam. Probatur minor: Priùs est enim subsistere in se, quàm substare alijs; siquidem ratio, cur substantia substet accidentibus, est, quia per se subsistit; sicut ratio, cur sol illuminet alia, est, quia lucet in se ipso; & ratio, cur columna substineat domum, est, quia in se firma est, & solida.

Probatur secunda pars: Quia negatio non constituit essentialiter ens positiuum: sed substantia est ens positiuum; ergo non constituitur essentialiter per negationem essendi in alio. Adde quòd subsistere in alio est quid positiuum; ergo à fortiori subsistere in se, cùm sit nobilissimus modus essendi, est quid positiuum. Vnde substantiæ constitutiuum commodius assignabitur per istud positiuū, scilicet per hoc, quod est subsistere in se.

Tertia pars patet ex dictis, & probari prætereà potest: Nam substantia constituitur essentialiter per id, quod est primum in ea, & radix aliorum: sed primum in substantia est subsistere per se, & est radix aliorum; ergo substantia constituitur per hoc, quòd est subsistere in se, & per se. Probatur minor: Nam ratio, cur substantia non sit in alio, & substentet accidentia, est, quia subsistit in se ipsa, seu per se ipsam.

Colligitur ex his, substantiam rectè definiri, ens per se subsistens; sicuti econtrà, accidens dicitur, ens subsistens in alio: quæ definitiones ita intelligendæ sunt, vt substantia sit ens: cui debetur existere per se, & non in alio; & accidens sit ens, cui debetur esse in alio. Cæterùm, quod actualiter substantia existat per se, & accidens existat in alio, non est de essentia vtriusque, quia actualis existentia, non est de essentia alicuius creaturæ. Ita D. Thomas in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2. Descriptiuè autem substantia definitur, id quod substat accidentibus; quia substare accidentibus est aliquid secundarium in substantia, consequens ex eo, quod subsistat in se ipsa.

Obij-

Obijcies primò: Substantia dicitur quasi sub alijs stans; ergo substare alijs est constitutiuum substantiæ.

Respondeo negando consequentiam: Quia nomen non semper sumitur ab essentiali constitutiuo rei, sed vt plurimum à notioribus proprietatibus, vt lapis dicitur à lædendo pedem: vinum à viribus, quas auget: Sol eo quòd sit solus, & vnicus: Luna, quasi luminum vna, eo quòd scilicet vniat in se lucem superiorum siderum: Et tamen patet res eiusmodi non constitui essentialiter per id, à quo nomen habent.

Instabis: Humanitas Christi est substantia: sed Humanitas Christi non subsistit per se; ergo subsistere per se non constituit substantiam. Probatur minor: Nam Humanitas Christi subsistit per suppositum Diuinum; ergo non subsistit per se.

Respondeo distinguendo minorem: Humanitas Christi non subsistit per se, prout ly, *per se*, excludit subiectum in quo sit, nego: prout, *per se*, excludit suppositum, cuius sit, concedo: Non est autem contra rationem substantiæ, quòd sit in alio tanquam in supposito, seu persona habente ipsam; sed solùm, quod sit in alio tanquam in subiecto fulciente. Suppositum autem vocamus personam, cuius aliqua natura est; subiectum vero id, in quo accidens est, & à quo fulcitur. Patet autem, quod licèt Natura Christi non sit sui ipsius, vel proprij suppositi, sed Verbi Diuini, & secundæ Personæ Trinitatis, à qua assumpta est per Incarnationem; attamen non est in alio, tanquam in subiecto, Vnde dicitur subsistere per se eo modo, quo aliæ substantiæ, id est per exclusionem subiecti, cui inhæreat. Sed de his in Metaphysica.

Dices: Ad hoc vt Natura Christi diceretur per se subsistere, saltem deberet subsistere per propriam personalitatem: sed non subsistit per propriam personalitatem; ergo non potest dici per se subsistens.

Respondeo negando maiorem: Vt enim natura substantialis dicatur completè per se subsistens, sufficit, quòd habeat personalitatem sibi propriam, vel appropriatam. Humanitas autem Christi habet personalitatem Diuinam sibi ita appropriatam, vt in omnibus gerat vices propriæ personalitatis: Vnde tam potest dici substantia per se subsistens, quàm qualibet alia natura humana.

Obijcies secundò; Quantitas in Eucharistia non est in alio tanquam in subiecto; & tamen propterea non dicitur substantia, sed accidens; ergo substantia non est

id, quod per se subsistit, & non in subiecto.

Respondeo distinguendo antecedens: Quantitas in Eucharistia non est in alio tanquam in subiecto, actualiter, concedo; aptitudinaliter, & exigitiuè, nego: licèt enim remota substantia panis in Eucharistiæ Mysterio, quantitas non sit ampliùs actualiter in illa tanquam in suo subiecto, sed à Deo miraculosè conseruetur sine vllo subiecto; semper tamen exigit connaturaliter subiectum, ita vt, nisi diuinitùs conseruaretur, periret remota substantia panis, & ideò semper est accidens, quia accidens est, quod exigit inhærere alij tanquam subiecto: substantia verò id, quod exigit esse in se ipso, & non in alio, sicuti dictum est ex D. Thoma.

Dices contra 2. partem conclusionis: *Per se*, non significat nisi negationem essendi in alio, vt dicit D. Thom. 1. contra Gent. cap. 25. Sed substantia constituitur per hoc, quòd est esse per se; ergo constituitur per negationem essendi in alio.

Respondeo ex D. Thoma ibidem; quod licèt particula, *per se*, non videatur importare nisi negationem essendi in alio; attamen esse per se non consistit in tali negatione, sed in hoc, quòd est esse modo adeò perfecto, vt non indigeat subiecto sustentante: vnde substantia consistit in illo positiuo esse, cui conuenit subsistere non in alio, sed in se ipso.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex sit Substantia.

Aristoteles diuisit substantiam in primam, & secundam. Primam substantiam vocat indiuidua, vt Petrum, Paulum, Socratem, &c. Secundas substantias vocat genera, & species, vt hominem, animal, viuens &c. vnde idem est, ac si diuideretur substantia in singularem, & vniuersalem; ideòque ista diuisio non est totius actualis in diuersa membra realiter distincta; sed eiusdem rei in diuersos status, diuersasque considerationes. Dicit autem Aristoteles; secundas substantias prædicari de primis tanquam de subiecto, pro cuius intelligentia.

Nota, quòd subiectum est duplex, scilicet subiectum physicum, & subiectum logicum: Subiectum physicum est, cui inhæreret aliquod accidens, v.g. homo, respectu scientiæ, est subiectum physicum; quia scientia inhæret ipsi homini: Subiectum verò logicum est, de quo aliquid prædicatur, v. g. Petrus est subiectum logicum ho-

hominis; nam de Petro prædicatur homo. Contingit autem quædam prædicari de subiecto, licèt non inhæreant ipsi, tanquam subiecto physico, vt notat Aristoteles cap. 1. de prædicamentis: Vnde in hoc sensu secundæ substantiæ dicuntur prædicari de prima, non quòd ipsi inhæreant tanquam subiecto physico: sed quia identificantur cum illa; ideòque prima substantia dicitur subiectum secundarum, non quidem physicum, sed logicum.

Quæres, cur Atistoteles vocet indiuidua primas substantias; genera verò, & species solùm secundas substantias?

Respondeo ex eodem Aristotele: Quia indiuidua sunt maximè substantiæ: cùm enim substantia duo dicat, scilicet, substere in se, & substate accidentibus, vtrumque principaliùs conuenit indiuiduis. Nam indiuidua primò, & per se substant accidentibus: Non enim homo in communi ægrotat, vel currit, vel studet, sed hic homo in singulari: Et prætereà indiuidua per se principaliùs subsistunt; genera enim, & species non subsistunt nisi in indiuiduis, cum quibus identificantur, vt species humana in Socrate, vel Platone.

Circa diuisionem substantiæ agitari solet, quænam res ponantur sub isto prædicamento; & præcipuè, vtrum substantia Diuina collocetur sub substantia prædicamentali tanquam species sub suo genere. Hæc difficultas celebris est, quam ideò sequenti paragrapho diligentiùs discutiendam suscipimus.

PARAGRAPHVS VNICVS.

Vtrùm Deus ponatur in prædicamento Substantiæ.

QVantùm ab substantias creatas, in primis certum est apud omnes, substantias corporeas, vt elementa, lapides, plantas, bruta, & homines poni sub prædicamento substantiæ. De corporibus cælestibus quidem dubitant propter Aristotelem dicentem, *corruptibile, & incorruptibile differre genere*: Cùm igitur cæli apud nos sint incorruptibiles, videtur eos non posse poni sub eodem genere cum substantijs corruptibilibus. Sed facilè explicatur Aristoteles dicendo ipsum locutum fuisse, vel de genere physico, id est, materia: quæ in cœlis, & in substantijs sublunaribus

est diuersæ rationis, vt dicetur in 2. parte Physicæ; vel intellexisse de genere subalterno, non verò de genere supremo, ita vt sensus sit, corpora cælestia esse alterius generis à sublunaribus, quamuis ista duo genera proxima contineantur sub aliquo superiori, scilicet substantiæ corporeæ in communi: sicut animal, & planta differunt genere; & tamen ista duo genera continentur sub genere viuentis in communi.

De Angelis plures dubitarunt, sint ne in prædicamento substantiæ: Cùm enim sint entia simplicia, id est, non componantur ex materia, & forma, sed sint formæ subsistentes sine vllo corporis commercio, non videntur componi ex genere, & differentia, vt sentit Durandus. Genus enim sumitur à materia, & differentia à forma: vnde vbi non est materia, non videtur habere locum compositio generis, & differentiæ. Sed iam apud omnes constat ipsos verè poni in prædicamento substantiæ: sunt enim veræ substantiæ, finitæ, completæ, accidentibus substantes; in quibus genus desumitur ab essentia secundùm id, quod est in ea potentiale: & differentia à forma secundùm id, quod est in ea actuale; non enim sunt actus puri, sed potentialitate permixti: & licèt sint perfectiores rebus corporeis, possunt tamen conuenire vniuocè cum illis in ratione substantiæ; sicut homo, licèt formicis, & vermibus longè præcellat, attamen conuenit cum illis vniuocè in ratione animalis. Tota difficultas est circa Deum; quem Nominales dicebant poni in prædicamento substantiæ, quorum opinionem quidam moderni suscitare contendunt. Pro resolutione.

Dico: Deus non ponitur in prædicamento substantiæ. Ita D. Thomas, Thomistæ omnes, & communiter alij tum Philosophi, tum Theologi.

Probatur primò conclusio authoritate Patrum, apud quos est expressa. Nam Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum cap. 5. dicit, *Deum neque genus, neque speciem, neque indiuiduum esse*. Nec proinde poni sub genere, vel prædicamento, quod est supremum genus. Et D. Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ cap. 1. recensitis prædicamentis subiungit, *Ab his omnibus proprietas summæ essentiæ euidenti ratione excluditur*. Quid clarius? Et Dionysius ait: *Dum esse potiùs supersubstantiam, quàm substantiam*, vt indicet non comprehendi sub genere substantiæ, sed ipsum transcendere. Vnde D. Thomas perpetuò excludit Deum ab omni genere, & prædicamento, vt videre est 1. p. q. 3. a. 5. & alijs in locis.

Pro-

Probatur secundò ratione: Quod non constat genere, & differentia, non est in prædicamento: sed Deus non constat genere, & differentia; ergo non est in prædicamento: Maior certa est apud omnes: Nam prædicamenta sunt suprema genera; ideoque quod non est sub genere, non est sub prædicamento. Minor probatur: Actus purissimus non constat genere, & differentia; sed Deus est actus purissimus: ergo non constat genere, & differentia. Minor certa est: Probatur maior: Nam actus purissimus non constat natura potentiali, & actuali; sed genus est natura potentialis, & differentia est natura actualis; ergo actus purissimus non constat genere, & differentia. Minor patet ex dictis de vniuersalibus. Maior probatur: Nam in actu purissimo ne vestigium quidem potentialitatis apparere potest. Potentialitas enim est veluti vmbra actus; vnde sicut lux purissima est, quæ caret omni vmbra, ita purissimus actus est, qui caret omni potentialitate. Argumentum est ex D. Th. 1.p. q.3. art.5. & Op.42. cap.3.

Respondebis: Deum non componi secundùm rem ex genera, & differentia, bene tamen secundùm nostrum modum concipiendi.

Sed contra: Nam etiam ex modo concipiendi Deus est actus purissimus; ergo etiam ex modo concipiendi non est compositus ex genere, & differentia: Probatur antecedens: Nam concipimus Deum cum exclusione omnis potentialitatis; ergo concipimus ipsum, vt actum purissimum: Probatur antecedens: Nam potentialitas est imperfectio: sed concipimus Deum, cum exclusione omnis imperfectionis; ergo etiam cum exclusione potentialitatis.

Dices: Nos quidem concipere Deum, cum exclusione potentialitatis physicæ, non tamen cum exclusione potentialitatis metaphysicæ.

Sed contra: Nam etiam potentialitas metaphysica est imperfectio; ergo non possumus Deum concipere cum potentialitate metaphysica. Probatur antecedens: Quid enim intelligunt aduersarij per potentiam metaphysicam? sine dubio illam, quæ tendit ad actum metaphysicum, & per illum perficitur; est autem actus metaphysicus, qui perficit, non quidem per modum formæ determinantis materiam, sed per modum actualitatis complentis, & terminantis essentiam: atqui tendere ad talem actum, & perfici per ipsum denotat aliquam imperfectionem, scilicet nondum esse perfectum in ordine metaphysico; ergo etiam potentialitas meta-

physica est aliqua imperfectio. Deinde, Deus debet concipi à nobis, vt actus purissimus etiam in ordine metaphysico; ergo & sine potentialitate metaphysica.

Dices: Adhuc illam potentialitatem metaphysicam solùm consistere in eo, quòd distinguamus duos conceptus, quorum vnus determinatur, & perficitur per alium: ideoque dicitur esse in potentia metaphysica ad ipsum.

Sed contra: Nam non possumus tales conceptus perfectibiles per alios attribuere ipsi Deo; ergo nulla responsio. Probatur antecedens: Vt enim docent Theologi, quando attribuimus aliquem conceptum Deo, verbi gratia conceptum substantiæ, debemus ipsum attribuere remotis imperfectionibus, & prout dicit vltimam actualitatem suæ lineæ; alias enim talis conceptus non posset ascribi Deo: atqui conceptus potentialis, & vlteriùs perfectibilis non dicit vltimam actualitatem suæ lineæ, vt de se patet; ergo non potest attribui Deo.

Probatur 3. Nam Deus non conuenit vniuocè cum creaturis in ratione substantiæ; ergo non ponitur cum illis in prædicamento substantiæ. Consequentia patet: quia, quæ ponuntur sub prædicamento, debent conuenire vniuocè: Probatur antecedens; Tum quia Deus alio modo subsistit, quàm creaturæ; Deus enim subsistit per comprehensionem totius plenitudinis essendi; creatura verò per tenuem participationem subsistentiæ Diuinæ; ergo creatura, & Deus non subsistunt eodem modo; nec proinde conueniunt in ratione substantiæ. Vnde Hilarius vocat Deum, *immensum substantiæ pelagus*. Scriptura verò dicit creaturas esse coram Deo, tanquam guttam roris; imò expressiùs esse tanquam nihilum, & quasi non essent. Tùm etiam, quia substantia creata, non est nisi vmbra, & tenuis imago substantiæ Diuinæ. Vnde Patres sæpè dicunt, creaturas esse solùm vestigia Dei; & Plato rectè docuit, Mundum creatum non esse, nisi vmbram melioris Mundi, scilicet Archetyphi, & Diuini; ergo sicut homo non dicitur vniuocè de picto, & verò; ita nec substantia, vniuocè dicitur de Diuina, & creata. Tum demùm, quia, vt probatur 1. p. quæst. 13. art. 5. Deo, & creaturis nihil potest esse vniuocum.

Dices: Diuersitatem non tollere vniuocationem: Et ideò quamuis substantia creata sit diuersa à Diuina, potest tamen conuenire cum ea vniuocè.

Sed contra: Nam licet diuersitas, quæ attenditur secun-

cundùm differentias superadditas rationi genericæ, vt secundùm rationalitatem, & irrationalitatem respectu animalis, non tollat vniuocationem; bene tamen illa diuersitas, quæ prouenit ex ipsa ratione communi; sed Deus; & creatura differunt in ipsa ratione communi substantiæ: (nam habent diuersissimum modum subsistendi); ergo non conueniunt vniuocè in ipsa ratione substantiæ.

Probatur 4. ens infinitum non est in prædicamento: sed Deus est ens infinitum; ergo non est in prædicamento. Probatur maior: Nam quod continetur sub prædicamento, clauditur terminis illius prædicamenti, ita vt non se extendat ad alia prædicamenta: sed ens infinitum non potest claudi terminis alicuius prædicamenti; ergo non potest poni sub prædicamento. Probatur minor: Nam prædicamenta sunt quidam particulares modi essendi, in quos diuiditur ens: sed, quod est infinitum non potest compræhendi sub aliquo particulari modo essendi; ergo nec claudi terminis alicuius prædicamenti. Probatur minor: Quia ens infinitum capit in se totam plenitudinem essendi: sed tota essendi plenitudo non potest comprehendi sub aliquo particulari modo essendi; (nullum enim totum clauditur sub sua parte) ergo ens infinitum non potest comprehendi sub aliquo modo essendi.

Confirmatur: Illud ponitur in prædicamento, quod determinatum est, & limitatum ad aliquem specialem modum entis: sed ens infinitum, & actualissimum, qualis est Deus, non determinatur, & limitatur ad aliquem specialem modum entis; ergo, &c. Probatur minor: Tum quia determinari est potentiæ per actum; vnde quidquid determinatur, debet componi ex potentia, & actu. Tum quia determinatio, & limitatio opponitur infinitati. Argumentum desumitur ex D. Thoma Opusc. 42. cap.3.

Obijcies: Illud ponitur sub prædicamento substantiæ, cui conuenit definitio substantiæ, sed Deo conuenit definitio substantiæ; ergo ponitur sub prædicamento substantiæ. Probatur minor: Substantia definitur ens per se subsistens; sed Deus est ens per se subsistens; ergo definitio substantiæ conuenit Deo.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Deus est ens per se subsistens, modo creaturis vniuoco, nego; modo creaturis analogo, concedo. Explicatur: Subsistere per se, dicitur quidem de Deo, & de substantia creata; non tamen vniuocè, sed solùm ana-

analogicè. Nam Deus longe alio modo subsistit, quàm substantia creata; Deus enim subsistit per plenitudinem essendi, & per existentiam à sua essentia omninò indistinctam; Substantia verò creata subsistit per imperfectam illius plenitudinis participationem, & per existentiam à sua essentia distinctam, vt dicetur in Metaphysica. Vnde substantia creata est solùm quidditas susceptiua existentiæ: sed Diuina substantia est ipsa existentia, & ipsum esse purissimum, vt probant Theologi. Patet autem quod esse per se subsistens non dicitur eodem modo de eo, quod est ipsa subsistentia purissima, & de eo quod est solùm essentia capax existendi per se, nec proinde vniuocè. Et hic est sensus distinctionis, qua vtuntur aliqui dicentes, substantiam creatam existere solùm aptitudinaliter, Deum verò existere actualiter; quia substantia creata est solùm susceptiua existentiæ; sed substantia Diuina est ipsa existentia, & subsistentia.

Ex his colligitur, quod licet conceptus, nomen, & definitio substantiæ attribuantur Deo; attamen non ipsi attribuuntur nisi, vt emendata, & depurata ab omni potentialitate, quam dicunt in Creaturis; conceptus enim substantiæ, eiusque definitio in Creaturis significat aliquem specialem modum essendi, contrahibilem per differentias, à quibus perficitur, & actuatur; at verò, quando applicatur Deo, non sumitur pro aliquo speciali modo essendi, sed pro tota latitudine entis, seu pro ipso esse purissimo, & nullo modo perfectibili per differentias superadditas; quo modo non potest habere rationem gradus generici, respectu Dei sicut habet respectu Creaturarum. Propter hanc rationem D. Dionysius dicit, quod Deus non est substantia, sed supersubstantia, id est, quòd non subsistit eo modo; quo Creaturæ, sed habet aliquam entitatem, cui conuenit eminenter ipse gradus subsistendi; ideòque attribuimus Deo conceptum, & definitionem substantiæ, longè tamen diuerso modo à Creaturis.

Instabis: Non repugnat Deum componi ex genere, & differentia; ergo nec poni in prædicamento: Probatur antecedens: Compositio rationis non repugnat Deo: sed compositio ex genere, & differentia est tantùm compositio rationis; ergo compositio ex genere, & differentia non repugnat Deo. Probatur maior: Deus non est magis simplex, quàm vnus: sed distinctio rationis non repugnat eius vnitati: ergo compositio rationis non repugnat eius simplicitati.

Res-

Respondeo negando antecedens: Ad probationem, nego maiorem: Ad eius probationem, nego paritatem: Nam distinctio rationis fundatur in eminentia Diuinæ naturæ, quæ licet vnica sit, æquiualet tamen infinitis perfectionibus: Vnde meritò per rationem distinguitur in varia attributa. At verò compositio rationis fundatur in permixtione potentialitatis, & proinde in imperfectione; Siquidem genus est natura potentialis, & imperfecta per differentiam perfectibilis, & actuabilis; ideoque distinctio rationis potest attribui Deo, non tamen compositio.

Vrgebis: Datur in Deo distinctio rationis: ergo, & compositio: probatur consequentia: Nam compositio est distinctorum vnio: ergo si detur in Deo distinctio rationis, dabitur, & compositio.

Respondeo negando consequentiam: Ad probationem, distinguo antecedens: Compositio est vnio distinctorum sese mutuò excludentium, concedo; Sese mutuò includentium, nego. Ad hoc enim, vt quædam componant, non sufficit, quòd aliquo modò distinguantur, sed oportet, vt non se includant: Vnde licèt vnum, verùm, bonum distinguantur per rationem ab ente, cuius sunt proprietates; attamen non componunt cum illo, etiam compositione rationis, quia illud includunt & transcendunt. In Deo autem attributa, & formalitates, quas intellectus distinguit, sese mutuò includunt; transcendunt, & imbibunt; vt docent Theologi PP. & ideò tales formalitates non possunt componere etiam compositione rationis.

Dices: Etiam genus includit differentias, v.g. animal rationalitatem, & tamen componit cum illis compositione rationis; ergo licèt in Deo vnus conceptus includat alium, poterit cum illo componere metaphysicè.

Respondeo distinguendo antecedens; Genus includit differentiam, in potentia, concedo; actualiter, nego. Vt autem aliquid possit componere cum alio, sufficit, quod non includat illud actualiter: At verò in Deo vnus conceptus includit etiam actualiter omnes alios, saltem implicitè, quamuis illos non exprimat, v. g. conceptus essentiæ actu includit conceptum existentiæ; vnde in Deo non potest dari compositio etiam metaphysica per rationem.

Quantùm verò pertinet ad Christum; licèt Scotus videatur negasse ipsum poni in prædicamento, etiam ratione naturæ humanæ; attamen communiter omnes af-

firmant: Sicuti enim Christus conuenit specificè cum alijs hominibus in specie humana, ita quoque, & in supremo genere speciei humanæ, scilicet in genere substantiæ; ergo quatenus homo, ponitur in prædicamento substantiæ.

Dices: Christus est Deus; sed Deus non ponitur in prædicamento; ergo Christus non ponitur in prædicamento.

Respondeo primò, argumentum non esse in forma; nam variatur suppositio: Christus enim in maiori supponit pro persona Diuina, & in consequentia pro natura humana. Vnde claritatis gratia.

Respondeo secundò distinguendo maiorem: Christus est Deus, ratione naturæ humanæ, nego: ratione naturæ Diuinæ, concedo: & concessa minori, distinguo consequentiam: ergo Christus non ponitur in prædicamento, vt Deus est, seu ratione naturæ Diuinæ, concedo: ratione naturæ humanæ, nego.

Instabis: Sola natura non ponitur in prædicamento, sed etiam ipsum suppositum: Atqui suppositum Christi est secunda Persona Diuina; ergo Persona Diuina est in prædicamento, ac proinde Deus.

Respondeo, naturam poni in prædicamento, vt tamen completam per suppositum; vnde suppositum per se, & ratione sui non ponitur in prædicamento: sed solùm complet substantiam, vt possit poni in prædicamento.

Vrgebis: Ergo suppositum Diuinum saltem reductiuè ponitur in prædicamento. Probatur consequentia: Complementum eius, quod ponitur in prædicamento, reductiuè pertinet ad prædicamentum: sed suppositum Diuinum est complementum substantiale naturæ, quæ ponitur in prædicamento, scilicet Humanitatis Christi: ergo reductiuè pertinet ad prædicamentum.

Respondeo negando consequentiam: ad probationem distinguo maiorem: complementum naturæ, quæ ponitur in prædicamento, reductiuè pertinet ad prædicamentum, complementum essentialiter ordinatum ad talem naturam, concedo: complementum non ordinatum ad talem naturam, sed solùm supernaturaliter se extendens ad illam perficiendam, nego: Suppositum autem Diuinum non ordinatur ad ipsam naturam humanam, sed solùm se extendit supernaturaliter ad illam perficiendam; vnde non debet propterea ad prædicamentum reduci cum ea, eo modo quo partes, & modalitates reducuntur ad prædicamentum.

Dices;

Dices: Suppositum Diuinum facit omnia, quæ faceret suppositum creatum respectu naturæ humanæ in Christo: sed suppositum creatum reductiuè pertinet ad prædicamentum substantiæ: ergo & Diuinum.

Respondeo distinguendo maiorem: Suppositum Diuinum facit omnia, quæ faceret suppositum creatum, quantùm ad ea, quæ non important imperfectionem concedo: quantùm ad ea, quæ important imperfectionem, nego. Reduci autem ad prædicamentum, importat imperfectionem: Ideò enim suppositum creatum reducitur ad prædicamentum substantiæ, quia est aliquid incompletum, & modus quidam substantialis. Vndè supposium Diuinum quantùm ad hoc, quod est reduci ad prædicamentum, non supplet vices suppositi creati.


ARTICVLVS TERTIVS.

De proprietatibus Substantiæ, & coordinatione huius prædicamenti.

SEX proprietates substantiæ referuntur ab Aristotele, quæ vt breuiter explicentur: Notandum est, eas non esse proprietates physicas, sed solùm attributales; id est, eas non esse aliquid realiter distinctum ab ipsa substantia, sed solùm esse quasdam notiones secundarias, quæ attribui solent substantiæ. Prima proprietas substantiæ est non inhærere subiecto; siquidem in hoc differt ab accidente; & hæc proprietas conuenit tàm primis, quàm secundis substantijs. Secunda proprietas est non habere contrarium rigorosè sumptum; nam contraria sunt, quæ ab eodem subiecto se expellunt; vnde, sicut substantia non est in subiecto, ita quoque non potest aliam expellere à subiecto; attamen ratione contrariatum qualitatum nihil vetat substantias inter se pugnare, vt ignis pugnat cum aqua ratione frigoris, & caloris, humiditatis, & siccitatis. Tertia proprietas est non suscipere magis, aut minus; licet enim quædam substantiæ sint digniores alijs, vt Angeli hominibus, & homines brutis; attamen eadem substantia, non est modò magis, modò minùs substantia: sicut idem calor est modò maior, modò minor. Quarta proprietas, & quæ videtur magis exacta, est esse subiectum contrariorum: Siquidem cùm substantia sit subiectum, & basis accidentium, potest suscipere accidentia contraria, vt Cœli suscipiunt diuersos motus; Angeli

Angeli diuersas inclinationes; Elementa diuersas qualitates, &c. Quinta proprietas est prædicari vniuocè de inferioribus; & hæc proprietas conuenit solùm secundis substantijs, quæ prædicantur de primis. Sexta demùm proprietas est esse hoc aliquid; id est, aliquid per se subsistens, & substantiuè expressum, ad differentiam accidentium, quæ solùm significant quale, & exprimuntur adiectiuè.

Arbor autem prædicamentalis substantiæ ita ordinatur, vt supremum genus sit substantia creata in communi, quæ diuiditur in spiritualem, & corpoream. Substantia spiritualis, seu spiritus diuiditur in varias species Angelorum; corpus verò diuiditur in incorruptibile, vt sunt cæli; & corruptibile, vt sublunaria. Corpus incorruptibile diuiditur in cælos, & astra. Cœli in varias sphæras; & astra in planetas, & stellas fixas subdiuiduntur. Corpus autem corruptibile diuiditur in simplex, & mixtum. Corpus simplex diuiditur in quatuor elementa; Corpus mixtum diuiditur in inanimatum, vt sunt lapides; & animatum, vt sunt plantæ. Corpus animatum, seu viuens, diuiditur in insensibile, vt sunt arbores; & sensibile, vt est animal. Corpus sensibile seu animal, diuiditur in irrationale, & rationale, seu in hominem, & brutum; Homo diuiditur in varia indiuidua, quæ sunt vlteriùs indiuisibilia, & veluti bases omnium graduum prædicamentalium.



QVÆSTIO TERTIA.

De Quantitate.



PRimum accidens, quod immediatè afficit substantiam corpoream, est quantitas; videmus enim omnes omnino substantias corporeas esse quantitate præditas, quæ etiam mediante accipiunt cætera accidentia; vt corpus mediante extensione recipit colorem, & figuram. Vnde statim post substantiam Aristoteles agit de quantitate; circa quam tria quæruntur, Primum, quid sit: Secundum, quotuplex sit: Tertium, quæ sint eius proprietates.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Quantitas.

IN qualibet substantia quantitate affecta quinque reperiuntur: Primò enim talis substantia est distributa in varias partes integrantes: Secundò implet spatium, seu extenditur ad certum locum: Tertiò expellit alia corpora à loco, quem occupat; ideòque dicitur impenetrabilis ab alijs corporibus; vt aqua vasi infusa expellit aerem, qui subintrare non potest, quandiu spatium ab aqua repletur: Quartò, eiusmodi substantia diuisibilis est in partes: Quintò demum mensurabilis est; vt panum vlna mensuramus, & magnitudinem viæ passibus metimur. Hæc autem omnia conuenire substantijs ratione quantitatis ex eo constat, quòd substantiæ spirituales, vt Angeli, quia carent quantitate, his etiam omnibus carent. Nec enim integrantur ex varijs partibus; nec propriè implent spatium, nec se mutuò à loco expellunt, imò omnes etiam in minutissimo spatio existere possunt, nec etiam capaces sunt diuisionis, vel quantitatiuæ mensurabilitatis; imò consistunt in indiuisibili. Ex quo patet, quòd ista quinque; scilicet extensio, seu distributio in varias partes, occupatio loci, seu extensio ad certum locum, impenetrabilitas, diuisibilitas: & mensurabilitas conueniunt substantiæ per quantitatem. Quæritur quodnam istorum sit constitutiuum essentiale quantitatis.

Variæ sunt in hac parte sententiæ. Quidam dicunt quantitatem essentialiter consistere in extensione locali: Alij in mensurabilitate: Quidam in impenetrabilitate; nonnulli in diuisibilitate; sed communior sententia dicit, essentiale constitutiuum quantitatis esse extensionem partium in ordine ad se; id est, consistere in eo, quod distribuat substantiam in varias partes integrantes, quarum vna non sit alia, sed ipsi per suam extremitatem vnita. Ad hanc sententiam necesse est, vt aliæ redeant, sicut patebit ex dicendis; Vnde

Dico: Essentiale constitutiuum quantitatis est extensio partium in se ipsis, seu distributio in varias partes integrantes: Vnde quantitas rectè, & essentialiter definitur; Accidens extensiuum, seu distributiuum substantiæ in varias partes integrantes. Hæc definitio desumpta est ex D. Thoma Opusc. 48. Et præterea.

Pro-

Probatur 1. authoritate eiusdem D. Thomæ, qui 4. Cont. Gent. c.65. sic ait: *Positio, quæ est ordo partium in toto, in ratione* (id est, essentia) *quantitatis includitur*. Cùm igitur illa positio partium in toto, seu, quod idem est, extensio, & distributio in varias partes, pertineat ad rationem, & essentiam quantitatis, oportet, quòd pertineat per modum constitutiui, quia, vt statim probabitur, non potest alio modo pertinere.

Probatur 2. ratione: Illud est constitutiuum essentiale quantitatis, quod est primum in illa, & radix aliorum, quæ ipsi conueniunt: sed extensio, seu distributio in varias partes integrales est primum, quod conuenit quantitati, & radix aliorum, quæ ipsi conueniunt; ergo est essentiale constitutiuum illius. Maior constat: quia essentia rei est id, quod est primum in re, & radix aliorum. Minor verò declaratur: Nam priùs est habere partes extensas: quam tales partes locum implere; expellere alias à loco; diuidi posse, & mensurari. Ideò enim substantia implet locum, quia partes habet, quibus illum occupat: Ideò verò alias expellit à loco, quia illum replet per suas partes: Ideò diuisibilis est in partes, quia illas habet: Ideò mensurabilis est, quia in varias partes extenditur. Ex quo patet, quòd extendi, & distribui in partes, est primum in quantitate; & radix omnium aliorum.

Confirmatur efficaciter ex mysterio Eucharistiæ: Illud enim non est constitutiuum essentiale quantitatis, sine quo potest esse quantitas: sed sine occupatione loci, sine impenetrabilitate, sine diuisibilitate formali, sine mensurabilitate potest esse quantitas; ergo in nullo istorum consistit essentialiter quantitas. Probatur minor: Nam Corpus Christi in Eucharistia retinet quantitatem suam, & tamen pro illo statu, nec occupat locum; nec expellit alia corpora à loco, nec partibile est, nec mensurabile; sed est modo localiter inextenso, indiuisibili, & immensurabili.

Respondent Aduersarij ad hanc efficacem confirmationem, Christum in Eucharistia non habere mensurabilitatem, partibilitatem, & extensionem localem formaliter, bene tamen radicaliter, & aptitudinaliter, in quo consistit essentia quantitatis. Sed hoc est redire ad nostram sententiam; Nam illa extensio localis, & mensurabilitas radicalis nihil aliud est, quàm extensio partium in se ipsis: Siquidem adeò Corpus Christi aptum est implere, diuidi, & mensurari, quia varias habet partes, quarum vna est extra aliam.

Obij-

Obijcies primò: Frequentes D. Th. authoritates, in quibus dicit quantitatem consistere in diuisibilitate, aut in mensurabilitate.

Respondeo D. Th. vel solùm describere quantitatem per suas proprietates; vel intelligendum esse de mensurabilitate, & diuisibilitate radicali, quæ nihil aliud est, quàm ipsa extensio partium in se ipsis.

Obijcies secundò: Substantia sine quantitate habet partes integrantes: ergo extensum esse in partes non est essentiale custitutiuum quantitatis.

Respondeo distinguendo antecedens: Substantia sine quantitate habet Partes actuales, nego; radicales, & potentiales, concedo. Ostendemus enim in quarta parte Physicæ, substantiam sine quantitate esse indiuisibilem, nec vllas habere partes, nisi radicaliter. Cæterùm in opinione illorum, qui dicunt, substantiam sine quantitate habere partes. Responderi potest distinguendo: substantia sine quantitate habet partes integrantes substantiales, conceditur; quantitatiuas, negatur. Vnde semper etiam in illa opinione sustinetur, quod esse extensum in partes quantitatiuas est essentiale constitutiuum quantitatis.

Quæres, vtrum quantitas realiter distinguatur à substantia?

Respondeo, quosdam Veteres tenuisse, quantitatem non distingui à substantia; saltem à materia. Hæc sententia tribuitur Platoni, qui dicebat differentias substantiæ materialis esse Magnum, & Paruum, quæ sunt de genere quantitatis: vnde videtur confundere materiam cum quantitate. Epicuræi etiam, & cæteri Atomistæ coguntur dicere, substantiam nihil aliud esse, quàm quantitatem, cùm dicant, omnia consti tui substantialiter ex magnitudinibus, seu ex quantitatibus indiuisibilibus, quas vocant atomos. Nominales quoque tenuere, substantiam non distingui à sua quantitate, nisi per rationem. Cæterùm communis, & vera sententia est, quantitatem realiter distingui à substantia. Quod probatur primò ex principijs Aristotelis: Nam omne accidens physicum distinguitur realiter à substantia: sed quantitas est accidens physicum; ergo distinguitur realiter à substantia. Maior patet: Quia accidens physicum realiter inhæret substantiæ; ergo ab illa distinguitur; nihil enim potest inhærere sibi ipsi. Minor verò constat apud Aristotelem, qui reposuit quantitatem in primo genere accidentium inhærentium substantiæ. Adde, quòd quantitas est extensio substan-

tiæ; extendi autem est aliquid accidentale ipsi substantiæ, quamuis ab ea sit inseparabile, quia est ipsius proprietas. Vnde omnis substantia corporea est quidem naturaliter extensa, non tamen per seipsam, sed per aliquod accidens ad eam consequens, quod vocatur quantitas.

Probatur 2. euidenter ex mysterio Eucharistiæ, in quo per fidem tenemus substantiam conuerti in Corpus Christi, & tamen remanere quantitatem panis cum cæteris accidentibus; ergo euidens argumentum est illam quantitatem realiter distingui à substantia panis. Non enim maius argumentum est distinctionis realis, quàm realis separatio.

Respondent Nominales, non remanere in Eucharistia quantitatem substantiæ panis; sed solùm quantitatem accidentium.

Sed contra: Nam impossibile est quantitatem substantiæ aliam esse à quantitate accidentium; ergo nulla responsio. Probatur subsumptum: Siquidem duæ quantitates non possunt esse simul in eodem loco, & se inuicem penetrare: sed substantia panis est in eodem loco cum suis accidentibus ante consecrationem; ergo substantia panis non habet aliam quantitatem à quantitate accidentium; sed vnica est quantitas, quæ extendit substantiam, & omnia accidentia, quæ sunt in substantia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex sit Quantitas.

QVantitas, vt notat D. Thomas, duplex est vna scilicet, quæ dicitur quantitas dimensiua, seu quantitas molis, & alia, quæ dicitur quantitas virtutis, seu perfectionis. Prima conuenit solis rebus corporeis, & constituit prædicamentum quantitatis; alia verò dicitur etiam de rebus spiritualibus, de qua inquit Augustinus; *in his, quæ non mole magna sunt, sed virtute, hoc est maius esse, quod melius esse*. Hæc autem quantitas virtutis seu perfectionis attenditur tripliciter. Primò, quantum ad præstantiam naturæ. Secundò, quantum ad durationem *esse*; Et tertiò, quantùm ad virtutem agendi. Hos tres modos complexus est D. Augustinus, quando dixit: *Æqualitatem* (quæ est proprietas quantitatis) *intelligi in Personis Diuinis, in quantùm nulla ipsarum, aut præcedit Æternitate* (id est, durationem)

am

aut excedit magnitudine (id est, præstantia naturæ) *aut superat potestate* (id est, agendi virtute.)

Quantum verò ad quantitatem dimensiuam prædicamentalem diuisi sunt Authores in assignandis varijs eius speciebus. Huic discordiæ locum fecit Aristoteles, qui plures species quantitatis enumerauit in Logica, quas tamen reijcit in Metaphysica, vbi tradit exactiorem quantitatis diuisionem. Referemus in hoc articulo species omnes siue proprias, siue improprias, quas enumerauit Aristoteles in Logica, capite de quantitate. In sequentibus verò articulis discutiemus, quænam sint propriæ species quantitatis, & quænam impropriæ. Diuisio autem quantitatis desumi debet ex eius definitione, quà dicitur: Accidens extensiuum substantiæ in partes, seu extensio partium in se ipsis. Vnde iuxta varios modos extensionis in partes erunt variæ species quantitatis.

Dico primò: Quantitas prædicamentalis in communi diuiditur in permanentem, & successiuam. Quantitas permanens est cuius partes existunt simul, vt partes corporis humani simul existunt in corpore; vnde quantitas eius est permanens: Quantitas verò successiua est, cuius partes non existunt simul, sed vna succedit alteri, sic quantitas horæ non habet simul suas partes, sed vna fluit post aliam; vnde talis quantitas est successiua. Conclusio sic explicata.

Probatur; Eorum enim, quæ extenduntur in partes, quædam habent partes simul existentes, vt linea, vt superficies, vt baculus; alia verò extenduntur in partes fluentes, & successiuè existentes, vt tempus, cuius partes paulatim fluunt, vna post aliam; ergo quantitas diuiditur in permanentem, & successiuam. Cæterum, vtrum illa diuisio sit in species propriè dictas, discutietur infrà.

Dico 2. Quantitas successiua diuiditur in tempus, & orationem. Tempus voco mensuram motuum successiuorum, de quo plura dicemus in Physica: oratio verò sumitur hic, non pro voce significatiua ad placitum, prout sumebatur in Logica minori, sed pro sono ex quibusdam morulis protractioribus, vel breuioribus composito. Vt v.g. cùm pronunciamus, *Dominus*, hæc oratio cōponitur ex tribus morulis breuibus sibi succedentibus. Et cùm dicimus, *Mortalis*, illa oratio seu ille sonus componitur ex tribus morulis paulò longioribus: Vnde oratio sic sumpta definitur à D. Thoma Opusc. 48. tract. de quant. Vox aggregata ex distinctis syllabis eam mensu-

ram-

nantibus, & permanentiam non habentibus, id est, ex pluribus syllabis successiuè prolatis. Sic explicata conclusio.

Probatur: Eorum enim, quæ successiuè extenduntur, quædam continuè, & absque interruptione fluunt; Horum successio continua vocatur Tempus: Quædam verò quibusdam morulis, discretis quidem ab inuicem, sibi tamen succedentibus, concinnantur, vt sonus cythare, plectri, vocis animalis &c. Et hæc comprehenduntur nomine orationis.

Dico 3. Quantitas permanens diuiditur in continuam, & discretam, seu in quantitatem molis, & quantitatem multitudinis.

Probatur facilè: Nam eorum quæ extenduntur in partes simul existentes, quædam habent partes inuicem vnitas, vt linea, baculus &c. & hæc dicuntur quanta quantitate continua, seu quantitate molis: Alia verò habent partes discretas ab inuicem, seu disiunctas; sicut numerus denarius lapidum constat decem vnitatibus ab inuicem separatis, & hæc dicuntur quanta quantitate discreta, seu quantitate multitudinis.

Dico 4. Quantitas continua diuiditur in lineam, superficiem, & corpus.

Probatur: Eorum enim, quæ habent partes inuicem vnitas, quædam extenduntur tantùm in longum; & hæc extensio vocatur linea: Quædam extenduntur in longum; & latum; Et hæc dicitur superficies: Quædam demùm extenduntur in longum, latum, & profundum, & hæc extensio dicitur corpus. Vbi obseruandum est, corpus sumi dupliciter: primò physicè; secundò mathematicè: Corpus physicè sumptum est substantia corporea composita ex materia, & forma: Corpus verò mathematicè sumptum est quantitas habens trinam dimensionem in longum, latam, & profundum, v. g. quantitas corporis humani, vocatur à Mathematicis corpus, quia extenditur in longum, latum, & profundum. Non sumitur hic corpus physicè; sed mathematicè.

Dico 5. Superficies subdiuiditur in superficiem simpliciter dictam, & superficiem continentem, quæ vocatur locus. Conclusio manifesta est. Superficierum enim quædam continet, & ambit aliquid corpus; sicut superficies dolij continet vinum; & superficies aquæ continet piscem: & superficies aeris me ambientis continet corpus meum: Quædam verò superficies non continet aliud corpus intra se. Prima superficies dicitur

citur locus, qui solet definiri superficies concaua corporis ambientis; Secunda verò dicitur superficies simpliciter.

Dices contra quartam conclusionem; illa diuisio non est bona, cuius membra se mutuò includunt: sed præfatæ diuisionis membra se mutuò includunt; ergo non est bona. Probatur minor: nam corpus includit superficiem, & superficies lineam; siquidem omne corpus habet extensionem in longum, & latum, & omnis superficies habet extensionem in longum.

Respondeo distinguendo maiorem: Illa diuisio non est bona, cuius membra se includunt formaliter, & constitutiuè, concedo; cuius membra se includunt materialiter, & præsuppositiuè, nego. Id est, illa diuisio est vitiosa, cuius vnum membrum formaliter constituitur per aliud; vt si quis diuideret animalia in bruta, & sensitiua irrationalia; nam sensitiuum irrationale constituit brutum; attamen non est contra leges bonæ diuisionis, vt vnum membrum includat aliud materialiter, & præsuppositiuè; sic enim diuidunt Philosophi animam in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem; licèt anima sensitiua includat vegetatiuam, & rationalis vtramque. In præsenti autem, licèt corpus præsupponat dimensionem in longum, & latum, attamen constituitur solùm per profunditatem: Et superficies, licèt præsupponat longitudinem, constituitur tamen per solam latitudinem; & linea per solam longitudinem: Ex quo patet, quòd dimensio vnius speciei quantitatis non constituitur per dimensionem alterius.

Dico 6. Quantitas discreta permanens diuiditur in varias species numeri: vt in binarium, ternarium, quaternarium &c. Conclusio de se manifesta est; siquidem hæ sunt species quantitatis multitudinis, seu numeri.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Locus, Tempus, Motus, & Oratio sint rigorosæ species quantitatis.

IN articulo præcedenti diuisimus quantitatem in omnes suas species siue proprias, siue improprias: Modò quærimus, vtrùm ista tria, scilicet oratio, tempus & locus, sint reponenda inter species propriè dictas quantitatis: Quibus adiungimus motum, quia licet Aristoteles nusquàm reposuerit motum inter species quantitatis, quidam tamen dicunt ipsum esse veram illius speciem. Pro resolutione. Dico

Dico primò; Locus non est species quantitatis distincta à superficie. Conclusio est D. Thomæ, & Aristotelis, qui licèt in Logica reposuisset locum inter species quantitatis; in Metaphysica tamen expresse dicit ipsum non esse speciem quantitatis diuersam à superficie.

Probatur ratione: Locus non addit nouum modum extensionis supra superficiem: ergo nec distinctam speciem quantitatis, Consequentia patet. Probatur antecedens: Locus enim supra superficiem dicit solùm ambire, & continere aliquod corpus: Nam locus definitur, superficies ambiens, & continens corpus; sed ambire corpus non est nouus modus extensionis, vt patet; ergo locus non addit nouum modum extensionis.

Dices: Licèt locus sit idem materialiter cum superficie, attamen formaliter differt ab illa; non enim omnis superficies est locus; ergo constituit distinctam speciem quantitatis.

Respondeo distinguendo antecedens: Locus differt à superficie, in ratione continentis, concedo; in ratione extensionis, nego: locus enim non extenditur nisi extensione superficiei.

Dico 2. Motus, & tempus non sunt propriè species quantitatis. Ita desumitur ex Aristotele, & D. Th. 5. metaph. lect. 8. Vbi expresse excludunt tempus, & motum à speciebus quantitatis propriè dictis.

Probatur prima pars de motu, quæ est communiter omnium: tum quia Aristoteles neque in Logica, neque in Metaphysica recenset motum inter species quantitatis; tum quia idem Aristoteles reponit motum inter postprædicamenta; tum quia motus est essentialiter ens incompletum; ergo non potest poni in prædicamento. Probatur antecedens: quia motus essentialiter est via, & tendentia ad terminum, cuius est fieri; v. g. calefactionis motus, est fieri caloris, & quædam tendentia ad calorem; ergo motus est aliquid incompletum, quod reducitur ad suum terminum, & proindè reductiuè pertinet ad prædicamentum sui termini.

Probatur etiam 2. pars de tempore, quæ est contra plures etiam Thomistas, quam tamen tenet Ioannes à Sancto Thoma, & alij Primates Thomistæ; tum quia mensura in ratione quantitatis non est nobilior re mensurata; sed tempus est mensura motus; ergo in ratione quantitatis non est nobilius motu; ergo si motus non sit vera species quantitatis, ita nec tempus; tum quia nulla duratio constituit speciem alicuius prædicamenti:

sed

sed tempus est duratio motus, vt patebit in Physica; ergo tempus non potest constituere speciem quantitatis.

Confirmatur vtraque pars primò ratione D. Th. quam habet 5. Metaph. lect. 1. Quod extenditur solùm per accidens, non est propriè & per se species quantitatis: sed tempus, & motus extenduntur solùm per accidens; ergo non sunt per se, & propriè species quantitatis. Maior certa est; Minor verò probatur: Nam tempus extenditur ratione motus, cuius est duratio: siquidem duratio est permanentia rei in esse, quod esse si sit successiuum, consequenter ipsa duratio erit extensa successiuè. Motus autem extenditur solùm ratione medij, quod est inter terminum à quo, & terminum ad quem: Vnde quando inter illos terminos non datur medium, motus non est extensus, sed indiuisibilis, & instantaneus, vt patet de motu, qui fit ab vna forma substantiali ad aliam. Hæc ratio adhuc ampliùs patebit ex dicendis in Physica.

Confirmatur secundò: Ens incompletum non constituit speciem propriam quantitatis, sed motus, & tempus sunt entia incompleta; ergo non sunt propriè species quantitatis. Maior est certa, siquidem entia incompleta non sunt directè in aliquo prædicamento, sed solùm reductiuè, vt suprà dictum est. Minor verò probatur: & quidem quantùm ad motum ferè omnes concedunt, quòd sit ens incompletum, quia est essentialiter tendentia, & via ad terminum, cuius est fieri, & acquisitio. De tempore verò etiam probatur, quod sit ens incompletum: Nam duratio motus est ens incompletum; sed tempus est duratio motus; ergo tempus est ens incompletum. Probatur maior: Quia duratio rei non est completior, quàm ipsa res, cuius est duratio: sed motus est aliquid incompletum; ergo etiam duratio motus est aliquid incompletum.

Obijcies: Vbi est specialis modus habendi partes extensas, est etiam specialis quantitas: sed in tempore, & motu est specialis modus habendi partes extensas: ergo constituunt specialem quantitatem. Probatur minor: Nam motus, & tempus habent partes extensas successiuè: sed talis extensio successiua est specialis; extensio; ergo &c.

Respondeo primò, distinguendo maiorem: vbi est specialis modus habendi partes extensas, est specialis quantitas: si talis modus sit perfectus, & ens completum, concedo; si talis modus sit imperfectus, & ens incompletum, nego; Patet autem ex dictis, quòd mo-

tus

tus, & tempus sunt solùm entia imperfecta, & incompleta.

Respondeo secundò, ex D. Th. 5. Metaph. si talis modus habeat extensionem per se, & ratione sui, concedo; si talis modus habeat extensionem solùm per accidens, & ratione alterius, nego. Et ad minorem: Motus, & tempus habent partes extensas, per se, & ratione sui, nego; per accidens, & ratione alterius, concedo: Tempus enim extenditur ratione motus, cuius est duratio; motus autem extenditur ratione latitudinis, quæ est inter terminum à quo, & ad quem fit motus. Vt dum ambulo ab agro ad domum, ideò motus meus extenditur, quia datur latitudo successiuè pertranseunda inter agrum, & domum.

Dico tertiò: Oratio non est propriè species quantitatis ab alijs distincta. Conclusio est contra Complutenses, & alios Thomistas; quam tamen tenent Caietanus, & Ioannes à S.Th.cum pluribus alijs Thomistis: Et desumitur ex Aristotele 5. Metaph. & D.Th.ibidem lect. 1. vbi recensendo proprias species quantitatis, ommittunt orationem.

Probatur autem ratione: Nam oratio non addit specialem modum extensionis; ergo non est propriè species quantitatis ab alijs distincta. Probatur antecedens: Nam oratio nihil aliud est, quàm vox aggregata ex pluribus sonis distinctis, & sibi succedentibus; sed talis vox non addit specialem extensionem; ergo oratio non addit specialem extensionem; Probatur minor: omnis enim extensio, quæ reperitur in tali voce ex pluribus syllabis successiuè prolatis constante, vel est extensio multitudinis, inquantùm illæ syllabæ sunt multæ; v.g. dum dico, *Dominus*, sunt tres syllabæ hanc orationem componentes; & sic reducitur oratio ad numerum, vel illa extensio est durationis, in quantùm vna syllaba velociùs, & alia tardius profertur; & sic oratio reducitur ad tempus.

Dices: Cur igitur Aristoteles in Logica, & D. Th. Opusc. 48. enumerat orationem, tempus, & locum inter species quantitatis?

Respondeo ex D. Th. 5. Metaph. Quia Aristoteles in Logica non considerabatità exactè quantitatem;sed solùm eam considerabat in ratione mensuræ; Vnde secundùm varios modos mensuræ, distinxit varios modos quantitatis. At verò in Metaphysica, vbi exactiùs ponderabat, & discutiebat naturam quantitatis, reformauit hanc diuisionem, easque solùm retulit species

quæ

quæ propriè pertinebant ad genus quantitatis; quapropter omisit locum, tempus, & orationem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum numerus sit species quantitatis.

Nota primò numerum esse multitudinem ex pluribus vnitatibus resultantem; vnde definitur ab Aristotele. Multitudo mensurata per vnum; cuius definitionis sensus est, vt explicat D.Th. Opusc. 48. quod sicut vlna sepiùs replicata mensurat pannum, & quantùs sit, ostendit; ita quoque sæpiùs replicando vnitatem, mensuramus multitudinem; vt multitudo Apostolorum mensuratur per vnum duodecies replicatum. Vel multitudo dicitur mensurari per vnum, in quantùm ex accessu, & recessu à prima vnitate, cognoscitur quantitas, vel paruitas multitudinis; sicut longitudo, vel breuitas lineæ attenditur secundùm accessum, vel recessum à puncto inchoante lineam.

Nota 2. ex D.Th. 1.p. quæst. 30. art. 3. quòd sicut duplex est vnitas transcendētalis scilicet, & quantitatiua; ita quoque duplex est numerus, quantitatiuus scilicet, & transcendentalis. Vnitas transcendentalis est ipsum ens indiuisum; vnde vbi sunt multa entia, est multitudo, seu numerus transcendentalis; qui quidem numerus non est aliquid distinctum ab ipsis entibus, sed sunt ipsa entia coniunctim sumpta. Vnitas verò quantitatiua est aliquid resultans in quantitate ex vnione partium ipsius; ita vt vbi quantitatis partes inuicem vniuntur, faciant vnum; si autem diuidantur, fiunt plures vnitates, seu numerus; vt si partes baculi sint vnitæ, est vnitas in baculò; si verò diuidantur, resultant duæ vnitates, & fit numerus; vnde numerus quantitatiuus nihil aliud est, quàm multitudo plurium vnitatum quantitatiuarum.

Neque mirari debes, quòd quantitas habeat specialem modū vnitatis, & multitudinis; multitudo enim cōsequitur diuisionem; & ideò, quia quantitas habet specialem modum diuisionis; ita quoque habet specialem modum multitudinis resultantis ex tali diuisione quantitatiua, quæ multitudo solet vocari quantitas discreta, seu numerus prædicamentalis, de quo tantùm procedit quæstio. Numerus enim transcendentalis, sicuti non pertinet ad quantitatem, sed ad alias res etiam spirituales; (siquidem dicimus Angelos esse in magno nu-

mero, personas Trinitatis esse tres numero;) ita quoque talis numerus transcendentalis non ponitur specialiciter in prædicamento quantitatis.

Nota tertiò. Numerum prædicamentalem distingui in numerum numerantem, & numerum numeratum; seu in numerum abstractum, & numerum concretum. Numerus numerans, seu abstractus est; qui mente concipitur, seu notio illa numerorum, quam formamus in mente, & quam exprimimus notis arithmeticis: numerus verò numeratus sunt ipse res, quibus applicamus tales numeros, seu quarum multitudinem mensuramus, & determinamus per numeros à nobis conceptos: si quidem veluti in mente concipimus quamdam determinatam extensionem, v.g. vlnæ, vel cubiti, qua mensuramus pannum, vel lignum; ita quoque mente concipimus quosdam numeros, quibus rerum multitudinem mensuramus, & quos metaphoricè applicamus etiam rebus spiritualibus, v.g. Angelis; vt cùm dicimus, nouem esse choros Angelorum, quamuis propriè talis numerus non conueniat, nisi rebus quantitatiuis. Hoc posito, quæritur: vtrum ille numerus quantitatiuus sit species quantitatis distincta ab alijs? Negant plures extranei; affirmat vtraque schola D. Thomæ, & Scoti. Pro resolutione.

Dico: Numerus est vera, & propria species quantitatis: Conclusio est expressè D. Thomæ, & Aristotelis, qui etiam in Metaphysica, vbi solùm referunt species propriè dictas quantitatis, inter alias recensent numerum, seu quantitatem discretam; Vnde deorum mente rationabiliter dubitari non potest.

Probatur primò: Nam vbi est speciali modus extensionis in partes, ibi est specialis quantitas: sed numerus dicit specialem modum extensionis in partes; ergo dicit specialem quantitatem: Maior est certa: Nam quantitas consistit in extensione partium. Vnde specialis extensio constituit specialem quantitatem. Minor verò probatur: Nam extensio in partes discreta est specialis modus extensionis: sed numerus dicit extensionem in partes discretas; ergo dicit specialem modum extensionis. Maior patet: Nam extensio in partes discretas est extensio multitudinis, quæ diuersa est ab extensione molis; siquidem aliqua possunt esse paruæ molis, & tamen magnæ multitudinis, vt grana papaueris; & e contrà, quædam possunt esse magnæ molis, & paruæ multitudinis; vt duæ rupes sunt magnæ molis, & tamen minimæ multitudinis. Minor

verò

verò certa est: sicut enim quantitas continua dilatatur in partes vnitas, ita quoque numerus extenditur in partes discretas, id est, in plures vnitates.

Confirmatur: Numerus enim habet specialem modum augmenti, & diminutionis, æqualitatis, & inæqualitatis, mensurabilitatis, diuisibilitatis, proportionis, &c. Imò hæc omnia (præcipue ratio mensuræ) perfectius, & priùs reperiuntur in numero, quàm in quantitate continua, vt dicit D. Thom. Opusc. 36. cap. 1. Vnde etiam quantitas continua mensuratur à nobis per numerum; vt numerando passus, mensuramus viam; numerando vlnas, mensuramus pannum: Sed ista omnia sunt proprietas quantitatis: ergo numerus habet specialem modum quantitatis. Et si dicas etiam tempus habere specialem modum augmenti, & diminutionis, mensuræ, &c. & tamen propterea non constituere speciem propriam quantitatis. Respondeo negando paritatem: Nam tempus, vt diximus, sicut non est extensum ratione sui, sed ratione motus, ita nec augetur, nec minuitur nisi ratione motus. Deinde tempus est incompletum, & reducitur ad motum, sicut & omnis duratio reducitur ad rem durantem: At verò numerus est ens completum, & extensum ratione sui extensione speciali, scilicet multitudinis.

Respondebis ad has rationes: Numerum non poni in prædicamento defectu conditionis prædicamentalis, quia scilicet non est vnum per se, sed solùm vnum per accidens, inquantùm est aggregatio plurium vnitatum, sicut populus est aggregatio plurium hominum.

Sed contrà: Impugnatur hæc responsio, & simul probatur secundò conclusio: Numerus habet omnes conditiones entis prædicamentalis; ergo est species propria prædicamenti quantitatis. Probatur antecedens: Nam numerus est ens reale, finitum, completum, & vnum per se; ergo habet conditiones entis prædicamentalis. Probatur antecedens: Et in primis, quòd numerus sit realis, per se patet: Nam nemine cogitante tres vnitates quantitatiuæ faciunt numerum ternarium: Quod etiam sit finitus, certum est, quia quælibet species designabilis numeri est finita: Quod verò sit ens completum, negari non potest, non enim est pars alterius entis, sicut manus, vel per est pars hominis, nec est via, & tendentia ad aliud, sicut motus; nec etiam proprietas entis incompleti, sicut tempus.

Quod autem numerus sit etiam ens per se vnum, quam conditionem solam ipsi denegant Aduersarij, probatur

Probatur 1. authoritate eiusdem D. Thomæ, qui 4. cont. Gent. c. 65. sic ait: *Positio, quæ est ordo partium in toto, in ratione* (id est, essentia) *quantitatis includitur*. Cùm igitur illa positio partium in toto, seu, quod idem est, extensio, & distributio in varias partes, pertineat ad rationem, & essentiam quantitatis, oportet, quòd pertineat per modum constitutiui, quia, vt statim probabitur, non potest alio modo pertinere.

Probatur 2. ratione: Illud est constitutiuum essentiale quantitatis, quod est primum in illa, & radix aliorum, quæ ipsi conueniunt: sed extensio, seu distributio in varias partes integrales est primum, quod conuenit quantitati, & radix aliorum, quæ ipsi conueniunt; ergo est essentiale constitutiuum illius. Maior constat: quia essentia rei est id, quod est primum in re, & radix aliorum. Minor verò declaratur: Nam priùs est habere partes extensas: quam tales partes locum implere; expellere alias à loco; diuidi posse, & mensurari. Ideò enim substantia implet locum, quia partes habet, quibus illum occupat: Ideò verò alias expellit à loco, quia illum replet per suas partes: Ideò diuisibilis est in partes, quia illas habet: Ideò mensurabilis est, quia in varias partes extenditur. Ex quo patet, quòd extendi, & distribui in partes, est primum in quantitate; & radix omnium aliorum.

Confirmatur efficaciter ex mysterio Eucharistiæ: Illud enim non est constitutiuum essentiale quantitatis, sine quo potest esse quantitas: sed sine occupatione loci, sine impenetrabilitate, sine diuisibilitate formali, sine mensurabilitate potest esse quantitas; ergo in nullo istorum consistit essentialiter quantitas. Probatur minor: Nam Corpus Christi in Eucharistia retinet quantitatem suam, & tamen pro illo statu, nec occupat locum; nec expellit alia corpora à loco, nec partibile est, nec mensurabile; sed est modo localiter inextenso, indiuisibili, & immensurabili.

Respondent Aduersarij ad hanc efficacem confirmationem, Christum in Eucharistia non habere mensurabilitatem, partibilitatem, & extensionem localem formaliter, bene tamen radicaliter, & aptitudinaliter, in quo consistit essentia quantitatis. Sed hoc est redire ad nostram sententiam; Nam illa extensio localis, & mensurabilitas radicalis nihil aliud est, quàm extensio partium in se ipsis: Siquidem adeò Corpus Christi aptum est implere, diuidi, & mensurari, quia varias habet partes, quarum vna est extra aliam.

Obij-

Obijcies primò: Frequentes D. Th. authoritates, in quibus dicit quantitatem consistere in diuisibilitate, aut in mensurabilitate.

Respondeo D. Th. vel solùm describere quantitatem per suas proprietates; vel intelligendum esse de mensurabilitate, & diuisibilitate radicali, quæ nihil aliud est, quàm ipsa extensio partium in se ipsis.

Obijcies secundò: Substantia sine quantitate habet partes integrantes: ergo extensum esse in partes non est essentiale custitutiuum quantitatis.

Respondeo distinguendo antecedens: Substantia sine quantitate habet Partes actuales, nego; radicales, & potentiales, concedo. Ostendemus enim in quarta parte Physicæ, substantiam sine quantitate esse indiuisibilem, nec vllas habere partes, nisi radicaliter. Cæterùm in opinione illorum, qui dicunt, substantiam sine quantitate habere partes. Responderi potest distinguendo: substantia sine quantitate habet partes integrantes substantiales, conceditur; quantitatiuas, negatur. Vnde semper etiam in illa opinione sustinetur, quod esse extensum in partes quantitatiuas est essentiale constitutiuum quantitatis.

Quæres, vtrum quantitas realiter distinguatur à substantia?

Respondeo, quosdam Veteres tenuisse, quantitatem non distingui à substantia; saltem à materia. Hæc sententia tribuitur Platoni, qui dicebat differentias substantiæ materialis esse Magnum, & Paruum, quæ sunt de genere quantitatis: vnde videtur confundere materiam cum quantitate. Epicuræi etiam, & cæteri Atomistæ coguntur dicere, substantiam nihil aliud esse, quàm quantitatem, cùm dicant, omnia consti tui substantialiter ex magnitudinibus, seu ex quantitatibus indiuisibilibus, quas vocant atomos. Nominales quoque tenuere, substantiam non distingui à sua quantitate, nisi per rationem. Cæterùm communis, & vera sententia est, quantitatem realiter distingui à substantia. Quod probatur primò ex principijs Aristotelis: Nam omne accidens physicum distinguitur realiter à substantia: sed quantitas est accidens physicum; ergo distinguitur realiter à substantia. Maior patet: Quia accidens physicum realiter inhæret substantiæ; ergo ab illa distinguitur; nihil enim potest inhærere sibi ipsi. Minor verò constat apud Aristotelem, qui reposuit quantitatem in primo genere accidentium inhærentium substantiæ. Adde, quòd quantitas est extensio substan-

tiæ; extendi autem est aliquid accidentale ipsi substantiæ, quamuis ab ea sit inseparabile, quia est ipsius proprietas. Vnde omnis substantia corporea est quidem naturaliter extensa, non tamen per se ipsam, sed per aliquod accidens ad eam consequens, quod vocatur quantitas.

Probatur 2. euidenter ex mysterio Eucharistiæ, in quo per fidem tenemus substantiam conuerti in Corpus Christi, & tamen remanere quantitatem panis cum cæteris accidentibus; ergo euidens argumentum est illam quantitatem realiter distingui à substantia panis. Non enim maius argumentum est distinctionis realis, quàm realis separatio.

Respondent Nominales, non remanere in Eucharistia quantitatem substantiæ panis; sed solùm quantitatem accidentium.

Sed contra: Nam impossibile est quantitatem substantiæ aliam esse à quantitate accidentium; ergo nulla responsio. Probatur subsumptum: Siquidem duæ quantitates non possunt esse simul in eodem loco, & se inuicem penetrare: sed substantia panis est in eodem loco cum suis accidentibus ante consecrationem; ergo substantia panis non habet aliam quantitatem à quantitate accidentium; sed vnica est quantitas, quæ extendit substantiam, & omnia accidentia, quæ sunt in substantia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex sit Quantitas.

QVantitas, vt notat D. Thomas, duplex est vna scilicet, quæ dicitur quantitas dimensiua, seu quantitas molis, & alia, quæ dicitur quantitas virtutis, seu perfectionis. Prima conuenit solis rebus corporeis, & constituit prædicamentum quantitatis; alia verò dicitur etiam de rebus spiritualibus, de qua inquit Augustinus; *in his, quæ non mole magna sunt, sed virtute, hoc est maius esse, quod melius esse.* Hæc autem quantitas virtutis seu perfectionis attenditur tripliciter. Primò, quantum ad præstantiam naturæ. Secundò, quantùm ad durationem *esse*; Et tertiò, quantùm ad virtutem agendi. Hos tres modos complexus est D. Augustinus, quando dixit: *Æqualitatem* (quæ est proprietas quantitatis) *intelligi in Personis Diuinis, in quantum nulla ipsarum, aut præcedit Æternitate* (id est, duratione)

[illegible] excedit magnitudine (id est, præstantia naturæ) *aut superat potestate* (id est, agendi virtute.)

Quantùm verò ad quantitatem dimensiuam prædicamentalem diuisi sunt Authores in assignandis varijs eius speciebus. Huic discordiæ locum fecit Aristoteles, qui plures species quantitatis enumerauit in Logica, quas tamen reijcit in Metaphysica, vbi tradit exactiorem quantitatis diuisionem. Referemus in hoc articulo species omnes siue proprias, siue improprias, quas enumerauit Aristoteles in Logica, capite de quantitate. In sequentibus verò articulis discutiemus, quænam sint propriæ species quantitatis, & quænam impropriæ. Diuisio autem quantitatis desumi debet ex eius definitione, quà dicitur: Accidens extensiuum substantiæ in partes, seu extensio partium in se ipsis. Vnde iuxta varios modos extensionis in partes erunt variæ species quantitatis.

Dico primò: Quantitas prædicamentalis in communi diuiditur in permanentem, & successiuam. Quantitas permanens est cuius partes existunt simul, vt partes corporis humani simul existunt in corpore; vnde quantitas eius est permanens: Quantitas verò successiua est, cuius partes non existunt simul, sed vna succedit alteri, sic quantitas horæ non habet simul suas partes, sed vna fluit post aliam; vnde talis quantitas est successiua, Conclusio sic explicata.

Probatur; Eorum enim, quæ extenduntur in partes, quædam habent partes simul existentes, vt linea, vt superficies, vt baculus; alia verò extenduntur in partes fluentes, & successiuè existentes, vt tempus, cuius partes paulatim fluunt, vna post aliam; ergo quantitas diuiditur in permanentem, & successiuam. Cæterum, vtrum illa diuisio sit in species propriè dictas, discutietur infrà.

Dico 2. Quantitas successiua diuiditur in tempus, & orationem. Tempus voco mensuram motuum successiuorum, de quo plura dicemus in Physica: oratio verò sumitur hic, non pro voce significatiua ad placitum, prout sumebatur in Logica minori, sed pro sono ex quibusdam morulis protractioribus, vel breuioribus composito. Vt v.g. cùm pronunciamus, *Dominus*, hæc oratio cōponitur ex tribus morulis breuibus sibi succedentibus. Et cùm dicimus, *Mortalis*, illa oratio seu ille sonus componitur ex tribus morulis paulò longioribus: Vnde oratio sic sumpta definitur à D. Thoma Opusc. 48. tract. de quant. Vox aggregata ex distinctis syllabis eam mensu-

ram-

nantibus, & permanentiam non habentibus, id est, ex pluribus syllabis successiuè prolatis. Sic explicata conclusio.

Probatur: Eorum enim, quæ successiuè extenduntur, quædam continuè, & absque interruptione fluunt; Horum successio continua vocatur Tempus: Quædam verò quibusdam morulis, discretis quidem ab inuicem, sibi tamen succedentibus, concinnantur, vt sonus cythare, plectri, vocis animalis &c. Et hæc comprehenduntur nomine orationis.

Dico 3. Quantitas permanens diuiditur in continuam, & discretam, seu in quantitatem molis, & quantitatem multitudinis.

Probatur facilè: Nam eorum quæ extenduntur in partes simul existentes, quædam habent partes inuicem vnitas, vt linea, baculus &c. & hæc dicuntur quanta quantitate continua, seu quantitate molis: Alia verò habent partes discretas ab inuicem, seu disiunctas; sicut numerus denarius lapidum constat decem vnitatibus ab inuicem separatis, & hæc dicuntur quanta quantitate discreta, seu quantitate multitudinis.

Dico 4. Quantitas continua diuiditur in lineam, superficiem, & corpus.

Probatur: Eorum enim, quæ habent partes inuicem vnitas, quædam extenduntur tantùm in longum; & hæc extensio vocatur linea: Quædam extenduntur in longum, & latum; Et hæc dicitur superficies: Quædam demùm extenduntur in longum, latum, & profundum, & hæc extensio dicitur corpus. Vbi obseruandum est, corpus sumi dupliciter: primò physicè; secundò mathematicè: Corpus physicè sumptum est substantia corporea composita ex materia, & forma: Corpus verò mathematicè sumptum est quantitas habens trinam dimensionem in longum, latam, & profundum, v. g. quantitas corporis humani, vocatur à Mathematicis corpus, quia extenditur in longum, latum, & profundum. Non sumitur hic corpus physicè; sed mathematicè.

Dico 5. Superficies subdiuiditur in superficiem simpliciter dictam, & superficiem continentem, quæ vocatur locus. Conclusio manifesta est. Superficierum enim quædam continet, & ambit aliquid corpus; sicut superficies dolij continet vinum; & superficies aquæ continet piscem: & superficies aeris me ambientis continet corpus meum: Quædam verò superficies non continet aliud corpus intra se. Prima superficies dicitur

citur locus, qui ſolet definiri: ſuperficies concaua corporis ambientis; Secunda verò dicitur ſuperficies ſimpliciter.

Dices contra quartam concluſionem; illa diuiſio non eſt bona, cuius membra ſe mutuò includunt: ſed præfatæ diuiſionis membra ſe mutuò includunt; ergo non eſt bona. Probatur minor: nam corpus includit ſuperficiem, & ſuperficies lineam; ſiquidem omne corpus habet extenſionem in longum, & latum, & omnis ſuperficies habet extenſionem in longum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Illa diuiſio non eſt bona, cuius membra ſe includunt formaliter, & conſtitutiuè, concedo; cuius membra ſe includunt materialiter, & præſuppoſitiuè, nego. Id eſt, illa diuiſio eſt vitioſa, cuius vnum membrum formaliter conſtituitur per aliud; vt ſi quis diuideret animalia in bruta, & ſenſitiua irrationalia; nam ſenſitiuum irrationale conſtituit brutum; attamen non eſt contra leges bonæ diuiſionis, vt vnum membrum includat aliud materialiter, & præſuppoſitiuè; ſic enim diuidunt Philoſophi animam in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem; licèt anima ſenſitiua includat vegetatiuam, & rationalis vtramque. In præſenti autem, licèt corpus præſupponat dimenſionem in longum, & latum, attamen conſtituitur ſolùm per profunditatem: Et ſuperficies, licèt præſupponat longitudinem, conſtituitur tamen per ſolam latitudinem; & linea per ſolam longitudinem: Ex quo patet, quòd dimenſio vnius ſpeciei quantitatis non conſtituitur per dimenſionem alterius.

Dico 6. Quantitas diſcreta permanens diuiditur in varias ſpecies numeri: vt in binarium, ternarium, quaternarium &c. Concluſio de ſe manifeſta eſt; ſiquidem hæ ſunt ſpecies quantitatis multitudinis, ſeu numeri.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Locus, Tempus, Motus, & Oratio ſint rigoroſæ ſpecies quantitatis.

IN articulo præcedenti diuiſimus quantitatem in omnes ſuas ſpecies ſiue proprias, ſiue improprias: Modò quærimus, vtrùm iſta tria, ſcilicet oratio, tempus & locus, ſint reponenda inter ſpecies propriè dictas quantitatis: Quibus adiungimus motum, quia licet Ariſtoteles nuſquàm repoſuerit motum inter ſpecies quantitatis, quidam tamen dicunt ipſum eſſe veram illius ſpeciem. Pro reſolutione.

Dico

Dico primò; Locus non est species quantitatis distincta à superficie. Conclusio est D. Thomæ, & Aristotelis, qui licèt in Logica reposuisset locum inter species quantitatis; in Metaphysica tamen expressè dicit ipsum non esse speciem quantitatis diuersam à superficie.

Probatur ratione: Locus non addit nouum modum extensionis supra superficiem: ergo nec distinctam speciem quantitatis, Consequentia patet. Probatur antecedens: Locus enim supra superficiem dicit solùm ambire, & continere aliquod corpus: Nam locus definitur, superficies ambiens, & continens corpus; sed ambire corpus non est nouus modus extensionis, vt patet; ergo locus non addit nouum modum extensionis.

Dices: Licèt locus sit idem materialiter cum superficie, attamen formaliter differt ab illa; non enim omnis superficies est locus; ergo constituit distinctam speciem quantitatis.

Respondeo distinguendo antecedens: Locus differt à superficie, in ratione continentis, concedo; in ratione extensionis, nego: locus enim non extenditur nisi extensione superficiei.

Dico 2. Motus, & tempus non sunt propriè species quantitatis. Ita desumitur ex Aristotele, & D. Th. 5. metaph. lect. 8. Vbi expressè excludunt tempus, & motum à speciebus quantitatis propriè dictis.

Probatur prima pars de motu, quæ est communiter omnium: tum quia Aristoteles neque in Logica, neque in Metaphysica recenset motum inter species quantitatis; tum quia idem Aristoteles reponit motum inter postprædicamenta; tum quia motus est essentialiter ens incompletum; ergo non potest poni in prædicamento. Probatur antecedens: quia motus essentialiter est via, & tendentia ad terminum, cuius est fieri; v. g. calefactionis motus, est fieri caloris, & quædam tendentia ad calorem; ergo motus est aliquid incompletum, quod reducitur ad suum terminum, & proindè reductiuè pertinet ad prædicamentum sui termini.

Probatur etiam 2. pars de tempore, quæ est contra plures etiam Thomistas, quam tamen tenet Ioannes à Sancto Thoma, & alij Primates Thomistæ; tum quia mensura in ratione quantitatis non est nobilior re mensurata; sed tempus est mensura motus; ergo in ratione quantitatis non est nobilius motu; ergo si motus non sit vera species quantitatis, ita nec tempus; tum quia nulla duratio constituit speciem alicuius prædicamenti;

sed

sed tempus est duratio motus, vt patebit in Physica; ergo tempus non potest constituere speciem quantitatis.

Confirmatur vtraque pars primò ratione D. Th. quam habet 5. Metaph. lect. 1. Quod extenditur solùm per accidens, non est propriè & per se species quantitatis: sed tempus, & motus extenduntur solùm per accidens; ergo non sunt per se, & propriè species quantitatis. Maior certa est; Minor verò probatur: Nam tempus extenditur ratione motus, cuius est duratio: siquidem duratio est permanentia rei in esse, quod esse si sit successiuum, consequenter ipsa duratio erit extensa successiuè. Motus autem extenditur solùm ratione medij, quod est inter terminum à quo, & terminum ad quem: Vnde quando inter illos terminos non datur medium, motus non est extensus, sed indiuisibilis, & instantaneus, vt patet de motu, qui fit ab vna forma substantiali ad aliam. Hæc ratio adhuc ampliùs patebit ex dicendis in Physica.

Confirmatur secundò: Ens incompletum non constituit speciem propriam quantitatis, sed motus, & tempus sunt entia incompleta; ergo non sunt propriè species quantitatis. Maior est certa, siquidem entia incompleta non sunt directè in aliquo prædicamento, sed solùm reductiuè, vt suprà dictum est. Minor verò probatur: & quidem quantùm ad motum ferè omnes concedunt, quòd sit ens incompletum, quia est essentialiter tendentia, & via ad terminum, cuius est fieri, & acquisitio. De tempore verò etiam probatur, quod sit ens incompletum: Nam duratio motus est ens incompletum; sed tempus est duratio motus; ergo tempus est ens incompletum. Probatur maior: Quia duratio rei non est completior, quàm ipsa res, cuius est duratio: sed motus est aliquid incompletum; ergo etiam duratio motus est aliquid incompletum.

Obijcies: Vbi est specialis modus habendi partes extensas, est etiam specialis quantitas: sed in tempore, & motu est specialis modus habendi partes extensas: ergo constituunt specialem quantitatem. Probatur minor: Nam motus, & tempus habent partes extensas successiuè: sed talis extensio successiua est specialis; extensio; ergo &c.

Respondeo primò, distinguendo maiorem: vbi est specialis modus habendi partes extensas, est specialis quantitas: si talis modus sit perfectus, & ens completum, concedo; si talis modus sit imperfectus, & ens incompletum, nego: Patet autem ex dictis, quòd mo-

tus, & tempus sunt solùm entia imperfecta, & incompleta.

Respondeo secundò, ex D. Th. 5. Metaph. si talis modus habeat extensionem per se, & ratione sui, concedo; si talis modus habeat extensionem solùm per accidens, & ratione alterius, nego. Et ad minorem: Motus, & tempus habent partes extensas, per se, & ratione sui, nego; per accidens, & ratione alterius, concedo: Tempus enim extenditur ratione motus, cuius est duratio; motus autem extenditur ratione latitudinis, quæ est inter terminum à quo, & ad quem fit motus. Vt dum ambulo ab agro ad domum, ideò motus meus extenditur, quia datur latitudo successiuè pertranseunda inter agrum, & domum.

Dico tertiò: Oratio non est propriè species quantitatis ab alijs distincta. Conclusio est contra Complutenses, & alios Thomistas; quam tamen tenent Caietanus, & Ioannes à S.Th. cum pluribus alijs Thomistis: Et desumitur ex Aristotele 5. Metaph. & D.Th. ibidem lect. 1. vbi recensendo proprias species quantitatis, ommittunt orationem.

Probatur autem ratione: Nam oratio non addit specialem modum extensionis; ergo non est propriè species quantitatis ab alijs distincta. Probatur antecedens: Nam oratio nihil aliud est, quàm vox aggregata ex pluribus sonis distinctis, & sibi succedentibus; sed talis vox non addit specialem extensionem; ergo oratio non addit specialem extensionem; Probatur minor: omnis enim extensio, quæ reperitur in tali voce ex pluribus syllabis successiuè prolatis constante, vel est extensio multitudinis, inquantùm illæ syllabæ sunt multæ; v.g. dum dico, *Dominus*, sunt tres syllabæ hanc orationem componentes; & sic reducitur oratio ad numerum, vel illa extensio est durationis, in quantùm vna syllaba velociùs, & alia tardius profertur; & sic oratio reducitur ad tempus.

Dices: Cur igitur Aristoteles in Logica; & D. Th. Opusc. 48. enumerat orationem, tempus, & locum inter species quantitatis?

Respondeo ex D. Th. 5. Metaph. Quia Aristoteles in Logica non considerabat ità exactè quantitatem; sed solùm eam considerabat in ratione mensuræ; Vnde secundùm varios modos mensuræ, distinxit varios modos quantitatis. At verò in Metaphysica, vbi exactiùs ponderabat, & discutiebat naturam quantitatis, reformauit hanc diuisionem, easque solùm retulit species

quæ

quæ propriè pertinebant ad genus quantitatis; quapropter omisit locum, tempus, & orationem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum numerus sit species quantitatis.

NOta primò numerum esse multitudinem ex pluribus vnitatibus resultantem; vnde definitur ab Aristotele. Multitudo mensurata per vnum; cuius definitionis sensus est, vt explicat D.Th. Opusc. 48. quod sicut vlna sepius replicata mensurat pannum, & quantus sit, ostendit; ita quoque sæpius replicando vnitatem, mensuramus multitudinem; vt multitudo Apostolorum mensuratur per vnum duodecies replicatum. Vel multitudo dicitur mensurari per vnum, in quantum ex accessu, & recessu à prima vnitate, cognoscitur quantitas, vel paruitas multitudinis; sicut longitudo, vel breuitas lineæ attenditur secundùm accessum, vel recessum à puncto inchoante lineam.

Nota 2. ex D.Th. 1.p. quæst. 30. art. 3. quòd sicut duplex est vnitas transcendẽtalis scilicet, & quantitatiua; ita quoque duplex est numerus, quantitatiuus scilicet, & transcendentalis. Vnitas transcendentalis est ipsum ens indiuisum; vnde vbi sunt multa entia, est multitudo, seu numerus transcendentalis; qui quidem numerus non est aliquid distinctum ab ipsis entibus, sed sunt ipsa entia coniunctim sumpta. Vnitas verò quantitatiua est aliquid resultans in quantitate ex vnione partium ipsius; ita vt vbi quantitatis partes inuicem vniuntur, faciant vnum; si autem diuidantur, fiunt plures vnitates, seu numerus; vt si partes baculi sint vnitæ, est vnitas in baculò; si verò diuidantur, resultant duæ vnitates, & fit numerus; vnde numerus quantitatiuus nihil aliud est, quàm multitudo plurium vnitatum quantitatiuarum.

Neque mirari debes, quòd quantitas habeat specialem modũ vnitatis, & multitudinis; multitudo enim cõsequitur diuisionem; & ideò, quia quantitas habet specialem modum diuisionis; ita quoque habet specialem modum multitudinis resultantis ex tali diuisione quantitatiua, quæ multitudo solet vocari quantitas discreta, seu numerus prædicamentalis, de quo tantùm procedit quæstio. Numerus enim transcendentalis, sicuti non pertinet ad quantitatem, sed ad alias res etiam spirituales; (siquidem dicimus Angelos esse in magno nu-

verò certa est: sicut enim quantitas continua dilatatur in partes vnitas, ita quoque numerus extenditur in partes discretas, id est, in plures vnitates.

Confirmatur: Numerus enim habet specialem modum augmenti, & diminutionis, æqualitatis, & inæqualitatis, mensurabilitatis, diuisibilitatis, proportionis, &c. imò hæc omnia (præcipuè ratio mensuræ) perfectius, & priùs reperiuntur in numero, quàm in quantitate continua, vt dicit D. Thom. Opusc. 36. cap. 1. Vnde etiam quantitas continua mensuratur à nobis per numerum; vt numerando passus, mensuramus viam; numerando vlnas, mensuramus pannum: Sed ista omnia sunt proprietas quantitatis: ergo numerus habet specialem modum quantitatis. Et si dicas etiam tempus habere specialem modum augmenti, & diminutionis, mensuræ, &c. & tamen propterea non constituere speciem propriam quantitatis. Respondeo negando paritatem: Nam tempus, vt diximus, sicut non est extensum ratione sui, sed ratione motus, ita nec augetur, nec minuitur nisi ratione motus. Deinde tempus est incompletum, & reducitur ad motum, sicut & omnis duratio reducitur ad rem durantem: At verò numerus est ens completum, & extensum ratione sui extensione speciali, scilicet multitudinis.

Respondebis ad has rationes: Numerum non poni in prædicamento defectu conditionis prædicamentalis, quia scilicet non est vnum per se, sed solùm vnum per accidens, inquantùm est aggregatio plurium vnitatum, sicut populus est aggregatio plurium hominum.

Sed contrà: Impugnatur hæc responsio, & simul probatur secundò conclusio: Numerus habet omnes conditiones entis prædicamentalis; ergo est species propria prædicamenti quantitatis. Probatur antecedens: Nam numerus est ens reale, finitum, completum, & vnum per se; ergo habet conditiones entis prædicamentalis. Probatur antecedens: Et in primis, quòd numerus sit realis, per se patet: Nam nemine cogitante tres vnitates quantitatiuæ faciunt numerum ternarium: Quod etiam sit finitus, certum est, quia quælibet species designabilis numeri est finita: Quod verò sit ens completum, negari non potest, non enim est pars alterius entis, sicut manus, vel per est pars hominis; nec est via, & tendentia ad aliud, sicut motus; nec etiam proprietas entis incompleti, sicut tempus.

Quod autem numerus sit etiam ens per se vnum, quam conditionem solam ipsi denegant Aduersarij, probatur

tum ex solutione obiectionum infrà referandarum, tum authoritate D. Thomæ 8. Metaph. & alibi; tum ratione S. Doctoris. Illud enim est vnum per se, quòd habet speciem ab vno: sed numerus habet speciem ab vno; ergo est vnum per se. Maior patet ex D. Th. 7. Metaph. lectione vltima: Compositum enim, quod est vnum per se, differt ab vno per accidens; quia vnum per se sortitur speciem ab aliquo vno; siue illud vnum sit forma, vt mixtum constans quatuor elementis; est tamen vnum per se, quia habet vnicam formam; siue sit compositio, seu concinnatio partium adinuicem, vt domus est per se vnum, quia licèt constet pluribus parietibus, illi tamen artificiosè componuntur, & disponuntur ad efformandum vnicum totale artefactum; siue sit ordo, inquantùm scilicet plura incompleta ordinantur sub vno complente, à quo speciem habent. At verò vnum per accidens sortitur speciem ab ipsa multitudine confusim collecta, vt patet in aceruo, & populo. Minor verò probatur: Numerus enim sortitur speciem ab ordine aliarum vnitatum sub vltima, ita vt vltima vnitas præfigat speciem omnibus alijs, & eas trahat ad determinatam speciem numeri; ergo numerus habet speciem ab aliquo vno. Declaratur antecedens: Cùm enim numerus consistat in extensione multitudinis, illud determinat speciem numeri, quod determinat eius extensionem; patet autem, quòd extensio numeri determinatur, & clauditur per vltimam vnitatem; ergo vltima vnitas dat speciem numero. Vnde si vltima vnitas sit septenaria, trahit præcedentes ad numerum septenarium; scilicet octonaria, trahit ad numerum octonarium; & sic de alijs.

Confirmatur adhuc efficaciter, numerum esse vnum per se: Obiectum scientiæ est vnum per se: sed numerus est obiectum scientiæ; ergo est vnum per se: Minor patet; est enim obiectum Arithmeticæ. Maior verò probatur, tum authoritate Aristotelis, qui dicit non dari scientiam de ente per accidens; ergo obiectum scientiæ, est vnum per se, & non per accidens; tum etiam ratione quia cùm ens per accidens non habeat vnicam essentiam, sed plures disparatas, non habet etiam definitionem; ergo non potest terminare scientiam. Probatur consequentia: vt enim dicit Aristoteles, *Primum principium cuiuslibet scientiæ est definitio obiecti*.

Respondent Aduersarij: Numerum esse vnum per se in mente nostra, non verò secundùm rem.

Sed contra: Tum quia mens nostra non variat essen-

tias

tias rerum; vnde si numerus à parte rei non esset vnum per se, id est, non haberet vnicam essentiam, ratio nostra non posset ei dare esse vnum per se, id est, habere vnicam essentiam. Tum quia in tantùm aliquid est ens, inquantùm est vnum, vt sæpè repetit Aristoteles; ergo si numerus non haberet vnitatem, nisi per rationem, esset ens per rationem, seu ens rationis, ac proinde non posset esse obiectum Arithmeticæ, quæ est scientia entis realis, sicuti & aliæ Mathematicæ.

Obijcies primò authoritatem Aristotelis 8. Met. c.3. vbi dicit, *Numerum non esse Vnum, sed sicut cumulum*; ergo ex Aristotele est tantùm vnum per accidens.

Respondeo Aduersarios mala fide referre Aristotelem: non enim id dicit affirmatiuè, sed solùm per modum obiectionis, quam posteà soluit dicens, numerum esse vnum, quia vltima vnitas dat speciem cæteris.

Obijcies secundò: Quod constat pluribus entibus completis, non est vnum per se, sed numerus constat pluribus entibus completis; ergo non est vnum per se. Probatur minor: Nam constat pluribus quantitatibus continuis; sed plures quantitates continuæ sunt plura entia completa: ergo numerus constat plutibus entibus completis.

Respondeo negando maiorem: Ad probationem, nego minorem; ad probationem distinguo maiorem: Numerus constat ex pluribus quantitatibus, continuis, vt sunt quantitates continuæ, nego; vt sunt vnitates, concedo: & ad minorem: Quantitates continuæ sunt entia completa, si sumantur, vt quantitates sunt, concedo; si sumantur, vt vnitates sunt, nego. Explicatur: Dupliciter potest considerari quantitas. Primò, vt continua est, & sic sumpta sine dubio est quid completum; Secundò, vt vna est apta augere numerum cum alijs vnitatibus iuncta, & sic respectu numeri est aliquid incompletum; Sicut figura lapidis, si sumatur secundùm se, est quid completum; vt tamen ingreditur compositionem domus, est aliquid incompletum, & pars domus:

Dices: Quantitas vt vna est, & vt continua est, non distinguitur; siquidem vnitas non est aliquid distinctum à quantitate; ergo si vt continua est, sit ens completum, erit etiam ens completum, quatenùs vna est augens numerum.

Respondeo primò negando antecedens: Nam vnitas quantitatis est quid realiter distinctum ab ipsa quantitate; Resultat enim ex vnione partium inter se, sicuti

figura resultat ex dispositione partium; ideoque tam distinguitur realiter à quantitate, quàm à figura. Ita tenent Complutenses ex D. Th. 1. p. q. 11. a. 1. & q. 30. a. 3. Neque mirum est, vnitatem quantitatis esse distinctam ab illa, quamuis vnitas aliorum entium non sit distincta realiter ab ipsis: Cætera enim entia sunt vnum per se ipsa; at verò quantitas est vna per colligationem partium, quæ colligatio cùm sit aliquid accidentale ipsi quantitati; ita quoque vnitas ab illa proueniens est aliquid distinctum ab ipsa quantitate.

Respondeo secundò, transeat antecedens, & nego consequentiam: Siquidem eadem res comparata ad diuersa, potest habere rationem completi, & incompleti; vt figura lapidis in se est aliquid completum, comparata verò ad domum, cuius est pars, est aliquid incompletum: Ita quoque in numero ternario linearum, quælibet linea in se considerata est aliquid completum in genere quantitatis continuæ; at verò comparata ad numerum ternarium, est aliquid incompletum, & pars numeri ternarij.

Instabis: Partes numeri non vniuntur: ergo non faciunt per se vnum. Consequentia patet. Probatur antecedens: Nam partes separatæ non vniuntur: sed partes numeri sunt separatæ, & abinuicem discretæ; ergo non vniuntur. Maior patet: Nam separatio opponitur vnitati: Minor verò certa est: Numerus enim constat partibus abinuicem separatis.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo maiorem: partes separatæ non sunt vnitæ, vnitate continuitatis, concedo; vnitate ordinis, nego; siquidem separatio non opponitur vnitati ordinis: ea enim, quæ sunt ab inuicem separata, possunt tamen ordinari: vnitas autem numeri non est vnitas continuitatis, sed vnitas ordinis.

Vrgebis: Partes numeri non vniuntur etiam vnitate ordinis: ergo nulla solutio. Probatur antecedens: inter pares non est ordo: sed partes numeri sunt inter se pares: ergo inter illas non est ordo.

Respondeo primò, nego subsumptum: Ad probationem, distinguo maiorem; inter pares non est ordo, physicæ dependentiæ, concedo: non est ordo situationis, dispositionis, & extensionis, nego; sic enim inter partes lapidis, quamuis sint pares, datur ordo dispositionis, inquantùm vna est sursum, & alia deorsum; ex quo ordine resultat figura triangularis, aut quadrata: Ita quoque inter vnitates numeri datur ordo, inquantùm

tùm cæteræ ordinantur ſub vltima, à qua habent ſpeciem numeri.

Reſpondeo ſecundò. Vnitates numeri non eſſe formaliter pares; nam in illis vna habet rationem vltimæ, alia rationem mediæ, & alia rationem primæ; ſicut in numero quinario, quinta eſt vltima, & tertia eſt media.

Replicabis: Inter quinque vnitates nulla eſt prima, aut ſecunda, aut vltima: ergo inter illas nullus eſt ordo.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Nulla eſt prima, aut vltima, determinatè, concedo; nulla indeterminatè, nego. Siquidem, licèt neque hæc, neque iſta ſit vltima, attamen in illis datur aliqua verè vltima, illa ſcilicet, quæ claudit, & finit numerum, quæcumque ſit; v. g. in numero quinario, quinta eſt vltima, eò quod finiat numerum, & trahat alias quatuor ad ſpeciem quinarij.

Dices: Illa vltima vnitas ad hoc, vt daret ſpeciem alijs, deberet eſſe aliquid determinatum; ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum. Id quod determinat ſpeciem, debet eſſe determinatum; ſed vltima vnitas determinat ſpeciem numeri ex nobis, ergo debet eſſe aliquid determinatum.

Reſpondeo negando ſubſumptum? Ad probationem diſtinguo maiorem: Id quod dat ſpeciem, debet eſſe quid determinatum materialiter, nego; determinatum formaliter, concedo: & conceſſa minori, diſtinguo conſequentiam: ergo vltima vnitas debet eſſe aliquid determinatum, materialiter, nego; formaliter, concedo. Explicatur ſolutio. Vltima vnitas duo dicit, *vnitatem* ſcilicet, & *vltimitatem*, vt ita loquar: Quantùm ad vnitatem, non eſt determinatum, quænam ſit in particulari, quæ eſt vltima; imò neutra determinatè eſt vltima, ſed ratio vltimæ cadit indifferenter ſuprà quamlibet: Attamen quantùm ad vltimitatem, in omni numero ipſa vltimitas eſt determinata, quia omnis numerus cùm ſit finitus, debet claudi, & determinari, ac proinde habere vltimam vnitatem. Et hæc vltima vnitas in quolibet numero eſt determinatæ rationis, v. g. in numero quaternario vltima vnitas eſt quarta, quæcumque ſit; & in numero quinario vltima eſt quinta. Vnde vltima vnitas dicitur formaliter determinata, quia hoc determinatum eſt, v. g. in quaternario, quòd finiatur in quarta vnitate, quæ dat ſpeciem numero.

Hoc totum explicat Ioannes à Sancto Thoma exemplo clariſſimo circuli, qui, cùm ſit finitus, debet habere

finem, principium, & medium suæ extensionis: Et tamen in circulo neutra pars determinatè est medium, principium, vel finis: vnde formalitas principij, medij, & finis reperitur determinatè in circulo; Attamen quantum ad materiale, seu quantùm ad partem, supra quam cadit talis formalitas principij, medij, & finis, hoc non est determinatum in circulo, sed indifferenter cadit supra quamlibet partem. Ita pariter dicimus de numero: Nam quantùm ad hoc, quod est claudi vltima vnitate, quæ sit talis rationis, v. g. quarta, vel quinta, hoc determinatum est in omni numero; non enim numerus, v. g. quaternarius, finitur in qualibet vnitate, v. g. in secunda, vel tertia, sed determinatè in quarta; Attamen ratio quartæ, & vltimæ non cadit supra aliquam determinatè, sed indifferenter supra quamlibet ad alias comparatam.

Obijcies tertiò: vnitas ordinis non sufficit ad hoc, vt numerus sit ens per se vnum; ergo non est vnum per se: Probatur antecedens: Nam in exercitu, & populo datur vnitas ordinis; sed populus, & exercitus non sunt vnum per se; ergo vnitas ordinis non sufficit ad hoc, vt aliquid sit vnum per se.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo maiorem: In populo, & exercitu datur vnitas ordinis, politici, concedo; physici, nego. Et ad minorem: sed populus, & exercitus non sunt vnum per se, in esse physico, concedo; in esse politico, nego: Et nego consequentiam sub distinctione data. Explicatur solutio: Vnitas ordinis sufficit ad hoc, vt aliquid sit vnum per se; vnde eo modo aliqua erunt vnum per se, quò habebunt vnitatem ordinis: Cùm igitur plures homines aggregati in vno exercitu non habeant inter se nisi ordinem politicum, inquantùm multitudo illa obedit vni duci, non faciunt vnum per se, nisi moraliter, & politicè. Cæterùm in ordine physico erunt quid per accidens: At verò inter plures vnitates componentes numerum, reperitur ordo, non quidem moralis, & politicus, sed quantitatiuus, & mathematicus; vnde sunt vnum per se quantitatiuè, & mathematicè.

Obijcies 4. Si numerus esset vnum per se, deberet habere vnicum subiectum; sed non habet vnicum subiectum; siquidem, v. g. numerus hominum non est in vno homine, sed in varijs, ijsque remotissimis abinuicem, quorum alij sunt in India, & alij in Gallia; ergo talis numerus non est vnum per se.

Res-

Respondeo distinguendo maiorem: Si numerus esset vnum per se, deberet habere vnicum subiectum, totale, concedo; vnicum subiectum partiale, nego: Quilibet autem homo non est, nisi subiectum partiale numeri hominum; omnes verò homines sunt totale ipsius subiectum. Neque refert, quòd illi homines sint propinqui, vel remoti; quia vnitas numeri est solùm vnitas ordinis, ad quam nihil facit distantia, vel propinquitas: vnde vbicumque nascatur homo, statim atque est in rerum natura, incipit pertinere ad numerum hominum, tanquam subiectum eius partiale.

Dices: Multitudo Angelorum habet omnia, quæ competunt multitudini rerum quantitatiuarum, & tamen non est ens per se vnum, sed solùm per accidens; ergo etiam multitudo rerum quantitatiuarum est solùm ens per accidens. Probatur antecedens: Nam in Angelis aliquis est vltimus, claudens multitudinem illorum; similiter talis multitudo est mensurabilis per vnum sæpius replicatum, & est æqualis alteri simili multitudini, &c.

Respondeo negando paritatem: Disparitas est, quòd Angeli non sunt res eiusdem rationis, sed quilibet Angelus est diuersæ rationis, & speciei ab altero, & ideò non possunt conuenire ad constituendam vnam speciem numeri: oportet enim, vt ea, quæ constituunt numerum, sint eiusdem rationis, & solùm numericè distincta: Quod patet experientia; quia enim leones, & homines sunt res diuersæ rationis, ideò non faciunt vnicum numerum, sed duos numeros diuersos; itaut numerus omnium hominum sit alius à numero leonum: vnde cùm Angeli sint inter se diuersæ rationis, & speciei, non faciunt per se vnum numerum, nisi impropriè, & metephoricè, inquantùm solemus transferre mensuras rerum corporalium ad res spirituales, vt cùm mensuramus durationem Angelorum per annos, & dies nostros.

ARTICVLVS QVINTVS.

De proprietatibus quantitatis, & eius coordinatione.

PRoprietates physicæ quantitatis sunt quatuor suprà relatæ, scilicet extensio localis, impenetrabilitas, mensurabilitas, & diuisibilitas: Sed prætereà tres proprietates attributales, seu logicales quantitatis referuntur ab Aristotele.

Prima est, non habere contrarium propriè dictum: Cùm enim contraria propriè dicta sint, quæ mutuò se expellunt à subiecto, & inter se mutuò pugnant, quantitas non pugnat cum alia quantitate, nec eam expellit à subiecto; siquidem quantitas non est actiua; & ideò vna non agit in aliam, vt eam à suo subiecto expellat. Adde prætereà, quòd omnes quantitates, v. g. omnes lineæ, sunt eiusdem speciei: vnde inter se non pugnant, vt à subiecto sese excludant.

Secunda proprietas est, non suscipere magis, & minus; licèt enim quantitas crescere possit, vel minui, & ideò fieri maior, vel minor; attamen propterea non fit magis quantitas; minima enim quantitas æquè perfectè est quantitas, sicuti & maxima.

Tertia proprietas quantitatis est, quod secundum eam res dicantur æquales, & inæquales: cùm enim proprium sit quantitatis facere subiectum mensurabile, reddit ipsum consequenter æquale, vel inæquale alteri: Æqualia enim sunt, quæ conueniunt in mensura; inæqualia verò, quæ differunt secundùm mensuram. Attamen, quia ea, quæ propriè competunt quantitati, tribuuntur etiam per metaphoram rebus spiritualibus: (dicimus enim quod Deus est magnus, quod Angeli sunt in magno nnmero) ita quoque in alijs rebus æqualitas quædam metaphorica reperitur. Sic dicimus Personas Diuinas esse æquales, gratiam Sanctissimæ Virginis non habere sibi æqualem in alijs Sanctis.

Quantùm ad coordinationem specierum quantitatis, sumendo solùm species proprias, & rigorosas, sic ordinatur prædicamentum eius. In primis quantitas dimensiua in communi diuiditur in quantitatem continuam, & discretam, quæ alio nomine dicitur numerus; seu in quantitatem molis, & quantitatem multitudinis. Quantitas discreta, seu numerus, diuiditur in varias species numerorum, binarium scilicet, ternarium, &c. quorum quilibet est infimus in sua specie. Quantitas verò continua diuiditur in lineam, superficiem, & corpus; quarum quælibet est species infima: Nam omnis linea est eiusdem speciei, sicuti, & omnis superficies, quamuis possit suscipere figuras diuersæ speciei: v. g. figuram quadratam, circularem, triangularem, &c. Neque mirum est, quòd prædicamentum quantitatis diuidatur in paucas species; quia diuersitas specifica est à forma; cùm ergo quantitas sit admodum materialis, non diuiditur multis diuisionibus specificis, & formalibus. Cæterùm, si quis velit quantita-

tem

tem diuidere in omnes suas species, siue proprias, siue improprias, talis diuisio habetur suprà articulo 2.

QVÆSTIO QVARTA.

De Relatione.



TERTIVM prædicamentum est relatio, cuius notitia summè necessaria est non modò Philosophis, sed Theologis quoque; cùm nulla ferè sit vtriusque sapientiæ pars, in qua de aliquo ente relatiuo non disputetur. Secuti autem consuetum ordinem circa relationem tria quærimus; Primò, quid sit; Secundò, quotuplex sit; Tertiò, quas habeat proprietates.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Relatio.

LIcèt quidam negauerint dari relationes reales, saltem in rebus creatis, (dari enim in Deo docet fides, siquidem Pater Æternus dicit relationem ad Filium suum, per quam ab illo distinguitur, & constituitur Pater) attamen modò concedunt omnes. Quod probatur tum exemplo, tum ratione. Exemplo quidem, sicut enim Pater Æternus realiter refertur ad Filium: quia generat illum; ita quoque pater creatus refertur realiter ad suum filium; quia realiter generat ipsum. Ratione quoque: Nam, vt arguit D. Thomas quæst. 7. de potentia, artic. 9. Bonum vniuersi consistit in ordine vnius rei ad aliam: ergo datur in rebus ordo, seu relatio realis vnius rei ad aliam, Consequentia patet; Nam bonum non potest consistere in eo, quòd non datur, Antecedens verò declaratur: Vt enim dicit Aristoteles 12. Metaph. Vniuersum est sicut exercitus, cuius bonum consistit in ordine militum, tum inter se, tum ad Ducem, quo ordine per discordiam sublato, ruit simul exercitus; ita quoque bonum vniuersi consistit in ordine rerum, tum inter se, tum ad Deum, quo sublato periret perfectio vniuersi. Idem confirmatur ratione Ioannis à Sancto Thoma. Relatio enim propriè dicta est, cuius totum esse est ad aliud se habere:

sed plura sunt in rebus, quorum totum esse est ad aliud se habere; ergo dantur in rebus veræ relationes. Probatur minor: Nam similitudo, paternitas, æqualitas, & alia eiusmodi, sunt realiter in rebus. Sed esse talium rerum consistit totum in eo, quòd respiciant aliud; nam pereunte illo alio, desinunt, vt pereunte filio, non est ampliùs paternitas; ergo &c. Supposito ergo, quòd sint relationes reales, quæritur, quid sit eiusdmodi relatio? Pro resolutione.

Nota, per relationem communissimè sumptam intelligi respectum vnius rei ad aliam, vt dicit D. Thom. Ex qua generali notione sequitur relationem diuidi primo in realem, & rationis. Relatio realis est, quando talis ordo, talisque respectus inuenitur in rebus nemine cogitante: sic effectus ordinatur ad causam, pater ad filium, scientia ad obiectum, &c. Relatio rationis est, quando aliquid per rationem solùm ordinatur ad aliud, vt prædicatum ad subiectum, genus ad speciem, &c.

Secundò: relatio diuiditur in transcendentalem, & prædicamentalem, Relatio prædicamentalis est ordo quidam essentiæ rei aduentitius, cuius vnicum munus est, vnam rem ordinare ad aliam. Sic filiatio accidit homini, ipsumque refert ad alium, scilicet ad patrem. Relatio transcendentalis est entitas absoluta, in qua tamen secundariò reperitur ordo ad aliquid aliud; nulla enim entitas est, quantumuis absoluta, quæ non habeat aliquem ordinem ad aliam entitatem: Sic entitas partis ordinatur ad totum; entitas effectus ad causam; entitas animæ ad corpus suum; non quidem, quod essentia talium rerum tota consistat in puro respectu, & ordine ad aliud, sed ad entitatem talium rerum sequitur respectus ad aliud; ideòque dicuntur relatiua transcendentaliter. Alio nomine solent vocari relationes transcendentales, relationes *secundùm dici*, eo quòd scilicet non sint aliquid purè relatiuum, sed aliquid absolutum, connotans tamen aliud, & ideo exigens exprimi cum ordine ad illud aliud; vt v. g., anima non est pura relatio ad corpus, sed entitas quædam absoluta, quæ tamen ordinatur ad corpus informandum; ita vt explicari, & intelligi non possit sine tali ordine. Aristoteles definit illa relatiua secundùm dici, *ea, quæ id, quod sunt, alterius sunt*; sicut accidens est sui subiecti accidens; & effectus est suæ causæ effectus, &c. Solùm hic agitur de relatione prædicamentali, quæ constituit hoc prædicamentum: nam relatio-

nes trăſcendentales vagantur per omnia prædicamenta; vnde non conſtituunt ſpeciale prædicamentum. Pro eius explicatione

Dico: relatio prædicamentalis rectè definitur: accidens reale, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere; id eſt, quæ conſiſtit in puro reſpectu: ita communiter omnes cum Ariſtotele hic.

Explicatur definitio. In primis relatio dicitur, *accidens*, vt excludantur ab hoc prædicamento Diuinæ relationes, quæ non ſunt accidentia; nam in Deo nullum eſt accidens. Additur, *reale*, vt excludantur relationes rationis; ſiquidem ſolùm ens reale ponitur in prædicamento. Aliæ verò particulæ excludunt relationes tranſcendentales, & ſecundùm dici, quarum totum eſſe non eſt ad aliud ſe habere, ſed eſt quædam entitas abſoluta, ad quam ſequitur ordo ad aliud, in quantùm talis entitas eſt alterius.

Dices: D. Th. 1. p. q.28. a.1. dicit, quòd in ijs, quæ ſunt ad aliquid, inueniuntur aliqua, quæ ſunt ſecundum rem, & aliqua ſecundùm rationem tantùm. Ergo in prædicamento relationis ponuntur etiam relationes rationis.

Reſpondeo D.Thomam ſolùm velle, quòd relatio rationis eſt verè, & propriè relatio, quia intellectus noſter verè ordinat, & refert vnum ad aliud; attamen tales relationes rationis non ponuntur in prædicamento, quia prædicamenta diuidunt ſolùm ens reale. Vndè relatio rationis excluditur à prædicamento defectu realitatis, quamuis ſit propriè relatio. At verò Chymæra v.g. excluditur à prædicamento ſubſtantiæ, non ſolùm defectu realitatis, ſed quia non eſt propriè ſubſtantia.

Quæres: Quænam ſint conditiones requiſitæ ad relationem prædicamentalem?

Reſpondeo ex D. Th. Op. 48. quatuor præcipuè aſſignari. Prima eſt, vt habeat ſubiectum reale: Accidens enim reale exigit etiam reale ſubiectum. Secunda eſt, vt habeat rationem fundandi, ſeu fundamentum reale: fundamentum enim eſt veluti cauſa relationis; vndè cùm effectus realis exigat cauſam realem, vt relatio ſit realis; eius fundamentum debet eſſe reale. Tertia conditio eſt, vt habeat etiam terminum realem; cùm enim relatio tota conſiſtat in ordine ad ſuum terminum, vt talis ordo realiter reſultet, oportet, vt realiter ponatur terminus. Quarta conditio eſt, vt extrema, id eſt, fundamentum, & terminus, realiter diſtinguantur; non enim datur relatio eiuſdem ad ſe ipſum.

Quæ-

Quæres secundo. Quid sit subiectum, quid fundamentum, quid terminus relationis?

Respondeo; Subiectum relationis esse id, in quo subiectatur relatio, seu quod refertur: Fundamentum verò est id, quod est ratio respiciendi, seu referendi; Terminus demùm est id, quod respicitur. Sic in relatione paternitatis, homo, qui genuit filium, est subiectum talis relationis; filius genitus est terminus, qui respicitur à parte; generatio verò est fundamentum talis relationis; ratio enim, cur pater respicit filium, est quia genuit ipsum. Quia verò relatio est inter subiectum, & terminum, ideò subiectum, & terminus dicuntur extrema relationis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm relatio prædicamentalis sit realiter distincta à suo fundamento?

RElatio prædicamentalis, vt constat ex præmissis, est purus respectus vnius ad aliud, seu ordo subiecti ad terminum; Quæritur modò, vtrùm ille respectus sit aliqua entitas distincta à fundamento, quod enim distinguatur à subiecto, vix aliquis negare potest. Plures extranei tenent partem negatiuam. Cæterum vtraque schola D. Thomæ, & Scoti affirmat relationem realiter distingui à fundamento, v. g. similitudinem, quæ est relatio inter duos parietes albos, non esse ipsam albedinem, sed quamdam entitatem, tenuissimam quidem; realem tamen, & realiter distinctam, quæ tota est respectus. Pro resolutione.

Dico, Relatio prædicamentalis est distincta realiter à fundamento suo: & est ordo quidam realiter ipsi superueniens, ipsumque referens ad aliud.

Probatur primò conclusio authoritate D. Th. qui sæpissimè illam docet; vt 4. contra Gentes c. 14. ad 9. Vbi ait, *relationes in nobis habent aliud esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantia. Vnde habent proprium modum essendi, sicut in alijs accidentibus contingit*, & 1. p. q. 28. a. 2. ad 2. *In Creaturis respectus ad alterum est alia res.* Et in 1. distinctione quarta, quæst. 1. articul. 1. *In Creaturis nulla relatio est substantia*; & tamen constat plures relationes fundari in substantia, & tandem in alijs locis sepè repetit relationem componere cum fundamento, inhærere, ipsi aduenire, &c. quæ omnia denotant distinctionem realem.

Pro-

Probatur secundò ratione: Nam relatio prædicamentalis est purus ordo, seu respectus, cuius totum esse est ad aliud se habere; sed talis ordo, talisque respectus distinguitur realiter à suo fundamento; ergo relatio distinguitur à fundamento; Maior est definitio relationis prædicamentalis ab Aristotele tradita, & ab omnibus recepta: minor verò probatur: Nam entitas fundamenti à parte rei non est purus ordo, purusque respectus; ergo talis entitas fundamenti distinguitur ab eo quod est purus ordo, purusque respectus; Consequentia patet: Illa enim distinguuntur realiter, quorum entitates à parte rei non sunt idem: Antecedens verò probatur: Nam entitas absoluta non est purus ordo, purusque respectus totaliter consistens in eò, quòd ad aliud se habeat: sed entitas fundamenti est entitas absoluta; v. g. entitas albedinis fundans similitudinem inter duos parietes albos, est aliquid absolutum; ergo entitas fundamenti non est purus ordo, purusque respectus totaliter consistens in eo, quod ad aliud se habeat. Ex qua ratione colligo; vel funditùs euertendam esse definitionem Aristotelis dicentis relationem totaliter consistere in respectu ad alterum, vel dicendum talem relationem esse solùm denominatinem extrinsecam, aut ad summum ens rationis; quod tamen Aduersarij negant; vel nobiscum fatendum, hanc relationem non esse ipsum fundamentum, sed aliud genus entis, quod totum consistit in respiciendo, quodque superadditur ipsi fundamento. Inintelligibile enim est, entitatem fundamenti totaliter consistere in respectu; ergo illa entitas, quæ tota consistit in respectu, non potest esse entitas fundamenti, sed alia alterius ordinis, quæ si sit realis, realiter quoque distinguetur ab ipso.

Confirmatur: entitas relationis perit manente entitate fundamenti; ergo est aliquid distinctum. Consequentia patet: Non enim maius signum est distinctionis, quàm realis separatio: Antecedens verò probatur; Nam mortuo filio perit respectus paternitatis, manente tamen entitate fundamenti, scilicet facultate productiua: ergo entitas relationis perit manente entitate fundamenti.

Respondent Aduersarij, entitatem fundamenti habere duplex munus, scilicet absoluti, & respectiui; vnde pereunte termino, perit quantùm ad exercitium, & munus relatiui: manet verò quantùm ad munus absoluti.

Sed contra primò: Nam ista responsio tribuit crea-

turis, quod est soli Deo proprium: Theologi enim docent cum D.Th. 1.p. q.28. a. 2. quòd Diuina essentia propter sui eminentiam, simul in se comprehendit in vna simplici entitate munus relatiui, & absoluti: Vnde Pater Æternus per eamdem entitatem realem est Deus (quod est aliquid absolutum,) & etiam Pater (quod est aliquid relatiuum:) Ergo illa duo munera non possunt adunari in creaturis in vna entitate, quia, vt fert Axioma, *Quæ sunt vnita in superioribus, sunt diuisa in inferioribus*. Deinde quæro ab Aduersarijs, quid hæc in parte tribuant specialiter Deo, si etiam in creaturis aliqua entitas possit simul duo ista munera, relatiui scilicet, & absoluti, comprehendere?

Contra secundo. Nam munus respectui, quod pereunte termino perit, vel est aliquid reale; vel non: Si est aliquid reale; ergo relatio est realis entitas separabilis à fundamento, & proinde ab eo distincta: Si non est realis entitas; ergo relatio non consistit formaliter in aliquo reali; cùm desinere possit nulla realitate desinente; sed solùm erit aliquod ens rationis, vel denominatio extrinseca petita ab ipso termino.

Dices: Munus respectiui consistere in aliqua entitate reali, ipsius fundamenti scilicet; non tamen præcisè sumpta, sic enim est quid absolutum; sed vt connotat terminum, quo modo est aliquid relatiuum. Relatio v.g. similitudinis parietis albi ad album; est ipsa entitas albedinis, non præcisè sumpta, sed vt importat, & connotat aliam albedinem. Sicut in Physica docent Thomistæ, vnionem animæ cum corpore non esse aliquid distinctum ab anima, sed ipsam entitatem animæ, vt connotat corpus, ipsique applicatur: Et tamen certum est, quod manente anima, perit vnio eius cum corpore, præcise per hoc, quod ampliùs non connotet corpus, seu non sit in corpore; Quod igitur Thomistæ dicunt de hac vnione, proportionaliter dici poterit de ipsa relatione prædicamentali.

Hæc responsio videtur vltimum effugium Aduersariorum; impugnatur tamen primò: Quia confundit relationes prædicamentales cum transcendentalibus; quas tamen omnes philosophi distinguunt. Relatio enim transcendentalis est ipsa entitas absoluta, vt connotans aliud, ad quod ex natura sua destinatur, vt scientia ad obiectum; oculi ad colores, &c. Si ergo relatio etiam prædicamentalis nihil aliud est, quàm entitas absoluta connotans terminum, quodnam remanebit discrimen inter vtramque? Et quare peribit relatio prædicamentalis

talis ſublato termino, cùm tamen non pereat relatio tranſcendentalis ſublato termino? Non enim periret oculus, & tranſcendentalis eius relatio, quamuis perirent omnes colores.

Impugnatur 2. Nam relatio prædicamentalis, vt patet ex eius definitione, eſt accidens totum conſiſtens in ordine ad aliud, ſeu cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere: ſed entitas fundamenti, etiam vt connotat terminum, non conſiſtit totaliter in eo quod ſe habeat ad aliud, v.g. entitas albedinis, quomodocumque ſumatur; non conſiſtit purè, & totaliter in eo quòd reſpiciat aliud; ergo relatio non eſt entitas fundamenti connotans terminum.

Impugnatur 3. Relatio eſt purus reſpectus, & habitudo ad terminum, quæ proinde perit illo ſublato; ergo vel negandum eſt dari realiter in rebus talem relationem; vel fatendum, quod fundamentum, vt connotat terminum, acquirit nouam entitatem diſtinctam, quæ, remoto termino iterum deperditur.

Neque valet exemplum vnionis animæ ad corpus tum quia communiter Aduerſarij hac ratione conuicti dicunt, vnionem illam eſſe aliquid diſtinctum realiter ab anima, & corpore, eo quod pereat manente anima, & corpore poſt mortem. Quare igitur negant relationem diſtingui à fundamento, cùm pereat manente fundamento? Tum quia licèt vnio animæ cum corpore non diſtinguatur ab anima, & corpore, ſed per ſe ipſam anima vniatur corpori; Attamen fundamentum non poteſt per ſe referri, ſed relatio debet ab eo diſtingui; ſiquidem anima eſt eſſentialiter actus, & forma corporis; vnde per ſe ipſam poteſt ipſum actuare, & informare, in quo conſiſtit vnio eius cum corpore, vt dicetur in Phyſica: At verò fundamentum non eſt formaliter aliquid relatiuum, ſed aliquid abſolutum, neque eius entitas totaliter conſiſtit in ordine ad aliud, vnde per ſe ipſum non poteſt referri, & ordinari, ſed indiget accidente aduentitio, & diſtinctio.

Adde quòd vnio corporis, & animæ non conſtituit ſpeciale genus rerum, & prædicamentum diſtinctum, ſicut ipſa relatio. Et demùm, vt dicetur in Phyſica, etiam vnio animæ ad corpus non dicit ſolam entitatem animæ, ſed præterea diſpoſitiones; & actionem agentis, producentis, vel conſeruantis animam in corpore: Vnde mirum non eſt, ſi ſublata tali actione, & diſpoſitionibus, deſinat vnio ipſa: At verò nihil intrinſecum aſſignari poteſt, quod deſinat pereunte relatione, præ-

ter

tet ipsum entitatem relationis: Ergo talis entitas realiter distinguitur à fundamento.

Probatur 3. conclusio. Quod addit nouum esse supra fundamentum, distinguitur à fundamento: sed relatio addit nouum esse supra fundamentum; ergo distinguitur à fundamento: Probatur minor: Relatio enim addit *esse ad*, sed *esse ad*, est nouum genus essendi à fundamento distinctum: ergo relatio addit nouum esse supra fundamentum. Maior patet: Probatur minor: tum quia *esse ad*, pertinet ad diuersum prædicamentum; ergo & ad diuersum genus. Tum quia *esse ad*, est aliquod accidens annumeratum inter nouem accidentia prædicamentalia, fundamentum autem relationis est sæpe substantia; sed accidens distinguitur realiter à substantia: ergo *esse ad* est aliquid distinctum à fundamento.

Respondebis: Relationem esse solum accidens logicum, quod non distinguitur realiter à subiecto.

Sed contra: tum quia accidens logicum non constituit speciale prædicamentum; siquidem prædicamenta sunt diuisiones entis realis: ergo relatio non est merum accidens logicum: Tum etiam quia Aristoteles diuisit accidens physicum in nouem prædicamenta: sed Relatio constituit vnum ex illis nouem prædicamentis: ergo est verum, & physicum accidens. Vnde vel tollendum est penitùs prædicamentum relationis, vel reducendum ad prædicamentum sui fundamenti, vel admittendum realiter distingui à suo fundamento,

Confirmari demùm posset ex eo, quod Theologi communiter docent, relationes reales non posse aduenire Deo in tempore propter eius immutabilitatem, quæ nullam realitatem potest de nouo suscipere: ergo censent relationem esse aliquam realitatem à fundamento distinctam, ipsique superuenientem.

Obijcies primo: D.Thomas Opusc.48. tract.de relatione dicit, relationem similitudinis esse ipsam albedinem, vt se habet ad aliam albedinem.

Respondeo primo, oppositum istud esse dubium. Vnde non est tantæ authoritatis apud Thomistas; sed dato quòd sit D.Thomæ.

Respondeo secundò, D. Thomam ibi solùm intendere relationem non distingui à fundamento distinctione maiori, tanquam rem à re, sed solùm distinctione modali. Vnde ipsa similitudo non est alia res ab albedine, sed ipsa albedo, vt aliquo modo affecta. Attamen iste modus realiter modaliter distinguitur à fun-

fundamento, cuius est modus; Et quod hæc sit mens D. Thomæ, patet; tum quia eodem loco paulò superius, relationem esse quid debilissimum; si autem relatio esset omninò idem cum fundamento, non esset quid debilissimum, cum fuudamentum relationis sit ens sæpè perfectissimum: tum quia D. Thomas non dicit absolutè relationem non distingui à fundamento; sed solùm non esse rem diuersam à fundamento: tum demùm quia alijs in locis expressissimè dicit, relationem distingui ab ente absoluto, quale est eius fundamentum.

Instabis: Idem D. Thomas 5. Phys. lectione tertia dicit; *Nihil mihi aduenit de nouo per hoc, quod incipio fieri similis alteri*: ergo similitudo non est entitas etiam modaliter à fundamento distincta.

Respondeo distinguendo antecedens: Nihil mihi aduenit de nouo per modum physicæ mutationis, de qua loquitur ibi D. Thomas, concedo: per modum respectus, nego. Hoc autem solùm intendit D. Thomas: Ibi enim probat ad relationem non dari motum propriè dictum, eo quòd illa resultet nulla preuia mutatione ad solam termini positionem, & ipsa propriè loquendo non mutet subiectum.

Obijcies 2. Si relatio esset quid distinctum realiter à fundamento, ipsique superadditum, nascente musca mutaretur totus orbis: sed hoc est absurdum; ergo. Probatur sequela maioris: Nulla enim pars orbis est, quæ non dicat aliquam relationem, vel distantiæ, vel propinquitatis, vel similitudinis, vel dissimilitudinis ad illam muscam; ergo nascente illa musca pullularent infinitæ relationes in rebus.

Respondeo negando sequelam: Ad probationem distinguo: Omnis pars Orbis dicit aliquam relationem ad illam muscam, relationem nouam, nego; relationem anteà præexistentem concedo. Per eamdem enim relationem respicitur illa noua musca, per quam, & aliæ præexistentes muscæ respiciuntur. Nam pro omnibus terminis eiusdem rationis, v.g. pro omnibus filijs in parte, datur vnica relatio ad omnes illos extensa, vt infra dicetur. Quidam tamen non reputant magnum inconueniens mutati omnia relatiuè ad productionem nouæ rei, eo quòd talis mutatio non sit nisi tenuissima: & sanè si ad positionem alicuius corporis in aliquo loco, totus aer vicinus mutatur, recipiendo species intentionales illius corporis, quid prohibebit ad positionem noui entis mutari alia, recipiendo relationem ad ipsum.

Obij-

Obijcies 3. Paternitas in Petro non est entitas distincta ab illo; ergo nec relatio distinguitur à fundamento: Probatur antecedens: Nam dum Petrus Romæ existens fit pater, nascente ei filio in Gallia, nullam de nouo acquirit entitatem; ergo paternitas non est entitas distincta à Petro, Probatur antecedens: Quod non mutatur de nouo, non acquirit nouam entitatem: sed Petrus non mutatur de nouo per natiuitatem illius filij; ergo nullam acquirit entitatem.

Respondeo negando antecedens: Ad eius probationem distinguo maiorem: non mutatur absolutè, concedo; relatiuè, nego. Et ad consequentiam; ergo non acquirit nouam entitatem absolutam, concedo; relatiuam, nego: Nam Petrus in hoc casu acquirit respectum patris, quem anteà non habebat: vnde mutatur relatiuè. Attamen hæc mutatio relatiua non censetur propria mutatio, quia id dicitur propriè mutari, quod alio modo in se disponitur; relatio autem superueniens non disponit alio modo rem in se ipsa; sed solùm in ordine ad alia.

Instabis: Atqui Petrus nato filio non acquirit vllam entitatem, etiam relatiuam; ergo nulla solutio: Probatur subsumptum: Nulla est causa producens illam nouam entitatem in Petro; ergo non producitur noua illa entitas.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem nego antecedens: Nam causa ex qua resultat relatio, est ipsum fundamentum, à quo dimanat, posito termino, v.g. in Petro, vis eius productiua, quoties ponitur filius per eam productus; est causa ex qua resultat ordo patris ad talem filium. Neque mirari debemus, quòd eiusmodi ordines, licèt sint reales entitates, ita facilè, ac fœcundè resultent in rebus. Videmus enim quædam entia longè perfectiora resultare ex alijs simili imo mirabiliori fœcunditate. Quis crederet ex pulsato aere resultare qualitatem aliquam, quæ dicitur sonus, quæ etiam corpori allisa reciprocatur, nisi quotidie auribus id experiremur? Quis putaret tantam lucis copiam ex modica candela diffundi per totam cameram? Ex grano pulueris propè infinitas visibiles imagines effundi, quibus totus impletur aer, quæque apposito speculo iterùm reciprocantur, mirabili, & propè infinita fœcunditate. Quid mirum ergo, si positis quibusdam conditionibus ex rebus, quidam ordines ad alias resultent ab ipsis realiter distincti?

Vrgebis: Atqui fundamentum non est causa relationis;

nis; ergo nulla solutio: Probatur antecedens: Posita causa ponitur effectus: Sed posito fundamento non propterea ponitur relatio; ergo fundamentum non est causa relationis: Probatur minor: Nam in Petro, nondum nato filio, existit fundamentum paternitatis, & tamen non est in eo paternitas.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo maiorem: Posita causa ponitur effectus, si sint aliæ conditionis, ex quibus pendet effectus, concedo: Si desint aliæ conditiones, nego. Fundamentum autem est quidem causa relationis, sed terminus est conditio, sine qua relatio resultare non potest; cuius ratio est, quia fieri sequitur ad esse; vnde sicut relatio in suo esse tota consistit in respiciendo terminum; ita quoque fieri nequit sine termino, quem respiciat: vnde numquam fiet, quantumuis adsit fundamentum, nisi etiam ponatur terminus.

Ne autem gratis dictum videatur relationem in suo fieri dependere à termino, tanquam à conditione, qua posita statim resultat; id declarari potest Theologico exemplo. Docent enim Theologi, quod species intelligibiles Angelorum, quamuis habeant vim repræsentandi omnia indiuidua; attamen indiuidua futura non repræsentare, donec illa à parte rei existant: Vnde talis repræsentatio dependet ab existentia indiuiduorum, tanquam à conditione extrinseca, sine qua fieri nequit. Cur igitur à pari, non poterit relatio dependere à positione termini, ita vt sine illo nunquam causari possit à suo fundamento?

Obijcies quartò. Si relatio distingueretur à fundamento, daretur processus in infinitum in relationibus: Consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur sequela: Nam duæ relationes, verbi gratia duæ paternitates, sunt similes inter se, ac proinde fundant duas relationes similitudinis. Et rursus illæ duæ relationes similitudinis sunt similes inter se, & fundant duas relationes similitudinis, & sic in infinitum.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, nego quod vna relatio possit fundare aliam; v. g. vna similitudo aliam similitudinem; Et ratio est; tum quia relatio est debilioris entitatis, quàm quæ causare possit aliam relationem; tùm præcipue quia, vt docet D. Th. 1. p. q. 42. a. 1. ad 4. q. 35. a. 3. ad 2. & q. 7. de pot. a. 9 ad 2. relatio est essentialiter respectus: vnde non indiget aliquo superaddito vt referatur: sed sicut actio quantùm factibilis est, fit per se ipsam, & non per

aliam

aliam actionem: ita quoque relatio ad omnia, ad quæ referibilis est, refertur per se ipsam.

Instabis: Relatio similitudinis inter duas paternitates potest realiter separari ab illis; ergo realiter distinguitur ab illis. Consequentia videtur certa: Nam ex hoc probauimus suprà relationem distingui à fundamento: Antecedens probatur: Nam paternitas Petri desinit esse similis pereunte altera paternitate, cui erat similis; ergo perit relatio similitudinis manente paternitate.

Respondeo negando antecedens; Ad probationem, distinguo consequentiam; ergo perit relatio similitudinis, quantùm ad entitatem relatiuam, nego: quantùm ad hoc quod est respicere terminum secundarium, concedo. Explicatur solutio. Paternitas Petri est similis per se ipsam paternitati Pauli, non verò per relationem distinctam; Attamen pereunte paternitate Pauli desinit esse similis, non quod amittat relationem, per quam erat similis; sed præcisè per hoc, quòd illa relatio non habeat terminum secundarium, ratione cuius denominabatur similis. Sicut, dum video quinque homines, si vnus recedat, visio mea propterea non perit, sed præcisè desinit se extendere ad illū, qui abijt.

Obijcies quinto. Quocumque præciso, duo alba sunt similia; ergo relatio similitudinis non distinguitur ab ipsis.

Respondeo distinguendo antecedens: sunt similia fundamentaliter, concedo; formaliter, & relatiuè, nego. Vnde si Deus destrueret respectum illum similitudinis, qui est inter duo alba, non essent ampliùs formaliter, & relatiuè similia; quia carerent relatione similitudinis: Attamen casus videtur impossibilis; sunt enim quidam modi, qui licèt a suo subiecto distinguantur, attamen ab illo separari non possunt. Vt, posita æquali distantia circumferentiæ à centro, impossibile est, vt non resultet figura circularis: & tamen Aduersarij fatentur figuram esse accidens distinctam à quantitate: Et addita quarta vnitate tribus præexistentibus, impossibile est vt non resultet numerus quaternarius; qui tamen est distinctus à rebus numeratis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quotuplex sit Relatio.

Explicata quidditate relationis; nunc variæ ipsius diuisiones referendæ sunt: Cùm autem relatio causetur

ftetur à fundamento; iuxta varia fundamentorum genera, ſolent aſſignari quoque varia genera relationum. Vnde.

Dico primo. Tria ſunt genera fundamentorum relationis: ſcilicet Vnitas, & Numerus; ſeu conuenientia, & diſconuenientia: Actio, & paſſio: Menſura, & menſurabile: Vnde triplex quoque eſt genus relationum: quorum primum fundatur in conuenientia, & diſconuentia; ſecundùm in actione, & paſſione; tertium in menſura, & menſurabili.

Declaratur bonitas huius diuiſionis ex D. Th. quinto Met. lect. 17. Tot ſunt fundamenta relationum, quot ſunt rationes, cur vnum ordinetur ad aliud: Atqui tres ſolùm ſunt rationes propter quas vnum reſpicit aliud: ergo ſunt ſolùm tria fundamenta relationum. Maior patet: probatur minor: Nam omne quod ordinatur ad aliud, vel ipſum reſpicit ſecundùm *eſſe*, tanquam menſuram ſuæ perfectionis; vel ſecundùm *operari*, tanquam cauſam aut effectum; vel ſecundum *vnitatem*, ſeu conuenientiam, vel diſconuenientiam: Si reſpiciat primo modo, tanquam menſuram, & regulam ſui *eſſe*, ſuæque perfectionis, eſt fundamentum menſuræ, & menſurabilis; Sic ſcientia reſpicit ſuum obiectum, vt menſuram ſuæ perfectionis: ſic exemplar reſpicitur ab exemplato; ſic creaturæ reſpiciunt Deum; & generaliter omne ſpecificatum reſpicit ſuum ſpecificatiuum; ſi verò reſpiciat ſecundo modo, vt cauſam vel effectum, erit fundamentum actionis, & paſſionis; ſic filius reſpicit patrem, & generaliter omnis effectus ſuam cauſam: Si demùm tertio modo reſpiciat, inquantùm conuenit, vel diſconuenit, erit vnitas, & numerus ſeu fundamentum conuenientiæ, & diſconuenientiæ: ſic paries albus reſpicit alium parietem album vt conuenientem, & nigrum vt diſconuenientem. Omnis autem conuenientia præcipuè attenditur ſecundum tria prædicamenta, ſcilicet ſecundum ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem. Conuenientia ſecundùm ſubſtantiam vocatur identitas; conuenientia ſecundùm quantitatem dicitur æqualitas; conuenientia ſecundùm qualitatem dicitur: ſimilitudo; Sic Petrus, & Paulus, quia conueniunt in natura humana, habent relationem identitatis; ſic paries albus, quia conuenit in qualitate cum alio albo, habet relationem ſimilitudinis cum eo: Duo verò quanta, dum conueniunt in eadem menſura, habent inter ſe relationem æqualitatis.

Dices; Id, quod tranſit, non poteſt fundare relatio-

nem

nem permanentem: sed actio transit; ergo non potest fundare relationem permanentem.

Respondeo distinguendo maiorem: Id quod transit tam formaliter, quàm virtualiter, concedo; id quod transit formaliter, remanet tamen virtualiter, nego: & ad minorem; sed actio transit, formaliter, concedo; virtualiter, nego: Actio enim remanet virtualiter tum in effectu relicto; tum in determinatione, quam relinquit in causa, seu in virtute productiua. Ex hoc enim quod Petrus genuerit filium, remanet eius vis productiua speciali modo determinata circa talem filium; nam antea respiciebat ipsum solùm vt producibilem, posteà verò respicit ipsum vt productum. Vnde quidam dicunt, quod relationes actionis, & passionis fundantur in ipsa potentia productiua, quatenus determinata fuit per actionem, ad quam secutus est effectus.

Dico secundò: Relatio diuiditur adhuc in mutuam & non mutuam; patet diuisio: Nam inter ea, quæ dicunt ordinem, aliquando talis ordo est reciprocus ex vtraque parte, vt inter patrem, & filium: & inter duos parietes albos: Aliquando verò talis ordo non reciprocatur, sed solùm se tenet ex parte vnius extremi; vt creatura ordinatur quidem ad Deum, sed Deus non ordinatur ad creaturas: Similiter scientia ordinatur ad suum obiectum, sed obiectum non dicit ordinem ad scientiam. Quando reciprocatur vtrobique relatio, dicitur mutua; quando verò se tenet solùm ex parte vnius extremi, dicitur non mutua. Relationes autem mutuæ sunt vtplurimùm, quæ fundantur in conuenientia, & disconuenientia; in actione, & passione: Quia communiter loquendo, in talibus relationibus vtrobique est ratio referendi; siquidem inter ea, quæ conueniunt, vtrobique est conuenientia, Et non solùm effectus ordinatur ad suam causam, sed etiam causa ipsa, si sit creata, ordinatur ad suam effectum: Nam in creaturis, quodlibet est propter suam operationem. Relationes verò tertij generis, quæ fundantur scilicet in mensura, & mensurabili, non sunt mutuæ; quia licèt mensurabile ordinetur ad suam mensuram; attamen mensura non ordinatur semper ad mensuratum: vt scientia ordinatur quidem ad obiectum, & potentia visiua ad colores: Attamen nec obiectum ordinatur ad scientiam, nec color ad oculum.

Dico 3. Relatio mutua subdiuiditur in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Explicatur diuisio. Relatio æquiparantiæ est, quando in vtroque extremo repe-

reperitur respectus eiusdem rationis, & simili nomine expressus; vt inter duo alba, relatio in vtroque extremo reperta est eiusdem rationis, & eodem nomine nuncupatur: Relatio verò disquiparaatiæ est, quando respectus in vtroque extremo existens non est eiusdem speciei, nec eodem modo exprimitur. Sic relatio patris ad filium est disquiparantiæ; quia est diuersæ speciei, & diuerso nomine exprimitur; vna enim dicitur paternitas, & altera filiatio.

ARTICVLVS QVARTVS,

Quinam sit terminus Relationis, tum mutuæ, quàm non mutuæ?

AD pleniorem relationis mutuæ, & non mutuæ intelligentiam, quæri solet quinam sit vtriusque terminus; An scilicet vtraque respiciat aliquid absolutum sub ratione absoluti, an aliquid formaliter relatiuum. Complutenses tenent omnes relationes tam mutuas, quam non mutuas terminari ad relatiuum. Econtra Scotistæ tenent, omnes relationes tam mutuas quàm non mutuas, terminari ad aliquid absolutum sub ratione absoluti. Quidam verò media via incedunt; cum quibus.

Dico primò: relatio mutua terminatur formaliter ad aliquid relatiuum, scilicet ad suum correlatiuum; v. g. pater terminatur ad filium, non quatenus homo est, sed formaliter reduplicatiuè, quatenus filius est; ita vt quamuis entitas filij terminet respectum patris, attamen non terminat illum, vt entitas absoluta est, sed formaliter, vt affecta filiatione ac proinde quatenus est aliquid relatiuum.

Probatur primò conclusio authoritate D. Th. 1. p. q. 40. a. 2. ad 4. Vbi inquit: *Cùm dicitur quod relatiui esse, est ad aliud se habere, per ly (aliud) intelligitur correlatiuum, quod non est prius, sed simul natura*. Et Aristoteles hic dicit, quod seruus respicit dominum, vt dominus est; & ideò præcisis omnibus alijs, v. g. quod sit doctus, quòd sit bipes, musicus &c. modò sit dominus, semper respicitur à seruo.

Probatur secundò ratione: Pater terminatur ad filium sub ratione formali filij: Sed ratio formalis filij est quid relatiuum; ergo pater terminatur ad aliquid relatiuum, & idem dicendum de alijs relationibus mutuis. Minor patet: probatur maior: Tum exemplo diuinæ Paterni-

tatis, *à qua*, inquit Apostolus, *deriuatur omnis Paternitas*. Hæc enim respicit Filium Æternum sub ratione formali filij; ergo & temporalis pater debet respicere filium sub ratione formali filij: tum etiam ratione: Nam sic se habet pater ad filium, sicut generans ad genitum, sed generans respicit genitum sub ratione formali geniti; ergo etiam pater respicit filium sub ratione formali filij.

Probatur tertiò: Nam relatio mutua dependet à suo correlatiuo, vt à termino formali; ergo terminatur ad aliquid relatiuum. Probatur antecedens: Relatio mutua aliquomodò dependet à suo correlatiuo: sed non potest dependere nisi, vt à termino; ergo dependet ab eo, vt à termino: Maior probatur; Nam relatio mutua non potest intelligi sine suo correlatiuo; ergo necesse est, vt ab eo dependeat: Res enim intelligi potest sine his, à quibus non dependet: Minor verò probatur: Nam relatio solùm dependet à duobus, scilicet à fundamento, & à termino; sed relatio mutua non potest dependere à suo correlatiuo, tanquam à fundamento, vt de se patet; ergo debet dependere ab illo; vt à termino.

Obijcies primò, maternitas est relatio mutua: sed maternitas terminatur ad absolutum; ergo relatio mutua terminatur ad absolutum. Probatur minor: Maternitas Beatissimæ Virginis terminatur ad aliquid absolutum: ergo etiam & aliæ maternitates terminantur ad aliquid absolutum, licèt sint relationes mutuæ: Antecedens supponitur ex D. Thomæ, qui expresè dicit, Christum, qui est terminus maternitatis B. Virginis, nullam realem relationem dicere ad matrem, quia suppositum Diuinum (in quo recipi deberet relatio filij) est incapax relationis realis ad creaturas. Probatur consequentia: Relationes eiusdem speciei terminantur ad idem; sed aliæ maternitates sunt eiusdem speciei cum maternitate B. Virginis; ergo terminantur ad idem formaliter; ergo si relatio B. Virginis terminatur ad aliquid absolutum, ita quoque & aliæ maternitates.

Respondeo concessa maiori, negando minorem; ad probationem, nego consequentiam: Ad cuius probationem, distinguo maiorem: Maternitates eiusdem speciei terminantur ad idem, naturaliter loquendo, concedo; supernaturaliter, nego. Licèt enim maternitas, si habeat terminum naturalem, respiciat aliquid relatiuum; tamen si supernaturaliter substituatur aliquis

quis alius terminus,non debet necessariò esse relatiuus: sic autem contingit maternitati B. Virginis, quæ naturaliter quidem, sicut & aliæ maternitates, exigebat pro termino purum hominem sibi vicissim relatum: Attamen loco puri hominis substitutus est homo Deus, qui est incapax relationis ad creaturam. Vnde maternitas B. Virginis non habet pro termino aliquid relatiuum, sed solùm aliquid supernaturaliter subrogatum loco relatiui.

Quæres, si Christus, vt tenet D. Thomas, non dicit relationem realem filij ad B. Virginem, quomodo potest dici realiter Filius B. Virginis? præcipuè cum filius sit aliquid relatiuum?

Respondeo, quia vt docet D. Th. 5. Metaph. lect. 17. aliquid dicitur relatiuè, non solùm quia refertur ad aliud, sed etiam, quia aliud refertur ad ipsum: Vnde aliquis dicitur filius realiter, non solùm, quia refertur ad matrem, vel patrem, sed etiam quia mater, vel pater refertur ad ipsum, tanquam ad eum, quem genuit; & ideò quia Christus, licèt non dicat respectum realem ad Matrem, attamen verè, & propriè terminat relationem Matris suæ, tanquam genitus ab ipsa; dicitur realiter, & propriè filius B. Virginis. Adde præterea, quod licèt Persona Diuina Christi non referatur realiter ad Beatam Virginem, attamen subrogatur personæ humanæ, quæ exigeret ad illam realiter referri: Ideoque verè, & propriè est filius B. Virginis, sicut esset persona humana, cuius locum tenet, & vice fungitur.

Obijcies secundò: Terminus præcedit relationem; ergo non est quid relatiuum; Probatur antecedens: Relatio etiam mutua non resultat nisi posito prius termino; ergo terminus præcedit relationem etiam mutuam.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo antecedens: Relatio non resultat nisi priùs posito termino, quoad entitatem, concedo; quoad rationem formalem terminandi, nego. Et similiter ad consequentiam: Terminus præcedit relationem, quantùm ad entitatem, concedo; quantùm ad formalitatem terminandi, nego. Explicatur solutio: In termino duo sunt distinguenda: Entitas termini, & ratio formalis, sub qua terminat, v. g. in filio, entitas filij, & ipsa filiatio, sub qua terminat relationem patris: Dicimus ergo, quòd licèt entitas termini debeat priùs natura poni, quàm resultet relatio; attamen ratio formalis, sub qua terminat, est simul natura cum ipsa relatione.

Instabis: Specificatiuum præcedit specificatum, sed terminus, vt mox dicemus, est specificatiuum relationis; ergo terminus etiam formaliter sumptus præcedit relationem.

Respondeo primò distinguendo maiorem: Specificatiuum per modum causæ, concedo; specificatiuum per modum termini, nego. Terminus autem non specificat relationem per modum causæ, sed per modum puri termini.

Respondeo secundò distinguendo eamdem maiorem specificatiuum præcedit specificatum, in alijs rebus, concedo; in relatiuis mutuis, nego. Cùm enim relatiua mutua mutuò se specificent, non debent se præcedere, sed tantùm simul esse; & hoc patet in Diuinis relationibus, in quibus Paternitas Diuina nullo modo præcedit filiationem, quæ est terminus eius.

Vrgebis: Si filius formaliter vt filius, esset terminus paternitatis, sequeretur, quòd pater definiretur formaliter per filium, & filius per patrem: Atqui hoc est inconueniens; ergo: maior patet: Nam relatio definitur per suum terminum: Minor verò probatur: Quia alias daretur circulus vitiosus, dum pater definiretur, qui respicit filium, & filius qui respicit patrem.

Respondeo concessa maiori, negando minorem: Ad probationem, nego quod circulus in definitione relatiuorum sit vitiosus, imò est necessarius, vt expressè dicit Porphyrius c. de specie. Vnde communiter dicitur, relatiua mutua esse simul cognitione, quia mutuò se notificant & definiunt. Quamuis nec sit ibi omninò circulus, quia scilicet se definiunt sub diuerso respectu: Nam filius definitur per patrem, vt à se respectum; pater verò definitur per filium, tanquam respiciens ipsum.

Dico secundò: Relatio non mutua non terminatur ad aliquid intrinsecè, & subiectiuè relatiuum, sed solùm relatiuum extrinsecè & terminatiuè. Conclusio conciliat diuersas Thomistarum sententias circa terminum relationis non mutuæ; qui enim dicunt eam terminari ad aliquid relatiuum; intelligendi sunt de relatiuo extrinsecè, & terminatiuè: Qui verò dicunt eam non terminari ad aliquid relatiuum, explicandi sunt de relatiuo intrinsecè, & subiectiuè. Vnde vt probetur, & explicetur conclusio.

Aduerte ex D. Th. 5. Metaph. lect. 17. dupliciter aliquid posse dici relatiuum; primò subiectiuè, & intrinsecè; secundò terminatiuè, & extrinsecè. Relatiuum intrin-

intrinsecè & subiectiuè est id, quod habet in se relationem. Relatiuum verò terminatiuè est id, quod terminat relationem in alio existentem. Sicut aliquis potest dici dupliciter inimicus; primò subiectiuè, & intrinsecè, quia odio habet aliquem; secundò terminatiuè, quia odio habetur: sicut Christus dicebatur inimicus Iudæorum, non quòd eos odio haberet, sed quòd ab eis odio haberetur. Hoc posito dicimus, quod in relationibus non mutuis terminus est quid relatiuum extrinsecè,& terminatiuè, non tamen intrinsecè & subiectiuè.

Probatur 1. pars: Illud non est intrinsecè relatiuum, quod caret relatione; sed terminus relationis non mutuæ caret relatione; ergo non est quid relatiuum intrinsecè. Maior patet, minor probatur: In hoc enim differt relatio non mutua à mutua, quod in eius termino nullus sit reciprocus respectus. Neque dicas, non esse quidem respectum realem, bene tamen respectum rationis: Contrà enim est; tum quia respectus ille rationis non potest esse ratio terminandi; siquidem relatio realis debet habere terminum realem; tum quia respectus rationis est solùm aliquid secundarium, quod supponit relationem iam terminatam.

Probatur etiam secunda pars: Illud enim est relatiuum extrinsecè & terminatiuè, quod terminat relationem: atqui terminus relationis non mutuæ terminat relationem, vt de se patet; ergo est aliquid terminatiuè tantùm,& extrinsecè relatiuum.

Obijcies: Quod opponitur relatiuè, est aliquid relatiuum; sed terminus relationis etiam non mutuæ opponitur ipsi relatiuè; ergo est aliquid relatiuum.

Respondeo distinguendo maiorem: Quod opponitur relatiuè est quid relatiuum, intrinsecè semper, nego; relatiuum extrinsecè, & terminatiuè, concedo: Et concessa minori distinguo similiter consequentiam. Terminus relationis est aliquid relatiuum, intrinsecè semper, nego; terminatiuè, concedo: solutio patet ex dictis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vnde sumatur distinctio, tum specifica, tum numerica relationum.

Explicata diuisione generica relationum, nunc explicandum est, vnde sumatur vnitas, vel distinctio

ſpecifica & numerica earum. Circa diſtinctionem ſpecificam relationis triplex eſt ſententia. Prima tenet relationes totaliter ſpecificari à fundamento; ita vt vnitas ſpecifica relationis ſolùm deſumatur ex vnitate ſpecifica fundamenti. Secunda tenet eam deſumi tantùm à termino. Tertia, & communior tenet eam deſumi ab vtroque; ita vt relatio dicatur vnà ſpecie, quæ habet vnicum ſpecie fundamentum, & terminum. Pro reſolutione.

Dico primò: Vnitas ſpecifica relationis deſumitur à fundamento ſimul,& termino, ſeu ex coaptatione fundamenti cum termino: Diuerſitas verò ſpecifica deſumitur ex diuerſitate vel fundamenti, vel termini; ita vt variato alterutro, varietur relatio.

Probatur prima pars authoritate ſimul & ratione D. Thomæ quod l.9. art. 4. Ab eodem res deſumit vnitatem ſpecificam, à quo deſumit ſuum eſſe; ſed relatio deſumit ſuum eſſe à fundamento, ſimul & à termino; ergo deſumit etiam vnitatem ſpecificam ab vtroque. Maior patet: Siquidem ens, & vnum conuertuntur; quælibet enim res eſt vna per ſuam entitatem: vnde ab eodem res habet vt vna ſit, à quo habet vt ſit: Minor verò declaratur: Nam relatio eſſentialiter eſt reſpectu ortus à fundamento ad terminum; ergo ab vtroque deſumit ſuum eſſe; à fundamento quidem, vt à cauſa; à termino verò, vt ab eo, quod connotatur; ſeu vt dicit B. Albertus Magnus, à fundamento, vt ab eo, per quod eſt; à termino verò, vt ab eo,ad quod eſt.

Confirmatur, præcipuè quod deſumat à termino, ex generali principio D. Thom. Nam ea, quæ ordinantur ad aliud, ſpecificantur per ordinem ad illud: ſed relatio ex natura ſua ordinatur ad terminum; ergo ſpecificatur à termino.

Probatur etiam ſecunda pars concluſionis, nempe ad varietatem ſeu termini ſeu fundamenti, variari ſpeciem relationis: Nam ex communi Philoſophorum axiomate, *Bonum deſumitur ex integra cauſa; malum verò ex quocumque defectu*: ſed vnitas ſpecifica eſt quoddam bonum, diuiſio verò habet quaſi rationem mali; ergo vnitas ſpecifica deſumitur quidem ab vnitate fundamenti, & termini; diuerſitas verò ab alterutrius diuerſitate.

Confirmatur: Nam,vt ſupra dictum eſt, relatio ſpecificatur à fundamento,& termino, vt inuicem commenſurantur; ſeu ex coaptatione fundamenti cum termino: Atqui commenſuratio. ſeu coaptatio variatur

variato alterutro extremo; ergo variato ſeu fundamento ſeu termino, variatur relatio; vt verbi gratia relatio diſſimilitudinis, quam nix dicit ad coruum, & ſimilitudinis, quam dicit ad cygnum, quamvis fundentur in eodem, ſcilicet in albedine, attamen ſunt diuerſæ ſpeciei propter variationem terminorum. Et ſimiliter relatio patris ad filium, & ſimilitudinis ad eumdem filium, ſunt diuerſæ propter diuerſitatem fundamentorum, quia paternitas fundatur ſupra generationem, ſimilitudo verò ſupra conuenientiam in figura.

Obijcies primò: Vnius non poteſt eſſe niſi vnicum ſpecificatiuum: ſed relatio eſt vnica, & ſimplex, ergo non poteſt habere niſi vnicum ſpecificatiuum.

Reſpondeo, quòd etiam fundamentum & terminus non habent rationem niſi vnius ſpecificatiui; propriè enim ſpecificant relationem, quatenus inuicem coaptantur, & commenſurantur, ac proinde quatenus ſunt quaſi vnum.

Obijcies ſecundò: Relatio non ſpecificatur à ſuo oppoſito: ſed terminus eſt oppoſitus relationi; ergo non ſpecificatur ab ipſo.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Relatio non ſpecificatur à ſuo oppoſito, tanquam à cauſante ſpeciem, concedo; tanquam à terminante, nego. Adde præterea, quod ſpeciale eſt in relatiuis, vt dependeant à ſuo oppoſito, ideòque poſſunt ab illo ſpecificari. Vt enim aduertit D. Thom. quæſt. 7. de pot. art. 8. ad 4. oppoſitio relatiua eſt omnium minima, in qua vnum oppoſitum non remouet, & deſtruit aliud; (ſicut fit in alijs oppoſitionibus) ſed potiùs ipſum reſpicit, & exigit. Vnde ſola oppoſitio relatiua locum habet etiam in diuinis.

Obijcies tertiò: Vnica ſpecie relatio reſpicit duos terminos ſpecie diſtinctos; ergo non deſumit ſuam entitatem à termino. Probatur antecedens: Nam relatio filij terminatur ad patrem & matrem: ſed relatio patris, & matris videntur ſpecie diſtingui; ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Vnica relatio reſpicit duos terminos adæquatos, nego; inadæquatos, concedo: Nam pater, & mater, ſicut non ſunt niſi vnicum totale principium productiuum filij, ita quoque non conſtituunt niſi vnicum totalem terminum filiationis.

Dico ſecundò: Vnitas numerica relationum deſumitur ex vnitate numerica ſubiecti: vnde in vno ſu-

biecto non potest esse duplex relatio solo numero distincta; vt in vno patre duplex paternitas. Ita Thomistæ omnes,

Probatur conclusio ratione generali D. Thom. nam omne accidens desumit suam vnitatem numericam à subiecto; sed relatio est accidens; ergo desumit suam vnitatem numericam à subiecto: Minor est certa; relatio enim annumeratur inter nouem accidentia: Maior verò probabitur in Metaphysica, vbi ostendemus, quod accidentia indiuiduantur à subiecto.

Obijcies: Vnus pater potest habere plures paternitates solo numero distinctas; ergo vnitas numerica relationis non desumitur ex vnitate numerica subiecti. Probatur antecedens: Vbi sunt plures termini, ibi sunt plures relationes: sed idem pater potest habere plures terminos paternitatis, scilicet plures filios; ergo & plures paternitates.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo maiorem: vbi sunt plures termini, materialiter tantùm distincti, nego; plures termini formaliter distincti, concedo; pluralitas autem filiorum merè materialiter se habet respectu paternitatis: Nam relatio patris præcisè respicit filium sub ratione filij. Quòd autem plures participent illam rationem filij, mere materialiter se habet: sicut absolutio sacramentalis solùm respicit peccatum cum dolore confessum; quòd autem vnicum, vel plura afferantur peccata, merè materialiter se habet respectu absolutionis.

Instabis: Multiplicata causa multiplicatur effectus: sed producto nouo filio multiplicatur fundamentum causans paternitatem; scilicet actio productiua; ergo multiplicatur paternitas.

Respondeo distinguendo maiorem: Multiplicata causa, multiplicatur effectus, in subiecto capaci illius noui effectus, concedo; in subiecto incapaci, nego. Homo autem habens iam paternitatem, est incapax nouæ paternitatis similis; vnde quantumuis multiplicetur productio filiorum, non multiplicatur paternitas. Sicut quando ferrum est summè ignitum, quantumuis multiplicetur ignis, non multiplicatur in eo calor, quia iam ipsum habet.

Vrgebis: Dum patri tres filios habenti moritur primogenitus, perit relatio ad ipsum; ergo distincta est à relationibus aliorum.

Respondeo distinguendo antecedens: Perit relatio ad ipsum, vt relatio est, nego; vt ad ipsum est, concedo;

do; solùm enim desinente primogenito, illa relatio quæ tres anteà respiciebat, desinit respicere primogenitum, quia amplius non est.

ARTICVLVS SEXTVS.

De proprietatibus relationum, & coordinatione huius prædicamenti.

PRoprietates relationum quinque numerantur ab Aristotele. Quarum prima est, non habere contrarium: Nam vna relatio non pugnat contra alium; & relationes diuersissimæ in eodem subiecto se compatiuntur. Vnde non habent inter se contrarietatem, sed solùm oppositionem relatiuam; per quam non se mutuò destruunt, sicut contraria: sed solum sese mutuò respiciunt.

Secunda proprietas est, non suscipere magis, & minus per se: non enim relatio crescit, aut decrescit ratione sui, quia ad illam non datur motus; sed solùm ratione sui fundamēti; vt dum paries minùs albus dealbatur, fit similior alteri maximè albo, ratione ipsius albedinis, quæ augetur.

Tertia proprietas est, inuicem conuerti: Nam vnum relatiuum dicitur ad conuertentiam cum alio; v. g. filius est patris filius; & pater est filij pater: dominus est serui dominus, & seruus est domini seruus, &c.

Quarta proprietas est esse simul natura, id est, simul existere; ita enim inuicem connectuntur, vt vnum sine alio esse non possit: Impossibile enim est, vt sit seruus sine domino; & dominus sine seruo.

Quinta proprietas est, esse simul cognitione; Nam impossibile est cognoscere vnum relatiuum sine alio, vt seruum sine domino; & dominum sine seruo. Vnde, vt suprà diximus, sese mutuò definiunt, & notificant. Attamen istæ tres vltimæ proprietates solis relatiuis mutuis videntur propriè conuenire, vt expresè dicit D. Th. de quarta proprietate, quæst. de pot. art. 8. ad 1. Quia tamen terminus relationis etiam non mutuæ aliquo modo dicitur relatiuus, extrinsecè scilicet, & terminatiuè, inquantùm respicitur à relatione; ideò quodammodò istæ tres proprietates possunt accommodari relatiuis etiam non mutuis; inquantùm scilicet impossibile est, quòd terminus actualiter terminet, nisi actualiter sit relatio; & ipsa relatio cognoscitur per suum terminum; ipseque terminus, quantùm ad

actualem functionem terminandi, cognoscitur per relationem.

Quantùm ad coordinationem huius prædicamenti; in primis relatio prædicamentalis est supremum genus, quod diuiditur in relationes primi, secundi, & tertij generis; id est, fundatas in vnitate, & numero, seu conuenientia, & disconuenientia, actione, & passione; mensura, & mensurabili. Relatio primi generis diuiditur in relationes conuenientiæ, & disconuenientiæ. Relatio conuenientiæ subdiuiditur in relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis: Relatio verò disconuenientiæ in relationes diuersitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis: Relatio verò inæqualitatis, præcipuè in numeris, subdiuiditur in varias species, secundùm varias proportiones, quæ attenditur in numeris; vt in relationem dupli, tripli, quadrupli, &c. de quibus agunt Arithmetici. Relatio secundi generis diuiditur in relationem fundatam in actione, & relationem fundatam in passione. Relatio tertij generis diuiditur in relationem ad mensuram, quæ est obiectum, & ad mensuram, quæ est exemplar. Hæ verò species possent rursus subdiuidi in alias, quas recensere non est necesse.



QVÆSTIO QVINTA.

De quarto Prædicamento, scilicet Qualitate.



Qualitas tripliciter sumi potest; primò latissimè, pro eo quod prædicatur *in quale*: Et in hoc sensu Aristoteles vocat differentias essentiales qualitates, eò quòd prædicentur in quale quid. Secundò qualitas sumitur paulò strictiùs, pro eo quod prædicatur in quale accidentaliter; & sic omne accidens potest dici qualitas. Tertiò demum qualitas sumitur strictissimè pro certo prædicamento accidentis, cuius proprium est accidentaliter qualificare, modificare, & disponere substantiam. In hoc tertio sensu sumitur hic qualitas; de qua tria quærimus, sicut & de alijs prædicamentis: Primò quid sit: Secundò quotuplex sit; Tertiò quæ sint eius proprietates. Et hæc omnia paucis expediemus, quia licet qualitas sit vastissimum omnium prædicamentorum, attamen quæ circa eam, & eius species diffi-

difficilia sunt, pluribus alijs in locis discuti solent, agendo de habitibus, de virtutibus, & scientijs, de alteratione, &c.

ARTICVLVS PRIMVVS.

Quid sit Qualitas.

Dico primò: Qualitas definitur, accidens secundùm quod dicimur quales. Hanc definitionem tradit Aristoteles hic, quam multi vt minùs exactam reijciunt eò quòd non detur per aliquid notius: Nam quale non videtur esse notius qualitate. Sed considerandum est cum D. Thoma Op. 48. quod suprema genera non possunt ita exactè definiri, præcipuè qualitas, quæ tam varias res tum spirituales, tum corporeas sub se continet, vt vix reperiri possit aliqua notio, quæ rebus adeò diuersis aptati possit. Vnde Aristoteles quærens aliquid commune omnibus qualitatibus, id solùm reperit, quod omnes afficiant substantiam per modum qualificatiui: Ideòque definiuit qualitatem esse accidens, secundùm quod substantia dicitur qualis. Nec mirum est res vniuersalissimas per aliquid sui definiri: nam in Metaphysica omnes definiunt ens, id quod habet esse, & tamen *esse* non videtur notius, quàm ens. Addit D. Thomas, quòd concreta sunt nobis notiora, quàm sint abstracta; siquidem cognitio sensibilis, à qua originatur cognitio intellectualis, non fertur nisi ad concreta, quæ proinde sunt nobis notiora: Vnde Aristoteles definit qualitatem per suum concretum, tanquam per aliquid notius.

Dico secundò: Qualitas exactius definiri potest cum D. Thoma, accidens modificatiuum, seu dispositiuum substantiæ in se ipsa. Explicatur definitio; per ly, *Accidens*, assignatur id, in quo qualitas conuenit cum alijs prædicamentis accidentalibus: Cæteræ verò particulæ exprimunt id in quo differt qualitas ab aliis accidentibus. Proprius enim character qualitatis est accidentaliter determinare, & modificare substantiam; cuius signum est, quod si mutemur secundùm alia accidentia; vt secundùm quantitatem, dum augemur; aut secundùm relationem, quam de nouo acquirimus, aut secundùm situationem, &c. non dicimur propterea alterati, & diuersi; bene tamen si muteniur secundùm qualitatem; vt si quis demutet colorem, vel figuram, vel mores, &c. dicitur alter. Vnde sicuti differentiæ es-

sentiales determinant, & modificant essentialiter genus, ideòque dicuntur aliquando qualitates substantiales; ita quoque illud accidens, quod modificat, exornat, determinat, & disponit substantiam, dicitur qualitas accidentalis, quæ proinde rectè definitur, Accidens modificatiuum, seu determinatiuum substantiæ in se ipsa.

Dices: Etiam quantitas modificat substantiam, inquantùm illam extendit; ergo ista definitio non conuenit soli qualitati.

Respondeo negando, quòd quantitas propriè modificet substantiam; illam enim extendit præcisè, inquantùm tribuit ipsi partes diuersimodè modificabiles. At verò qualitas superueniens, tali vel tali modo disponit istas partes, eas figurando vel in modum trianguli, vel quadranguli; vnde modificare substantiam, & partes eius, propriè conuenit qualitati.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex sit Qualitas.

PRæmissa definitione qualitatis, quod scilicet sit accidens dispositiuum substantiæ in se ipsa, facilè colligitur qualitatis diuisio iuxta varios modos, quibus substantia disponi, & modificari potest. Vnde.

Dico: Quatuor esse veluti paria specierum qualitatis. Primum est habitus, & dispositio: secundum potentia, & impotentia: Tertium passio, & patibilis qualitas. Quartum forma, & figura. Ita omnes communiter Philosophi cum Aristotele.

Probatur bonitas huius diuisionis ex D. Thoma 1. 2. q. 49. art. 2. Tot sunt species qualitatis, quot modis substantia disponi, & determinari potest in se ipsa: sed substantia disponi potest quadrupliciter; ergo quatuor sunt species qualitatis. Maior patet: Nam qualitas est accidens dispositiuum substantiæ: Minor verò probatur: vel enim substantia disponitur, vt bene, aut malè se habeat; & sic constituitur prima species qualitatis, scilicet habitus, & dispositio: vel substantia disponitur secundùm *operari*, vt fortiter, aut languidè agat, vel resistat; & sic est potentia, vel impotentia: Vel substantia disponi potest secundùm motum physicum, inquantùm per illum nouo modo disponitur: & sic est tertia species, scilicet passio, & patibilis: qualitas: Vel demùm disponi potest secundùm partes quantitatiuas; &

sic

ſic eſt forma, & figura. Sed vt eiuſmodi ſpecies accuratiùs explicentur, de illis agemus ſingulis Paragraphis.

§. I.

De prima ſpecie qualitatis, ſcilicet habitu, & diſpoſitione.

Dico primò: Hæc ſpecies qualitatis eſſentialiter in hoc conſiſtit, quod determinet ſubiectum ad bene, vel malè ſe habendum, conformiter ad ſuam naturam.

Explicatur concluſio; Nam plerumque ſubiectum de ſe eſt indifferens vt bene, vel malè ſe habeat, vt corpus eſt indifferens ad ſanitatem & ægritudinem; anima eſt indifferens vt ſit ſancta per gratiam, aut maculata per peccatum; intellectus vt ſit ſciens, vel errans; voluntas vt ſit praua, vel bona; manus vt ſit perita, ad pingendum, vel imperita: Et ideò eiuſmodi ſubiecta indigent qualitate determinante ad bene, vel malè ſe habendum: Sic virtus determinat voluntatem vt bene ſe habeat; vitium verò vt male ſe habeat: Sic Scientia diſponit intellectum vt bene ſe habeat circa veritatem; Error autem vt malè ſe habeat: Sic ſanitas diſponit corpus vt bene ſe habeat: Et ægritudo vt malè. Sic habilitas pingendi diſponit manum vt bene ſe habeat circa eiuſmodi opus; imperitia verò vt malè. Sic gratia diſponit animam vt bene ſe habeat; Charitas voluntatem, Fides intellectum, &c. Tales igitur qualitates, quibus ſubiectum determinatur ad bene vel malè ſe habendum, conſtituunt hanc primam ſpeciem, & vocantur habitus, & diſpoſitiones; ideòque rectè definiuntur ab Ariſtotele 5. Metaphyſicæ, Qualitates determinantes ſubiectum ad bene, vel malè ſe habendum.

Dico 2. Hæc prima ſpecies qualitatis rectè diuiditur in duo membra, habitum ſcilicet, & diſpoſitionem. Vbi obſeruandum eſt, nomen habitus tripliciter ſumi. Primò, quamuis raro, ſumitur pro poſſeſſione; nam habere idem ſæpè ſignificat, ac poſſidere: Sic dicitur aliquis habere agrum, ſeruum, pecunias, &c. Secundò ſumitur habitus pro veſtitu. Tertiò verò ſumitur prout idem eſt, ac bene vel male affici ac diſponi. Sic dum quærimus, quomodo aliquis ſe habeat: reſpondetur bene, vel male ſe habere; id eſt, diſpoſitum eſſe. In hoc tertio ſenſu ſumitur hic habitus. Hoc prænotato.

Probatur

Probatur conclusio; Qualitas enim determinans subiectum ad bene, vel male se habendum, vel firmiter inhæret subiecto, & principij, immobilibus nititur; vel solùm inhæret mobiliter, in quantùm habet principia instabilia, & quæ facile destrui possunt. Si firmiter inhæreat, vocatur habitus; si verò mobiliter solùm inhæreat, vocatur dispositio; Ergo prima species qualitatis rectè diuiditur in hæc duo membra, scilicet habitum, & dispositionem. Hoc totum declaratur magis inductione. Sic enim videmus sanitatem, & morbum habere instabilia principia, nempe concordiam humorum, quæ facilè turbari potest. Sic etiam in spiritualibus suspicio, dubium, opinio, & alia eiusmodi, leuibus & facilè mobilibus fundamentis innituntur; vnde facilè remoueri possunt à subiecto. Hæ omnes qualitates sunt dispositiones; quod idem dicendum est de habilitate, quæ est in manu ad pingendum, scribendum, pulsandam cytharam, & alijs corporalibus dispositionibus, quæ cum fundentur in corpore facile alterabili, facilè quoque deperdi possunt. At verò Fides Diuina, Scientia, Virtus, Gratia, & alia eiusmodi firmissimus principijs innituntur: vt fides nititur testimonio Dei; Scientia principijs necessariò veris; Virtus bono honesto, quod est immutabile; Gratia Diuino influxui, &c. Vnde quantùm est de se, istæ qualitates firmissimæ sunt; ideoque vocantur habitus. Ex quo.

Colliges, habitum rectè definiri: qualitatem difficilè mobilem, determinantem subiectum ad bene, vel malè se habendum. Dispositionem verò rectè definiri: Qualitatem facilè mobilem, determinantem subiectum vt bene, vel malè se habeat.

Dico tertiò: Habitus & dispositio essentialiter differunt. Conclusio est satis communis, & habetur in D. Thoma 1. 2. quæstione 49. articul. 2. ad 3 Et probatur eius ratione: Quod enim aliquid ex natura sua sit difficilè mobile, & quod sit facile mobile, videtur designare diuersitatem principiorum essentialium, quibus innititur; ac proinde facit essentialiter differre: Sed habitus est id, quod ex natura sua est difficilè mobile; dispositio verò id, quod ex natura sua est facilè mobile; ergo dispositio, & habitus essentialiter differunt.

Obseruandum tamen est cum Diuo Thoma, quod aliquando contingit, vt qualitas ex natura sua difficilè mobilis, & proinde essentialiter pertinens ad habitum, per accidens tamen propter infirmitatem subiecti, facilè moueatur; & econtrà, qualitas ex natura sua facile

lè mobilis, proindèque pertinens ad dispositionem, attamen propter obstinationem subiecti reddatur difficilè mobilis. Vnde nonnunquam, quod est essentialiter habitus, potest induere statum dispositionis: & econtrà, quod est essentialiter dispositio, potest induere modum habitus. Declaratur inductione: quid enim fortius charitate, & amore Dei, qui Diuinæ bonitati immobili nititur; & tamen ob humanam inconstantiam sæpè omnes huius flammæ vnico libidinis flatu extinguuntur? Quid firmius scientia, & virtute, quarum altera veritati, altera honestati nititur; & tamen vtraque in tyrone instabilis est, & facilè mobilis. Econtrà verò quid debilius sanitate, & ægritudine; & tamen sanitas in robusto corpore aliquando ita firmatur, vt nullis vitæ incommodis possit expugnari; & econtrà febris in ectico ita profundè medullas penetrat, vt nullo medicamine vinci possit. Idem patet in errore, & opinione, quæ aliquando ita pertinaciter adhærent intellectui, vt nullis rationibus dimoueri possint, vt videre est in Hæreticis.

Dico quartò: Habitus, & idem dicendum de dispositione, diuiditur in entitatiuum, & operatiuum: seu in eum, qui determinat ad bene, vel malè essendum; & eum qui determinat ad bene, vel malè operandum.

Declaratur conclusio: Cùm enim habitus, & dispositio determinent substantiam ad bene, vel malè se habendum; vel eam determinant in se ipsa, & secundùm proprium esse; vel eam determinant in suis facultatibus operatiuis ad bene, vel malè se habendum circa *operari*: si determinent primo modo ad bene, vel male se habendum secundùm esse, dicuntur habitus entitatiui; si verò determinent ad bene, vel malè se habendum in ordine ad operari, dicuntur habitus operatiui. Sic virtus, & vitium in voluntate; scientia, & error in intellectu; habilitas, & inhabilitas in manu, & pede, disponunt ad bene, aut malè operari, suntque habitus operatiui. At verò sanitas, & ægritudo in corpore; pulchritudo, & deformitas in vultu; gratia, & macula peccati in anima, disponunt tantùm ad bene, vel malè esse, suntque habitus entitatiui.



§. II.

§. II.

De secunda specie qualitatis, scilicet potentia, & impotentia.

Dico: Hæc secunda species qualitatis rectè definitur: qualitas disponens substantiam ad agendum, vel resistendum: seu, quod idem est, principium proximum agendi, vel resistendi.

Declaratur conclusio: imprimis dicitur qualitas disponens substantiam, per quod conuenit cum alijs speciebus: Additur, ad agendum, vel resistendum, per quod differt ab alijs. Proprium enim potentiæ est simpliciter tribuere vim agendi, aut resistendi. Habitus verò operatiui superuenientes non dant simpliciter vim agendi, sed determinant præexistentem potentiam agendi ad hoc, vt bene, vel malè se habeat; vt iustitia non dat posse velle: sed potentiam volendi, quam supponit, rectificat circa bonum alienum, vt non malè feratur ad ipsum. Similiter fides non dat intellectui facultatem cognoscendi, sed solùm potentiam intellectiuam eleuat ad cognoscenda supernaturalia.

Dico secundò: Hæc species rectè diuiditur in duo membra, scilicet potentiam, & impotentiam: Siquidem qualitas disponens ad agendum, vel resistendum, aut est fortis, aut est languida; si sit fortis, vt visus in iuuene, durities in adamante, dicitur potentia; si verò sit languida, vt mollities in cera; fragilitas in vitio; visus in sene, dicitur impotentia; id est, debilis potentia. Ex quo patet, hanc diuisionem non esse propriè in diuersas species, sed in diuersos status; vt si quis diuideret hominam in puerum, & virum; sicut enim puer euadit vir, ita potentia minui potest, & fieri impotentia. Sic visus, qui erat fortis in iuuene, vigore amisso languescit in senectute, & fit impotens. Econtrà verò impotentia potest firmari, & fieri potentia. Sic facultas ambulatiua, quæ in puero est impotens propter mollitiem neruorum, & musculorum, ex nimia cerebri humiditate prouenientem, crescente puero, roboratis neruis, & musculis, fit potentia.



§. III.

§. III.

De tertia ſpecie qualitatis, ſcilicet paſſione, & patibili qualitate.

NOmen Paſſionis diuerſimodè ſumitur. Primò prò proprietate eſſentiam conſequente; ſic dicimus lucem eſſe paſſionem ſolis, & duritiem adamantis. Secundò ſumitur pro receptione cuiuslibet effectus, & ſic conſtituit ſextum prædicamentum, de quo infrà. Tertiò ſpecialiter ſumitur pro receptione alicuius afflictiui; ſic Chriſtus dicitur propter nos duram paſſionem ſuſtinuiſſe. Quartò ſumitur pro motibus appetitiuis, quibus animal fertur ad bonum, & fugit malum; ſic amor, odium, ira, &c. dicuntur paſſiones. Quintò paſſio ſumitur pro qualitate alterationem cauſante vel conſequente; & in hoc ſenſu modò eam ſumimus: Vnde.

Dico: Hæc tertia ſpecies qualitatis rectè definitur: Qualitas alterationem ſenſibilium cauſans, vel ab alteratione ſenſibili cauſata.

Explicatur concluſio: in primis dicitur qualitas, in quo conuenit cum alijs ſpeciebus; cæteræ vero particulæ diſtinguunt hanc ſpeciem ab alijs; pro quarum intelligentia, nota, quòd vt dicetur in ſecunda parte Phyſicæ, in hoc mundo corporali viget quidam motus, qui dicitur alteratio, per quem ſubſtantiæ corporeæ diſponuntur ad generationem, vel corruptionem. Hic autem motus exercetur per quaſdam qualitates, inter quas præcipuæ ſunt calor, frigus, humiditas, & ſiccitas: cum quibus tamen innumeræ aliæ connectuntur, inquantùm vel ex eis reſultant, tanquam illatum pediſſequæ, vt raritas, & leuitas ſequuntur calorem; denſitas, & grauitas ſequuntur frigus; vel ex earum permixtione fiunt, vt ſapores, colores, odores, &c. vel eas inferunt, vt lux infert calorem: Tota igitur ſeries iſtarum qualitatum, ſecundùm quas fit alteratio ſenſibilis, conſtituunt hanc tertiam ſpeciem, quæ ideò rectè dicitur qualitas cauſans, vel conſequens alterationem ſenſibilem. Eiuſmodi autem qualitates vel citò tranſeunt, vt pallor cauſatus ex metu, rubor ex verecundia, calor ex motu: Vel diu permanent, vt pallor ex melancholico temperamento, rubor ex ſanguinea complexione, calor ex igneo temperamento. Si citò tranſeunt, dicuntur paſſiones; ſi diu perſeuerant, dicuntur patibiles qualitates.

Obſer-

Obseruandum est prætereà, quòd aliquando vna qualitas videtur pertinere ad duas species, eo quod participet aliquid de ratione constitutiua vtriusque speciei: sic verbi gratia calor est virtus actiua ignis, sicque videtur pertinere ad secundam speciem, scilicet potentiam; & prætereà causat alterationem, sicque videtur pertinere ad tertiam speciem. Sed tunc considerandum est, vt notat Ioannes à Sancto Thoma, quid sit primarium, & essentialius in tali qualitate; & secundùm id debet ei assignari species; verbi gratia in calore videtur essentialius, quod sit qualitas alteratiua, ideòque essentialiter pertinet ad tertiam speciem, licèt etiam sit principium agendi in igne, & videatur induere naturam potentiæ: econtrà verò facultas nutritiua, licèt causet alterationem in cibis, sicque videatur pertinere ad tertiam speciem qualitatis: attamen principaliter ordinatur ad agendum, ideòque pertinet essentialiter ad secundam speciem; scilicet potentiam.

§. IV.

De quarta specie Qualitatis, scilicet Forma, & Figura.

FOrma tripliciter sumitur; Primò pro actu substantiali materiam primam informante, de quo agetur initio Physicæ; Sic anima dicitur forma viuentis. Secundò sumitur pro quocumque actu, siue accidentali, siue substantiali; sic albedo, virtus, scientia dicuntur formæ accidentales. Tertiò sumitur pro qualitate ex dispositione partium quantitatiuarum resultante; sic dicitur forma vultus, forma manus, &c. In hoc tertio sensu modo à nobis sumitur. Similiter Figura aliquando sumitur pro imagine; sic Christus dicitur figura substantiæ Patris Æterni; aliquando verò sumitur pro vt idem ferè est, ac forma, idest, pro qualitate ex partium dispositione resultante; vt dum dicimus, ceram habere figuram rotundam, triangularem, aut quadratam.

Dico: Hæc quarta species qualitatis, scilicet forma, & figura, definitur qualitas resultans ex diuersa dispositione partium quantitatis: partes enim quantitatis sunt de se indifferentes, vt diuersimodè disponantur, verbi gratia in modum pyramidis, vel trianguli; vnde illa qualitas, per quam tali, vel tali modo disponuntur & terminantur, dicitur forma, vel figura: Et ideò etiam alio modo definiri potest forma, & figura, dicendo

fendo eam esse terminum quantitatis: Nam ex terminatione quantitatis constituitur figura. In rebus autem artificialibus eiusmodi dispositio, seu terminus partium quantitatiuarum, dicitur forma, vt forma domus, forma nauis: In rebus autem naturalibus dicitur figura, vt figura hominis, figura bouis, &c. quamuis sæpe in vtroque sensu indifferenter vsurpetur. Aristoteles vtrumque nomen retulit, quia vtroque modo solemus exprimere hanc qualitatem ex dispositione partium resultantem.

ARTICVLVS TERTIVS,

De proprietatibus qualitatis, & eius coordinatione.

TRes proprietates qualitatis enumerantur ab Aristotele, quarum prima est, quòd qualitas habeat contrarium: proprium enim est qualitatem inuicem pugnare, seque mutuò de subiecto deturbare; sic calor expellit frigus, vitium virtutem, morbus sanitatem. Attamen non omnes qualitates habent contrarium, vt patet de figuris, de luce, &c.

Secunda proprietas est suscipere magis, & minùs; siquidem qualitates possunt intendi, & remitti; sicut modicus calor crescit, & fit maior, & magnus calor minuitur: De hac intensione, & remissione agetur in tertia parte Physicæ; Attamen non omnes qualitates capaces sunt illius intensionis; nam figuræ, & potentiæ naturales non intenduntur.

Tertia proprietas est fundare similitudinem, & dissimilitudinem: quæ enim conueniunt in qualitate, dicuntur similia, quæ verò disconueniunt in qualitate dicuntur dissimilia.

Quantùm ad coordinationem huius prædicamenti, supremum genus est qualitas, quæ diuiditur in quatuor species enumeratas, & explicatas. Prima species diuiditur in habitum, & dispositionem. Habitus alius est à Deo infusus, alius à nobis acquisitus.

Habitus à Deo infusus continet sub se Gratiam, Fidem, Spem, Charitatem, dona Spiritus Sancti, lumen gloriæ, lumen propheticum, & alias supernaturales virtutes.

Habitus acquisitus alius est intellectualis, alius moralis, seu in appetitu residens. Habitus intellectualis diui-

diuiditur in intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem. Habitus moralis diuiditur in bonum, & malum; Bonus in varias virtutes, vt Iustitiam, Temperantiam, fortitudinem, & alias eiusmodi virtutes sub istis contentas; malus diuiditur in varia vitia, si tamen vitia sint annumeranda inter habitus; propriè enim videntur esse solùm dispositiones, eò quòd instabilibus principijs nitantur, scilicet passionibus, & bonis fallacibus. Dispositio autem diuiditur in corporalem, & spiritualem. Corporalis in operatiuam, & non operatiuam. Operatiua continet sub se varias habilitates, vt saltandi, pingendi, scribendi, &c. non operatiua continet sub se pulchritudinem, deformitatem, sanitatem, morbos, &c. Dispositio spiritualis continet sub se opinionem, fidem humanam, suspicionem, & alias qualitates facilè mobiles.

Secunda species, scilicet potentia, & impotentia, diuiditur in actiuam, & resistitiuam, seu in potentiam agendi, & resistendi. Potentia actiua diuiditur in immanentem, id est, cuius opus remanet intra principium, à quo producitur, & transeuntem, id est, cuius opus transit ad extra. Potentia immanens diuiditur in vegetatiuam, cognoscitiuam, & appetitiuam. Vegetatiua subdiuiditur in generatiuam, nutritiuam, & augmentatiuam: Cognoscitiua verò in intellectum, & sensum: Appetitiua tandem in voluntatem, & appetitum sensitiuum, de quibus exactiùs agetur in libris de anima. Potentia verò resistendi, seu resistitiua continet sub se durum, molle, solidum, fragile, &c. Quidam reponunt species intentionales sub hac secunda specie; veriùs tamen reducuntur ad primam speciem, quia licèt compleant potentias cognoscitiuas, attamen eas determinant ad bene, vel malè operandum, quod est proprium primæ speciei qualitatis.

Tertia species, scilicet passio, & patibilis qualitas, diuidi potest in quinque sensibiles qualitates, scilicet colorem, odorem, sonum, saporem, & tangibiles qualitates, vt sunt frigus, calor, &c. Nam secundùm ista quinque genera qualitatum fieri videtur alteratio, vel physica in corporibus, vel intentionalis in sensibus nostris. Hæ verò qualitates subdiuiduntur in varias alias, vt in varios colores, sapores, &c.

Quarta species, scilicet forma, & figura, diuiditur in planam, & solidam: Figura plana diuiditur in circularem, triangularem, quadrangularem, &c. Figura

solida diuiditur in sphæricam, oualem, cylindrum, cubum, &c.

QVÆSTIO SEXTA.

De reliquis Prædicamentis.



Ex reliqua prædicamenta, vt sunt minimæ entitatis, ita quoque non sunt magnæ necessitatis; vnde breuiter solent perstringi. Solùm dubitari potest, in quo consistat eorum entitas. Scotus putat esse relationes: sed si sunt relationes, cur non pertinent ad prædicamentum relationis? Deinde non consistunt in *esse ad* sicut relatio; sed in aliquo alio, vt actio consistit in *esse ab*, passio in *esse in*, quando in *esse in tempore*, &c. ergo non sunt relationes.

Alij dicunt hæc prædicamenta esse denominationes extrinsecas: sed ad quid constituerent nouum genus entis, si nihil intrinsecum ponunt in rebus? Et præterea, sicut denominatio visi non constituit nouum prædicamentum distinctum à prædicamento visionis, quia est tantùm denominatio extrinseca; ita quoque si, vbi, quando, &c. sunt denominationes extrinsecæ petitæ à loco, & tempore, non debent constituere nouum prædicamentum, sed reduci ad prædicamentum, ad quod reducitur locus, & tempus: vnde probabilius videtur quod sint quædam tenuissima quidem, sed tamen vera accidentia, seu quidam modi resultantes in rebus ex dependentia ab aliquo extrinseco; vt Quando, resultat in rebus, eò quòd sint in tempore. Vbi, ex eo quod sint in loco? Habitus, ex eo quòd ornentur veste, vt expresè insinuat D. Thomas 1. 2. quæst. 49. art. 1. Hoc supposito, breuiter ea sigillatim explicando percurremus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Actione, & Passione.

NAturam actionis, & passionis exactiùs discutiemus in Physica; nunc solùm aduertendum est, in quolibet effectu tria distingui: Primò egressum effectus à causa,

causa; secundò receptionem eius in aliquo subiecto; & tertiò ipsum fieri talis effectus, vt dum fit calor, talis calor egreditur ab igne, recipitur in ligno, & per aliquod tempus est in fieri. Egressus effectus à causa vocatur actio; receptio eius in subiecto, vocatur passio: fieri autem talis effectus, vocatur motus. Primum constituit prædicamentum actionis, secundum constituit prædicamentum passionis, motus verò non constituit speciale prædicamentum, quia fieri vt tale præcisè est aliquid incompletum, quod tendit, & reducitur ad esse; vnde motus cùm sit fieri effectus, reducitur ad eius prædicamentum; vt fieri qualitatis ad qualitatem, fieri quantitatis ad quantitatem.

Notandùm secundò, ex actionibus alias esse transeuntes, alias immanentes. Actio transiens dicitur, quæ producit effectum ad extra in aliquo subiecto; vt vrere, secare, dealbate, &c. Actio immanens est, quæ nihil producit ad extrà, sed tota remanet in principio à quo elicitur, vt videre, cogitare, amare, &c. de quibus adhuc redibit sermo in Physica. Quidam tenent actiones immanentes non pertinere ad hoc prædicamentum, sed esse qualitates: Attamen verosimilius videtur, eas etiam pertinere posse ad hoc prædicamentum, quia verè sunt actiones.

Dico primò. Actio prædicamentalis rectè definitur, actus secundus potentiæ actiuæ, seu accidens, quo causa constituitur actu causans. Vtraque definitio in idem redit, & patet ex dictis. Nam sicuti causa dicitur agere in quantùm profundit effectum; ita quoque actio dicitur id, per quod causa constituitur actu profundens effectum. Alia definitio tradi solet, qua actio dicitur forma, secundùm quam in id; quod subijcitur, agere dicimur.

Dico secundò: Passio est actus secundus potentiæ passiuæ, seu accidens, per quod subiectum constituitur actu recipiens effectum; ab agente; cùm enim pati sit idem ac recipere effectum; passio erit id per quod subiectum constituitur actu recipiens effectum ab agente.

Diuiditur autem actio in transeuntem, & immanentem. Actio immanens diuiditur in cognoscitiuam, & appetitiuam; cognoscitiua in sensitiuam, & intellectiuam; appetitiua in volitionem & appetitionem sensitiuam. Actio transiens diuiditur in artificialem, & naturalem; artificialis in varias species artium; vt pingere, saltare, canere, &c. Naturalis diuiditur in acciden-

cidentalem, & ſubſtantialem; (ſi tamen generatio ſubſtantialis ſit vera actio diſtincta ab alteratione) vtraque verò ſubdiuiditur in varias ſpecies. Paſſio autem diuiditur iuxta varias diuiſiones actionis; ſiquidem actioni productiuæ effectus correſpondet ſua paſſio.

ARTICVLVS SECVNDVS,

De Prædicamentis Vbi, & Situ.

VBI in commune diuiditur in vbi Diuinum, & vbi creatum: Vbi Diuinum eſt præſentia Dei in omni loco ratione immenſitatis, qua omnia implet; præcipuè verò cælum, quod eſt veluti thronus eius, inquantùm in eo præcipuè relucet potentia, & maieſtas Dei, tanquam in nobiliori opere: Vnde in Scriptura dicit: *Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabel um pedum meorum.*

Vbi creatum diuiditur in vbi ſpirituale, vbi ſacramentale, & vbi quantitatiuum, ſeu circumſcriptiuum. Vbi ſpirituale eſt præſentia rei ſpiritualis ad corpora, quæ præſentia fit in Angelis per operationem, intantùm enim Angelus eſt in loco, inquantùm operatur in illo 4 ſeu applicat ipſi ſuam virtutem actiuam; in anima verò rationali talis præſentia fit per informationem; nam intantùm anima eſt præſens corpori, inquantùm informat ipſum. Vbi Sacramentale eſt præſentia vnius ſubſtantiæ ſub accidentibus alterius ſubſtantiæ, in quam conuerſa eſt. Vbi quantitatiuum, ſeu circumſcriptiuum eſt modus quidam proueniens in corpore ex eo, quòd ſit in loco. Vnde.

Dico primò, Prædicamentum Vbi rectè definitur, accidens reſultans in corpore ex circumſcriptione loci ambientis. Concluſio patet ex præmiſſis; Cùm enim vbi non poſſit eſſe mera relatio, vel denominatio extrinſeca, ſupereſt vt ſit accidens reſultans in rebus, ex eo quòd dependeant à loco tanquam à continente. Vnde nec vbi Diuinum, nec vbi Angelicum ponuntur in hoc prædicamento; non quidem vbi Diuinum, quia non eſt accidens, ſed ipſa Dei ſubſtantia implens, & ſuſtentans omnia: Non etiam vbi Angelicum, tum quia Angelus non dependet à loco, vnde in eo nullum accidens reſultat ex eo, quòd ſit in loco; tum quia, vt dicitur in Theologia, Angeli non ſunt in loco vniuocè, ſed ſolùm metaphoricè.

Species autem huius prædicamenti ſunt, ſurſùm, deorsùm, antè, retrò; dextrorsùm, ſiniſtrorsùm; quæ

omnia

omnia attenduntur secundùm respectum ad centrum mundi, polos eius, & circunferentiam; non verò secundùm particularia corpora.

Dico secundò: Situs est accidens disponens partes in loco: Declaratur; in primis dicitur accidens, per quod conuenit cum alijs prædicamentis: Additur, disponens partes in loco, quia situatio nihil aliud est, quàm dispositio partium per ordinem ad locum: nam eadem res manens in eodem loco, & retinens eamdem figuram potest variè disponi per ordinem ad locum; vt sedendo stando, cubando, &c. Hæc igitur varia dispositio partium in loco dicitur situs: qui diuiditur in situm naturalem, quando scilicet partes rei sunt in propria situatione; vt si arbor habeat radices deorsùm, & ramos sursùm, & situm innaturalem; vt si econtrà radices arboris sint sursùm, & rami deorsùm. Vterque subdiuiditur in varias species situum.

ARTICVLVS TERTIVS,

De Prædicamentis Quando, & Habitu.

PRædicamentum Quando, est accidens resultans in rebus, ex eo quòd sint in tempore, tanquam dependentes, & mensuratæ ab illo. Est autem tempus duratio motus primi mobilis, quod spatio viginti quatuor horarum perficitur. Sicut enim ex eo quòd res sit in loco, resultat prædicamentum Vbi; ita quoque ex eo quòd duratio eius dependeat à duratione primi motus, seu à tempore, resultat prædicamentum Quando. Aliqui ponunt in hoc prædicamento quando angelicum; nam Angeli habent suum tempus, quo mensurantur eorum operationes; sed communiter reijcitur ab hoc prædicamento; tùm quia tempus angelicum non conuenit vniuocè cum nostro tempore, nec proinde quando angelicum, cum quandò rerum corporalium; tum quia in Angelis non datur vnum tempus commune à quo necessario dependeant operationes Angelorum, sicut durationes rerum corruptibilium dependent à duratione motus primi mobilis.

Species huius prædicamenti sunt, quibus solemus respondere ad interrogationem quando; scilicet, heri, cras, hodie, anno præterito, &c.

Habitus definitur: Accidens resultans in rebus ex circumpositione vestium vel armorum; vt enim notat **D. Th. 1. 2. q. 49. art. 1. prædicamentum habitus non**

est

eſt ipſa veſtis, aut ipſum corpus, ſed aliquid reſultans in corpore ex circumpoſitione veſtium, quibus ornatur, vel armorum, quibus munitur. Eius ſpecies ſunt arma, & veſtes. Arma diuiduntur in offenſiua, & defenſiua; & vtraque in varias ſpecies. Veſtimenta diuiduntur in veſtimenta hominum, & veſtimenta pecudum; & vtraque in varias ſpecies.

Hæc de plebeis iſtis prædicamentis ſufficiant: nam ea fuſiùs proſequi rei momentum non exigit.



QVÆSTIO SEPTIMA.

De Poſtprædicamentis.

ARTICVLVS VNICVS.



POSTPRÆDICAMENTA ſunt quidammodi conſequentes ad prædicamenta. Quinque enumerantur ab Ariſtotele, ſcilicet, oppoſitio, prioritas, ſimultas, motus, & habere, de quibus cùm frequenter fiat mentio in decurſu Philoſophiæ, ideò clarè, & accuratè hic explicanda ſunt. Vnde

Oppoſitio (non quidem propoſitionum, de qua egimus in Logica minori, ſed rerum) definitur: Repugnantia rerum inter ſe; in rebus enim inuenitur quædam repugnantia, ex cuius temperamento mundi pulchritudo conſurgit; vnde Empedocles poſuit omnia conſtare ex lite, & amore, ſeu concordia, & diſcordia: Hæc repugnantia dicitur oppoſitiò, ad quam duæ leges requiruntur: Prima eſt, vt oppoſita ſint diſtincta, nihil enim ſibi ipſi opponitur; ſecunda, vt inter ſe dicant aliqualem repugnantiam; ita vt formaliter identificari non poſſint. Hæc autem oppoſitio eſt quadruplex, ſcilicet relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria.

Oppoſitio relatiua eſt omnium minima; non enim eſt oppoſitio deſtruens alterutrum, ſed magis exigens vtrumque; vnde non tollit aliquod extremum, ſed ſolùm diſtinguit duo extrema. Et hinc fit, quòd poteſt transferri in Deum, vt ſuprà diximus ex D. Thoma, quia non priuat aliqua entitate, ſed ſolùm diſtinguit. Sic pater, & Filius diſtinguuntur in Diuinis per oppoſitionem relatiuam. Definitur autem: repugnantia inter duo, ex eo quòd vnum reſpiciat aliud; vt pater reſpicit filium, & cauſa effectum, &c.

Oppositio contraria est inter duas formas, quæ in se maximè distant, seque mutuo expellunt à subiect vt inter frigus, & calorem; nigredinem, & albedine vitium, & virtutem. Hæc autem oppositio aliquan sed raro, est immediata, quando scilicet inter extre nihil mediat, sed necesse est alterutrum in esse sub cto: sic morbus, & sanitas in animali opponuntur i mediatè, nam necesse est animal vel ægrum esse, sanum. Aliquando verò contrarietas est mediata, qu do scilicet inter extrema datur medium; vt inter albu & nigrum mediat fuscum, & pallidum. Oppositio p uatiua est inter formam, & carentiam formæ in sub cto capaci formæ; vt inter cæcitatem, & visum, sci tiam, & ignorantiam, lucem, & tenebras. Dixi in biecto capaci, quia si subiectum sit incapax formæ, c carentia non est priuatio, sed negatio; vt carent scientiæ in bruto non est priuatio; quia brutum non capax sciendi: similiter carentia visus in cane recer nato non est priuatio, quia nõdum est aptus ad viden

Oppositio contradictoria est inter ens, & non ens inter hominem, & non hominem. Hæc oppositio omnium maxima; cùm enim alia opposita quodamr do conueniant saltem in subiecto, contradictoria prorsus destruunt, & in nullo conueniunt; vnde, c primùm in genere est causa cæterorum, D.Thomas s dicit, oppositionem contradictoriã esse causam alia

Secundùm post prædicamentum, scilicet prioritas modus, quo vna res præcedit aliam: quintuplex rec setur ab Aristotele. Prima est prioritas temporis eundùm quam vnum præcedit aliud duratione, vt p creatus suum filium. Secunda est prioritas secun subsistendi consequentiam, vt vocat Aristoteles; est tem inter ea, quorum vnum infertur ex alio, sed infert ipsum; tunc enim dicitur prius ipso secun essendi consequentiam; sicut animal est prius hom nam infertur ex homine, sed non infert hominem; let enim consequentia: est homo; ergo est animal; nõ econtra; est animal: ergo est homo. Tertia prio est ordinis, quando vnum præcedit aliud ordine exordium alias partes orationis, & Logica cæt scientias. Quarta est prioritas dignitatis; sic Rex cedit Principes. Quinta, & præcipua, est prioritas turæ, quando licèt vtrumque sit in eodem instanti li, vnum tamen dependet ab alio, vt à causa dante esse: sic Sol est prior sua luce; ignis suo calore, & g raliter omnis causa est prior effectu.

Hæc autem prioritas naturæ duplex est; scilicet prioritas *in quo*, & prioritas *à quo*: prioritas *in quo* est inter ea, quorum vnum dat esse alteri, à quo non dependet in suo esse: sic sol dat esse suæ luci, à qua non dependet; posset enim absolutè existere sine luce: prioritas *à quo* est inter ea, quæ à se mutuò dependent in diuerso genere causæ: sic forma dependet à materia, & rursus materia à forma. D. Thomas sæpè meminit alterius modi prioritatis, quam vocat prioritatem generationis, & opponit prioritati perfectionis: ea dicuntur priora generatione, quæ prius fiunt; vt puer viro prior est ordine generationis: ea vero sunt priora ordine perfectionis, quæ sunt nobiliora; vt vir puero est prior ordine perfectionis: & quia communiter naturalis generatio procedit ab imperfecto ad perfectum, ideò perfectiora sunt ordine generationis posteriora.

Tertium postprædicamentum est simultas, quæ totuplex assignari potest, quotuplex est prioritas: vnde prima est simultas temporis, & est inter ea, quæ simul in eodem instanti existunt, vt inter lucem, & solem. Secunda est simultas consequentiæ, quæ est inter ea, quæ se mutuò inferunt; vt inter risibile, & rationale; valet enim, est risibile; ergo, & rationale; & econtra, est rationale; ergo risibile. Tertia simultas est ordinis inter ea, quæ sunt eiusdem ordinis; vt inter species, quæ sub eodem genere collocantur. Quarta simultas est dignitatis, quæ est inter pares secundum dignitatem. Quinta est simultas naturæ, inter ea, quæ licèt non sint sibi inuicem causæ, attamen se mutuò ponunt, & destruunt; sic relatiua dicuntur esse simul natura; nam posito vno ponitur aliud, sublato vno tollitur aliud. vt posito domino, necesse est ponere seruum, & econtrà.

Motus est quartum postprædicamentum, de quo exactiùs agetur in Physica, interim describi potest, via, seu tendentia ad terminum, cuius est fieri. Sex modi motuum enumerantur, scilicet generatio, corruptio, motus, localis, alteratio, augmentatio, & diminutio.

Quintũ postprædicamentũ est Habere, seu modus, secundũ quẽ vna res dicitur haberi ab alia. Quinque modi habẽdi enumerantur. Primus per inhærẽtiam, vt anima habet gratiã, voluntas Charitatẽ, & intellectus scientiã. Secundus per continentiã; sic venæ habent sanguinẽ, & crumena pecuniã. Tertius est per possessionẽ; sic homo habet prædium, vel pecuniam. Quartus per relationẽ, sic pater habet filium, & scientia obiectum. Quintus per iuxta positionẽ; sic Gallia habet ad Occidentem Oceanũ & ad Meridiẽ mare Mediterraneũ.



SECVNDA PARS LOGICÆ MAIORIS,

De ente rationis directiuo secundæ mentis operationis.

QVÆSTIO VNICA.

De Propositione.



Væ circa propositionem tradi solent, iam ferè omnia expedita sunt in secunda parte Logicæ minoris: solùm aduertendum est, secundam mentis operationem vocari iudicium, eò quod per eam iudicemus quid rei conueniat, vel disconueniat. Oratio autem per hunc actum formata dicitur enunciatio, seu propositio, vel interpretatio; eò quòd per talem orationem enunciemus, proponamus, & interpretemur nostræ mentis sententiam; vnde Aristoteles libros in quibus agit de propositione, vocat *Peri hermenias*, id est, de interpretatione. Hic autem actus, dum est affirmatiuus, vocatur compositio; eò quòd iungat prædicatum cum subiecto: Si autem sit negatiuus, vocatur diuisio, eo quod licèt vtrumque simul concipiat, vnum tamen concipit ab alio diuisum, seu disiunctum. His prænotatis, circa propositionem duo solùm discutienda supersunt; primò, an propositio mentalis sit simplex qualitas; secundo, an propositiones contradictoriæ de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut falsæ.

ARTICVLVS PRIMVVS.

Vtrum Propositio mentalis sit simplex qualitas.

Constat propositiones vocalem, & scriptam componi ex plutibus litteris, & syllabis; Vnde solùm difficultas est, an illa propositio, quam intra mentem formamus, aliquid apud nos affirmando, vel negando.

& quam

& quam posteà verbo, aut scripto exprimimus, sit etiam composita ex pluribus conceptibus partialibus. vel sit vnicus conceptus, vnaque simplex qualitas. Quidam dicunt esse aliquid realiter compositum ex duobus conceptibus, conceptu scilicet prædicati, & conceptu subiecti. Alii dicunt esse vnicum simplicem conceptum repræsentantem simul prædicatum, & subiectum, vt vnita in vna affirmatione, vel negatione; ita communiter Thomistæ; cum quibus

Dico: Propositio mente formata est vnica simplex qualitas, seu vnicus conceptus repræsentans prædicatum, vt subiecto vnitum. Ita indicat D. Thomas primo contra Gentes, cap. 55. vbi dicit, *Prædicatum, & subiectum intelligi secundùm vnam speciem totius.*

Probatur ratione, quam insinuat D. Thomas prima parte, quæst. 58. art. 2. Conceptus formatus vnico actu, est vnus, & simplex: sed propositio mentalis est conceptus formatus vnico actu; ergo est vnus, & simplex. Minor est certa: Nam vnico actu iudicij apud me iudico, vtrum Petrus sit iustus, vel non; ac proinde vnico actu formatur mentalis propositio. Maior verò probatur: Nam vnicus actus mentalis non potest formare nisi vnicum conceptum, & vnicam speciem expressam; ergo conceptus vnico actu formatus, debet esse vnus, & simplex. Probatur antecedens: Nam oportet conceptus expressos proportionari actibus, quibus formantur.

Explicatur magis conclusio simul, & ratio: In propositione mentali tria sunt: Primò actus, quo iudicamus vnum de alio; Secundò obiectum illius actus, scilicet prædicatum, & subiectum. Tertio terminus productus per talem actum, qui dicitur conceptus expressus, seu propositio mentalis. Vt enim dicemus in lib. de anima, sicuti dum ego loquor, linguæ motio format aliquem terminum, scilicet vocem, quæ est sermo externus; ita quoque dum aliquid in mente volumus, actus intellectus format aliquem terminum, qui est similitudo expressa rei, quam intelligimus, & qui solet vocari verbum cordis, dictio mentis, conceptus expressus, & species expressa. Hoc posito; quod maximam lucem affert difficultati, omnes concedunt, actum quo iudicamus vnum de alio, esse vnicum; obiectum verò talis actus esse duplex, scilicet prædicatum, & subiectum, vt dum dico, Petrus est iustus; *Petrus*, & *Iustus*, sunt termini distincti, quos vnio inter se, tanquã prædicatum & subiectum, Sed nos vlteriùs dicimus, conceptum, qui formatur de illis duobus terminis, & eorum vnio-

nem exprimit, esse conceptum simplicem, eò quòd so-lis conceptus sit terminus vnico actu formatus. Sicut enim vnica linguæ motio non format nisi vnicam vocem simplicem: ita quoque par est, vnicum iudicij actum non formare nisi vnicum conceptum expressum, seu vnicam dictionem internam, repræsentantem simul prædicatum vnitum subiecto.

Confirmatur conclusio euertendo fundamentum Aduersariorum: Prædicatum, & subiectum possunt exprimi, & repræsentari vnico conceptu; ergo talis conceptus, qui dicitur propositio mentalis, debet esse aliquid simplex: Consequentia patet: Nam iuxta axioma, *quod fieri potest per pauciora, non debet fieri per plura*: Antecedens verò probatur tum ratione, tum exemplo: Ratione quidem, quia vt patet ex D. Thoma 1. parte, quæst. 58. art. 2. quæ repræsentantur per modum vnius, possunt vnico simplici conceptu exprimi, & repræsentari: Sed prædicatum, & subiectum in propositione repræsentantur per modum vnius; idest, vt conueniunt in vna affirmatione, aut negatione; ergo repræsentari possunt vnico conceptu. Adde præterea, quòd non est maior ratio, cur possint vnico actu cognosci, quàm quòd possint vnico conceptu exprimi: sed prædicatum, & subiectum vnico actu iudicij cognoscuntur; ergo, & vnico conceptu expresso possunt repræsentari, & exprimi; Ille autem conceptus nihil aliud est, quàm propositio mentalis. Exemplo quoque idem declaratur: Sic enim videmus, quòd vnica imago repræsentat plures homines; vnica visio respicit plures res; vnica scientia attingit plures conclusiones; ergo à pari vnicus conceptus poterit exprimere plura vt vniuntur in vna affirmatione, vel negatione.

Obijcies primò: Terminus actus compositiui est compositus; sed propositio mentalis est terminus actus compositiui; ergo est composita. Maior videtur certa: Nam intantùm actus est compositiuus, inquantùm format aliquid compositum. Minor verò probatur: Vt enim dicitur prima parte, quæst. 58 art. 4. Homo differt ab Angelo, quia Angelus simplici intuitu videt prædicatum in subiecto, ideoque non componit; at verò homo prius concipit subiectum, deinde prædicatum, & postea vtrumque coniungit: ideòque dicitur intelligere per actum compositiuum.

Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: Propositio mentalis est terminus actus compositiui, compositione entitatiua, nego; compositione repræ-

sentati-

ſentatiua, & obiectiua, concedo: Et ad conſequentiā; ergo propoſitio mentalis eſt compoſita entitatiuè, nego; repræſentatiuè, & obiectiuè concedo. Explicatur ſolutio, aduertendo, quòd Angelus vnico intuitu comprehendit quidquid eſt in re; vt videndo hominem, videt in illo omnia prædicata, quæ ipſi conueniunt; vnde non componit, aut diuidit intelligendo hominem; At verò homo cùm ſit debilioris luminis intellectiui, non intelligit niſi per partes: ſicut puer non poteſt portare graue pondus, niſi per partes: vnde prius diſtincto conceptu intelligit ſubiectum, & poſteà prædicatum, quæ deinde vnit adinuicem per actum iudicij, inquantùm format vnicum tertium conceptum repræſentatiuum prædicati, & ſubiecti, qui conceptus dicitur propoſitio mentalis: Ideoque iſta propoſitio dicitur compoſita, non quidem entitatiuè, quaſi ſit aggregata ex pluribus conceptibus; ſed repræſentatiuè, quia repræſentat prædicatum, & ſubiectum vnita, quæ prius repræſentabantur ſeparata: Sicut, ſi pictor prius pingeret D. Petrum, & poſteà D. Paulum diſtinctis tabellis; & deinde formaret tabellam tertiam vtrumque Apoſtolum repræſentantem, hæc tabella diceretur compoſita, non quidem entitatiuè, eſſet enim vnica; ſed repræſentatiuè, quia duos repræſentaret.

Inſtabis: Atqui Angelus etiam componit repræſentatiuè; ergo nulla diſparitas à nobis aſſignatur inter hominem, & Angelum: Probatur antecedens: Nam ille componit repræſentatiuè, qui format conceptum repræſentantem diuerſa: Sed etiam Angelus format conceptum, in quo diuerſa repræſentantur, ſcilicet ſubiectū cum ſuis prædicatis; ergo componit repræſentatiuè.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo maiorem: Ille componit repræſentatiuè, qui format conceptum repræſentantem diuerſa, prius diuiſim apprehenſa, concedo; diuerſa non priùs diuiſim apprehenſa, nego. Et ad minorem: Angelus format conceptum repræſentantem diuerſa, quæ priùs diuiſim apprehenderat, nego: quæ ſimul vnico actu comprehendat, concedo, & nego conſequentiam ſub diſtinctione data. Explicatur ſolutio: Compoſitio ſupponit diuiſionem; vnde vt quis componat repræſentatiuè ſubiectum cum prædicato, debet prius vtrumque diſtinctis conceptibus apprehendere, & deinde vnum tertium conceptum formare, qui vtrumque vniat. Angelus autem non apprehendit diſtinctis conceptibus prædicatum, & ſubiectum, ſed vnico actu intelligit vtrum-

que; vnde nullo modo componit, etiam repræsentatiuè.

Dices: Propositio vocalis est composita etiam entitatiuè; ergo idem dicendum de mentali.

Respondeo negando paritatem, quia propositio mentalis est sublimioris ordinis, quàm sit vocalis, & ideò est minùs composita; nam *quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus*.

Obijcies secundò: Syllogismus non est simplex qualitas, sed aliquid compositum ex conceptu maioris, minoris, & consequentiæ; ergo nec propositio erit simplex qualitas, sed aliquid compositum ex conceptu prædicati, & subiecti. Probatur paritas: Nam etiam maior, minor, & consequentia, concipiuntur per modum vnius totalis orationis.

Respondeo negando consequentiam; & paritatem. Ad probationem distinguo: Maior, & minor concipiuntur per modum vnius totalis orationis, vnico actu formatæ; & expressæ, nego; pluribus actibus formatæ, concedo. Propositio enim mentalis ita est vnica oratio; vt vnico actu formetur: & exprimatur; vnde est simplex qualitas: At verò syllogismus essentialiter formatur pluribus actibus, scilicet assensu maioris, minoris, & consequentiæ; vnde non est vnica oratio vnitate simplicitatis, sed solùm vnitate compositionis.

ARTICVLVS SECVNDVS,

Vtrùm propositiones singulares contradictoriæ de futuro contingenti, ante decretum Dei, sint determinatè veræ, aut falsæ?

QVæstionem hanc celebrem fecere ab aliquibus annis quidam recentiores extra D. Thomæ scholam, qui vt ab illo in Theologia longissimè recederent, viam sibi pararunt in hac Philosophiæ difficultate, quæ vt præcipui momenti est ad grauiores huius temporis quæstiones penetrandas; ita quoque exactiùs hic discutietur; sistendo tamen præcisè intra Philosophicorum principiorum limites, & Theologicas rationes, aut obiectiones, quæ in hac parte fieri possunt, ad Theologos remittendo. Vt ergo cum ordine procedamus, totam difficultatem duplici Paragrapho comprehendemus, in quorum primo proponetur, resoluetur, & probabitur sententia Thomistarum: in secundo verò soluentur obiectiones Aduersariorum.

§. I.

§. I.

Proponitur difficultas, & statuitur vera sententia.

NOta primò, propositiones contradictorias in materia necessaria esse ab ęterno determinatè veras, vel falsas, etiam ante decretum Dei: vnde illa, bis tria faciunt sex, semper fuit vera, & semper fuisset, quamuis in Deo nullum decretum esset, id est, quamuis Diuina voluntas nihil liberè determinasset; decretum enim nihil aliud est, quàm libera Diuinæ voluntatis determinatio. Præteteà in materia contingenti præterita, vel præsenti, certum est alteram ex contradictorijs esse veram, & alteram falsam: vt dum dico, Adamus peccauit, Adamus non peccauit; prima est vera, secunda est falsa; similiter dum dico: Nunc pluit in India, nunc non pluit in India; ex istis altera est determinatè vera, & altera falsa, licèt nesciam quænam sit vera: euentus enim contingens, postquam præteritus est, vel præsens, non est ampliùs pendulus, sed determinatus ad alterutram partem. Vnde solùm difficultas procedit de propositionibus in materia contingenti futura formatis, vt sunt istæ; mortui resurgent, mortui non resurgent: Mundus incendio peribit, Mundus incendio nō peribit.

Nota secundò: Has propositiones posse dupliciter considerari. Primò quidem, post Diuinum decretum, quo ab æterno Deus cuncta decreuit: cùm enim Deus sit supremus mundi Arbiter, & sæculorum Rex, omnes euentus futuros ab æterno decreuit; mala quidem decreto, vt vocant, permissiuo; bona verò decreto etiam effectiuo, & approbatiuo; quibus decretis semel positis, euentus suauiter quidē, infallibiliter tamē suo tempore eueniet; Quia, vt inquit Apostolus ad Roman. 9. *voluntati eius quis resistit?* Et in Isaia de se ipso dicit Deus: *Omnis voluntas mea fiet, & omne consilium meum stabit.* Eiusmodi decretis innititur præsciētia Dei & prædictio Prophetarum. In hoc igitur statu, postquam scilicet Deus decreuit, quid velit fieri in decursu temporum, nemini Christianorum dubium est, quia euentus sint determinatè futuri, vel non futuri, prout Deo placuerit: ideòque propositiones de illis formatæ sunt etiam determinatè veræ, aut determinatè falsæ post tale decretum. Cùm autem decreta Dei sint æterna, ab æterno quoque propositiones illæ sunt determinatè veræ

 vel

vel falsæ. Secundò, propositiones de futuro contingenti, v. g. mortui resurgent, mortui non resurgent, possunt cōsiderari abstrahendo ab omni decreto Dei, & determinatione Diuinæ voluntatis, sicuti eas considerat Aristoteles 1. Periherm. cap. 8. Ita vt concipiamus voluntatem Diuinam adhuc indifferentem ad determinandum, quid facere velit decursu temporum. In hoc statu, seu, vt alij loquuntur, in hoc signo, quod concipitur præuenire omnem Diuinæ voluntatis determinationem; quæritur, vtrùm propositiones illæ habeant determinatam veritatem, vel falsitatem; aut potiùs indifferentes sint ad vtrumlibet, & expectent Diuinæ voluntatis determinationem, qua earum obiecta decernantur futura, vel non futura?

Nota tertiò: Plerumque Aduersarios Thomistarum mirè falli, aut fallere in hac difficultate, dum non distinguunt, *ante, & post decretum*; sed absolutè dicunt propositiones illas esse ab æterno determinatè veras; inutiliter accumulando loca Scripturæ, Patrum authoritates, & rationes, quæ procedunt de propositionibus illis post decretum Dei consideratis, in quo statu nemo Thomistarum negat eas esse determinatè veras, aut determinatè falsas, earùmque Deum habere certissimam præscientiam. Vnde ne leuiter quidem attingunt difficultatem, sed solùm telas aranearum contexunt vnico flatu dissipandas, dicendo hæc loca Scripturæ, has Patrum authoritates, & has rationes, procedere de futuris iam per decretum Dei determinatis; non verò de propositionibus consideratis ante Dei decretum, scilicet pro illo statu, in quo nondum concipitur Deus aliquid futurum determinasse. His prænotatis, pro resolutione difficultatis.

Dico: Propositionum de futuro contingenti neutra est determinatè vera, vel falsa ante Dei decretum: id est, pro illo statu, in quo Diuina voluntas concipitur nullum adhuc formasse decretum, quo determinet, quid sibi fieri placeat in decursu temporum. Conclusio est contra plures Recentiores extraneos, quam tamen tenent Aristoteles, D. Thomas, Thomistæ omnes, præcipui etiam ex Extraneis, & demùm omnes primates Theologi, qui tenent Deum non cognoscere futura, ante suum decretum.

Probatur autem primò, Authoritate Aristotelis 1. Periher. c. 8. vbi postquàm dixisset: ex duabus contradictoriis de præterito, vel de præsenti, alteram esse veram, alteram falsam, expressè dicit, non ita esse in

propositionibus de futuro contingenti: *In quibus*, inquit, *licet necesse sit alteram esse veram, vel falsam, non tamen hanc, vel illam distinctè*: Idque probat præcipuè, quia propositiones se habent, sicut res: vnde quia res contingentes antequàm fiant, se habent ad vtrumlibet indifferenter, propositiones quoque de illis formatæ sunt indifferentes ad veritatem, & falsitatem: nec vna est potiùs vera, quàm altera: Et nota, quòd Aristoteles ibi loquitur abstrahendo ab omni decreto, & determinatione Dei. Vnde D. Thomas ibidem subscribit Aristoteli, dicens expresè quòd, *licet ex duabus illis propositionibus alterutra sit vera, non tamen hac, vel illa determinatè*.

Respondent Aduersarij, Aristotelem quidem in ea fuisse opinione: (adeò enim expressus est, vt nullo verosimili effugio eius authoritas eludi possit) sed, inquiunt, in hoc errauit fide destitutus. Hæc solutio indigna est quæ confutetur, digna tamen quæ obseruetur, vt videas quantùm in hac parte recedant non modò à D. Thoma & præcipuis Doctoribus, sed etiam ab Aristotele. Stat igitur pro nobis Aristoteles, & consequenter eius interpres D. Thomas: Vtrùm verò in hoc errauerit, vel rectè senserit, rationibus expendendum est. Vnde.

Probatur 2. conclusio ratione ex Aristotele, & D. Thoma deprompta: Propositio de futuro non est determinate vera, vel falsa, quandiu eius obiectum non est determinatè futurum: Atqui ante decretum Dei nihil est determinatè futurum; ergo neque propositiones de futuro contingenti sunt determinatè veræ, vel falsæ, ante Dei decretum. Maior est certa; etenim, inquit Aristoteles, propositio desumit veritatem, aut falsitatem ab obiecto: vnde quandiu obiectum est indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem, propositio de illo formata non est determinatè vera, aut falsa, sed indifferens ad veritatem, & falsitatem. Minor verò, quam solam Aduersarij negant, probatur tripliciter.

Primò authoritate D. Augustini tractatu 68. in Ioan. expresè dicentis: *Deus facit futura, ea prædestinando*, id est, decernendo; ergo antequam Deus decernat, non sunt determinatè futura, sed indifferentia ad futuritionem, & non futuritionem, seu merè possibilia: Vnde lib. 26. contra Faustum c. 4. loquens de futuris: *Ideo*, inquit, *ea nescio, quia quid habeat de his rebus voluntas Dei, me latet*. Vt indicaret voluntatem Dei per sua decreta dare futuritionem rebus.

Secundò etiam probatur eadem minor ex D. Thoma: Nam futurum est, quod habet in sua causa determinationem ad essendum; sed ante decretum Dei res non habent determinationem in suis causis; ergo non sunt futuræ: Maior est D. Thomæ 1. p. quæst. 16. art. 7. ad 3. & præterea constat; sicuti enim res fit præsens ex eo quod producitur per suam causam, ita quoque fit futura ex eo quòd est producenda à sua causa: Intantùm autem aliquid est producendum, inquantùm eius causa determinata est ad illud producendum. Minor verò declaratur; Nam ante decretum Dei, prima causa, Deus scilicet, nondum est determinata, siquidem se determinat per suum decretum: Aliæ verò causæ non possunt esse determinatæ; tum quia nondum sunt; tum quia implicat alias causas esse determinatas ante primam: Ergo ante decretum Dei res non habent determinationem ad essendum in suis causis. Vnde D. Thomas 1. p. quæst. 16. art. 7. dicit: *Illud, quod nunc est, ex eo fuit futurum, antequam esset, quia in causa sua erat, vt fieret, vnde sublata causa non esset futurum illud fieri. Vnde non sequitur, quòd ea quæ sunt, semper fuerit verum esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, vt essent futura.* Quid expressius.

Sed ad pleniorem horum omnium confirmationem placet referre verba D. Thomæ 1. Per. l. 13. vbi expressissimè docet ante determinationem causatum nihil esse futurum, & propositiones de futuro non esse determinatè veras: *Considerandum est*, inquit, *quod cùm verum hoc significet, vt aliquid dicatur esse quod est, hoc modo est aliquid verum, quo habet esse. Cùm autem aliquid est in præsenti, habet esse in seipso; & ideò verè potest dici de eo, quod est: sed quandiu aliquid est futurum, nondum est in seipso; est autem aliqualiter in sua causa: Quod quidem contingit tripliciter, vno modo vt sic sit in sua causa, vt ex necessitate eueniat ex ea; vnde determinate potest dici de eo quòd erit: Alio modo aliquid est in sua causa, vt quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest; vnde & hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter; & sic de hoc verè dici potest quod erit, sed non per omnimodam certitudinem. Tertiò aliquid est in sua causa purè in potentia, quæ etiam non est magis determinata ad vnum, quàm ad aliud, vnde relinquitur quod nullomodò potest de aliquo eorum determinatè dici quod sit futurum.* Quibus verbis apertè docet futurum esse, quod habet determinationem in causa; & aperit fundamentalem rationem, cur propositiones de futuro non

sint

sint determinatè veræ ante determinationem causarum, quia tunc res nondum sunt futuræ.

Tertiò probatur eadem minor argumento nunquam soluto, nec soluendo: Nam si ante decretum Dei res essent futuræ determinatè, vel hoc haberent à seipsis, vel ab aliqua causa: Atqui nec ex seipsis, nec ab aliqua causa possunt habere, quod sint futuræ potiùs, quàm non futuræ; Ergo non sunt determinatè futuræ: Maior patet: Probatur minor, & quidem quod res non sint futuræ à se ipsis; Nam sicuti res non possunt sibi dare, vt sint, ita quoque nec vt futuræ sint: Quod etiam non habeant futuritionem determinatam à suis causis, probatur, quia ante decretum Dei causæ sunt indifferentes ad agendum vel non agendum; ergo non possunt determinare suos effectus ad hoc, vt futuri sint potiùs, quàm non futuri.

Respondent Aduersarij res esse futuras ex suppositione, quod aliquando ponetur euentus: Ex eo enim quòd generalis mortuorum resurrectio aliquando præsens erit, semper fuit futurum mortuos resurrecturos: sicut ex eo quòd aliquando Adamus peccauit, semper præteritum erit Adamum peccasse.

Sed hæc responsio facile confutatur: Nam ante decretum Dei rerum euentus non potest supponi potiùs futurus, quàm non futurus; ergo nulla suppositio, ac proinde responsio: Probatur subsumptum: quod adhuc indifferens est ad esse, vel non esse, non potest magis supponi futurum, quàm non futurum; sed euentus contingens ante decretum Dei est indifferens ad esse, vel non esse; ergo non potest magis supponi futurus, quàm non futurus. Probatur minor: Nam nulla causa est determinans euentum futurum ad fore potiùs, quàm ad non fore; ergo ante Dei decretum talis euentus est indifferens ad esse, vel non esse.

Replicant Aduersarij: Quod licèt euentus ante decretum Dei non sit determinatus ad fore potiùs, quàm ad non fore, attamen est determinandus per decretum in sequenti signo ponendum.

Sed contra: Nam decretum Dei pro illo statu, in quo concipimus Dei voluntatem nihil adhuc deliberasse de futuris, non est magis ponendum, quàm non ponendum; ergo etiam euentus non est magis determinandus, quàm non determinandus; sed indifferens ad vtrumque. Probatur antecedens: Nam Diuina voluntas antecedenter ad sua decreta, est merè indifferens ad vtramque partem, v. g. vt decernat Antichristum fore,

vel

vel Antichristum non fore; ergo decretum futuritionis Antichristi non est magis ponendum, quàm non ponendum. Et hoc, est quòd Aristoteles videtur aduertisse, dum ait, propositiones illas de futuro contingenti esse indifferentes ad veritatem, aut falsitatem, *quia*, inquit, *aquabilis est ad vtramque partem euentus*, nec magis vergit ad hanc, quàm ad alteram partem. Vnde quia propositio sequitur obiectum, sicut euentus adhuc pendulus est, & indifferens ad fore, vel non fore, ita quoque propositio de illo formata indifferens est ad veritatem, vel falsitatem.

Declarantur magis hæc omnia familiari exemplo: sic enim videmus, quòd ante sententiam iudicum lis omninò anceps est apud nos, & indifferens ad vtramque partem; quia iudices, à quibus eius decisio pendet, sunt adhuc indifferentes ad vtrumque. Vnde si quis pendente lite quærat, quinam litigantium cadet causa? respondemus hoc esse adhuc indeterminatum, quia iudices, à quibus secundùm nos pendet decisio litis, sunt indifferentes, nihilque decreuere: Ita quoque antequàm supremus mundi Iudex, à cuius sententia rerum euentus pendent, decreuerit, quid sibi placeat fieri, nullus euentus est magis futurus, quàm non futurus, sed omnia expectant decisionem illius voluntatis, qua flectantur ad futuritionem, vel non futuritionem, prout ipsi placuerit.

Respondent aliqui alij, res esse determinatè futuras, & propositiones determinatè veras, vel determinatè falsas, ex vi contradictionis; quæ, cum sit etiam in signo præcedenti decretum, dat propositionibus determinatam veritatem, vel falsitatem.

Sed contra: Nam hæc responsio est incredibilior omnibus alijs: siquidem contradictio non magis determinat vnam partem, quàm aliam; ergo ex vi contradictionis vna propositio non est magis determinatè vera, quàm altera. Probatur antecedens: Nam contradictio æqualiter respicit vtramque propositionem, & affirmatiuam, & negatiuam; ergo ex vi contradictionis, affirmatiua non est magis determinatè vera, quàm negatiua. Deinde, quæso, cùm ex istis duabus: Mortui resurgent; mortui non resurgent, vtraque sit contradictoria alteri, quare contradictionis effectus, & veritas ex contradictione nata potiùs cadit super vnam, quàm super alteram? Cùm enim æquales sint in contradicendo, habent æquale ius participandi effectum contradictionis; ergo assignari debet aliqua alia causa, per quam determinetur

ter ad veritatem, potiùs quàm ad falsitatem.

Probatur tertiò conclusio: Nam si vna ex propositionibus contradictorijs est determinata ad veritatem ante decretum Dei, vel Deus per decretum subsequens potest irritare hanc determinationem, oppositum decernendo; vel non; si Deus non potest irritare hanc determinationem oppositum decernendo; ergo Diuina libertas ligatur fatali illa determinatione, & futuritione suum decretum præueniente, ac proindè datur quoddam Gentilium fatum, quod ita Deorum voluntatem fingebatur præuenire, vt ab ea irritari non posset. Si verò Deus per subsequens decretum potest irritare hanc determinationem, & futuritionem; ergo antequàm Deus decernat, illa determinatio, & futuritio non est adhuc rata, sed anceps: & qui hanc futuritionem determinatam ponunt, ita se gerunt, veluti qui in diuersorio expensas computant siue hospitis arbitrio, vulgò (*qui content sans l'Hoste*) fortè enim decretum superueniens suppositiam hanc futuritionem funditùs euertet,

Probatur quartò. Ante decretum nihil est determinatè futurum, sed omnia merè possibilia: ergo etiam propositiones non sunt determinatè veræ, aut falsæ, sed merè indifferentes ad veritatem vel falsitatem. Probatur antecedens: effectus non est determinatè futurus, antequàm causa illius productiua sit determinata ad illud ponendum; Atqui ante decretum causa productiua rerum nondum est determinata, sed adhuc indifferens ad illas producendas, vel non producendas; ergo: Maior patet: Nam effectus sequitur causam, & determinatio effectus determinationem causæ. Probatur minor: Causa productiua rerum est Diuina omnipotentia, vt constat apud omnes; Sed ante decretum Diuina omnipotentia non est determinata ad aliquid producendum, ergo &c. Probatur minor: Nam omnipotentia Dei determinatur ad res producendas per decretum Diuinæ voluntatis; ergo ante illud decretum non est determinata, Consequentia per se constat: antecedens verò notum est; & si negetur, probari potest: Nam determinatio Diuinæ omnipotentiæ ad aliquid producendum est determinatio libera, vt fide constat; sed determinatio libera idem est, ac decretum: ergo omnipotentia determinatur per decretum.

Confirmatur hæc ratio: Nam si ante decretum Diuina omnipotentia sit determinata ad productionem rerum, frustrà poneretur decretum Dei; quod enim iam determinatum est, non indiget ampliùs determinatio-

ne;

vel Antichristum non fore; ergo decretum futuritionis Antichristi non est magis ponendum, quàm non ponendum. Et hoc, est quòd Aristoteles videtur aduertisse, dum ait, propositiones illas de futuro contingenti esse indifferentes ad veritatem, aut falsitatem, *quia*, inquit, *aquabilis est ad vtramque partem euentus*, nec magis vergit ad hanc, quàm ad alteram partem. Vnde quia propositio sequitur obiectum, sicut euentus adhuc pendulus est, & indifferens ad fore, vel non fore, ita quoque propositio de illo formata indifferens est ad veritatem, vel falsitatem.

Declarantur magis hæc omnia familiari exemplo: sic enim videmus, quòd ante sententiam iudicum lis omninò anceps est apud nos, & indifferens ad vtramque partem; quia iudices, à quibus eius decisio pendet, sunt adhuc indifferentes ad vtrumque. Vnde si quis pendente lite quærat, quinam litigantium cadet causa? respondemus hoc esse adhuc indeterminatum, quia iudices, à quibus secundùm nos pendet decisio litis, sunt indifferentes, nihilque decreuere: Ita quoque antequàm supremus mundi Iudex, à cuius sententia rerum euentus pendent, decreuerit, quid sibi placeat fieri, nullus euentus est magis futurus, quàm non futurus, sed omnia expectant decisionem illius voluntatis, qua flectantur ad futuritionem, vel non futuritionem, prout ipsi placuerit.

Respondent aliqui alij, res esse determinatè futuras, & propositiones determinatè veras, vel determinatè falsas, ex vi contradictionis; quæ, cum sit etiam in signo præcedenti decretum, dat propositionibus determinatam veritatem, vel falsitatem.

Sed contra: Nam hæc responsio est incredibilior omnibus alijs: siquidem contradictio non magis determinat vnam partem, quàm aliam; ergo ex vi contradictionis vna propositio ~~non est~~ magis determinatè vera, quàm altera. Probatur antecedens: Nam contradictio æqualiter respicit vtramque propositionem, & affirmatiuam, & negatiuam; ergo ex vi contradictionis, affirmatiua non est magis determinatè vera, quàm negatiua. Deinde, quæso, cùm ex istis duabus: Mortui resurgent; mortui non resurgent, vtraque sit contradictoria alteri, quare contradictionis effectus, & veritas ex contradictione nata potiùs cadit super vnam, quàm super alteram? Cùm enim æquales sint in contradicendo, habent æquale ius participandi effectum contradictionis; ergo assignari debet aliqua alia causa, per quam determinen-

tur

ter ad veritatem, potiùs quàm ad falsitatem.

Probatur tertiò conclusio: Nam si vna ex propositionibus contradictorijs est determinata ad veritatem ante decretum Dei, vel Deus per decretum subsequens potest irritare hanc determinationem, oppositum decernendo; vel non; si Deus non potest irritare hanc determinationem oppositum decernendo; ergo Diuina libertas ligatur fatali illa determinatione, & futuritione suum decretum præueniente, ac proindè datur quoddam Gentilium fatum, quod ita Deorum voluntatem fingebatur præuenire, vt ab ea irritari non posset. Si verò Deus per subsequens decretum potest irritare hanc determinationem, & futuritionem; ergo antequàm Deus decernat, illa determinatio, & futuritio non est adhuc rata, sed anceps: & qui hanc futuritionem determinatam ponunt, ita se gerunt, veluti qui in diuersorio expensas computant siue hospitis arbitrio, vulgò (*qui content sans l'Hoste*) fortè enim decretum superueniens supposititiam hanc futuritionem funditùs euertet.

Probatur quartò. Ante decretum nihil est determinatè futurum, sed omnia merè possibilia: ergo etiam propositiones non sunt determinatè veræ, aut falsæ, sed merè indifferentes ad veritatem vel falsitatem. Probatur antecedens: effectus non est determinatè futurus, antequàm causa illius productiua sit determinata ad illud ponendum; Atqui ante decretum causa productiua rerum nondum est determinata, sed adhuc indifferens ad illas producendas, vel non producendas; ergo: Maior patet: Nam effectus sequitur causam, & determinatio effectus determinationem causæ. Probatur minor: Causa productiua rerum est Diuina omnipotentia, vt constat apud omnes; Sed ante decretum Diuina omnipotentia non est determinata ad aliquid producendum, ergo &c. Probatur minor: Nam omnipotentia Dei determinatur ad res producendas per decretum Diuinæ voluntatis; ergo ante illud decretum non est determinata, Consequentia per se constat: antecedens verò notum est; & si negetur, probari potest: Nam determinatio Diuinæ omnipotentiæ ad aliquid producendum est determinatio libera, vt fide constat; sed determinatio libera idem est, ac decretum: ergo omnipotentia determinatur per decretum.

Confirmatur hæc ratio: Nam si ante decretum Diuina omnipotentia sit determinata ad productionem rerum, frustrà poneretur decretum Dei; quod enim iam determinatum est, non indiget ampliùs determinatio-

ne; & deliberatio voluntatis non est de rebus iam determinatis, vt dicitur quarto Ethic.

Probatur quintò. Si ante decretum Dei euentus essent determinati ad futuritionem, non essent in libera Dei dispositione: Consequens est absurdum; ergo & antecedens. Probatur sequela: Illud non est in libera Dei dispositione, quod est determinatum, antequàm de illo Deus disponat: sed euentus illi essent determinati, antequàm Deus de illis liberè disponeret; ergo non essent ampliùs in libera Dei dispositione. Minor patet: Nam Deus liberè disponit de rebus per decretum suum, vt patet ex terminis; ergo quod est determinatum ante decretum, est determinatum antequàm Deus liberè de illo disponat: Maior verò probatur: Nam dispositio libera non est, nisi de illis, quæ sunt indifferentia ad essendum, vel non essendum: Atqui quod iam determinatum est, non est indifferens ad essendum, vel non essendum; ergo non est ampliùs in libera dispositione. Hoc Argumentum insinuat Aristoteles hic, & D. Thomas lect. 14.

Respondebis: Omnia, quæ geruntur à nobis, sunt ab æterno determinata per Diuinam prouidentiam, secundùm Thomistas: & tamen de illis liberè disponimus; ergo quamuis omnia sint determinata ad fore, vel non fore, poterit Deus de illis liberè disponere.

Sed contrà primò; Nam per hanc responsionem Aduersarij fatentur se redactos esse ad eas angustias, propter quas negant prædefinitiones rerum liberarum in Theologia.

Contrà secundò: Nam latissima disparitas est: licèt enim dispositio descendens à prima causa libertatis, non adimat nobis ius disponendi de rebus nostris, sed potiùs illud perficiat, vt dicetur suo loco; sicut influxus causæ superioris non impedit, sed perficit causam secundam, vt sæpè docet D. Thomas: Attamen determinatio præueniens omnem libertatem non relinquit res in potestate agentis liberi: Sed talis determinatio futurorum, si esset ante decretum, præueniret omnem libertatem; ergo non relinqueret res in dispositione agentis liberi.

Confirmatur hæc ratio: Nam si ex propositionibus de futuro contingenti aliqua esset determinatè vera ante decretum, esset vera necessariò, & naturaliter; sed hoc est absurdum; ergo &c. Probatur sequela: Nam illud est naturaliter, & necessariò verum, quod est verum ante exercitium omnis libertatis; Atqui si eiusmodi

pro-

propositio esset vera ante decretum, esset vera ante exercitium omnis libertatis; ergo esset naturaliter, & necessariò vera. Maior patet: Nam quod præuenit omne exercitium libertatis, non potest esse liberè verum; ergo debet esse necessario verum. Minor etiam constat: Nam decreta Diuina sunt exercitia primæ libertatis, scilicet Diuinæ; ergo quod est verum ante Diuina decreta, est verum ante exercitium omnis libertatis.

Colliges ex dictis, quid sit dicendum de quibusdam futuris, quæ vocantur conditionata; vt sunt ista: si Petrus tentetur, peccabit: si Petrus tentetur, non peccabit; si prædicetur Euangelium Mauris, conuertentur: si prædicetur Euangelium Mauris, non conuertentur; & alia huiusmodi. Cùm enim omnes euentus dependeant à Dei voluntate, impossibile est, vt sint futuri, etiam conditionatè, quandiu circa illos voluntas Dei est suspensa: Nam posita prædicatione, verbi gratia, dependet adhuc à Deo determinare, vt qui illam audierint, conuertantur, vel permittere, vt in sua infidelitate indurati persistant. Vnde circa illos etiam euentus expectanda est Diuinæ prouidentiæ dispositio.

Dices: saltem illud futurum conditionatum (si Deus præcipiat Christo mori pro hominibus, morietur) fuit etiam ante decretum determinatè verum; ergo datur aliquod futurum conditionatum determinatè verum ante decretum.

Respondeo in tali futuro conditionato inuolui decretum Dei; nam propter impeccabilitatem Christi, hæc duo sunt inseparabilia; quòd Deus præcipiat aliquid Christo, & quòd decernat Christum illud impleturum. Vnde idem est ac si diceretur: Si Deus decernat Christi mortem, Christi mors erit; quod sine dubio verissimum est. In forma ergo distinguo: Hæc propositio fuit vera ante omne decretum positum, concedo; suppositum, nego; Nam illa propositio supponit ipsum decretum, inquantùm illud inuoluit ex parte conditionis; sed de his ad Theologos.

§. II.

Soluuntur Obiectiones.

OBijciunt primò Aduersarij Prophetias, quæ de futuris euentibus plurimæ extant in Scriptura; & tamen sunt determinatè veræ, ergo propositiones de futuris euentibus sunt determinatè veræ. Addunt prætereà plures authoritates Patrum, Theologorum, & veterum

veterum Philosophorum, dicentium res esse determinatè futuras, antequàm eueniant; & propositiones, quæ de illis fiunt, esse determinatè veras, vel falsas, & hoc præsciri à Deo, qui falli non potest. Sed hæc omnia responsione digna non sunt; nec enim superficie tenus attingunt difficultatem: quia & Prophetiæ fiunt, & Scriptura loquitur supposito decreto Diuinæ prouidentiæ, quam fide constat omnia futura disposuisse, & in eiusmodi Decretis fundatur præscientia Dei, & certitudo Prophetiarum; in quantum, vt inquit Scriptura; *Nouit Dominus opus suum*; nouit, inquam, per suum decretum, quod Prophetis reuelat, vt illud annuncient ad ædificationem Ecclesiæ. Quam solutionem adhibebis alijs eiusmodi argumentis. Vnde reiectis ijs obiectionibus inutilibus ad difficiliores procedendò.

Obijcies 2. Futura semper habent certam determinationem ad essendum; ergo propositiones de illis formatæ sunt semper determinatè veræ, aut falsæ. Probatur antecedens: Nam, vt ait Augustinus lib. 26. contra Faustum c.4. *Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita*. Et D. Anselmus libro de concordia præscientiæ cum libertate ait. *Rem futuram necesse est esse futuram, quoniam futura esse nequit, & non futura*.

Respondeo eiusmodi Authoritates loqui de rebus in suppositione Decreti, quo fiunt futuræ, quo prærordinantur, quo à Deo præsciuntur, vt patet ex textu vtriusque Patris citati.

Dices: Plura sunt, quæ non decernuntur à Deo, ergo saltem ista non possunt reddi futura per decretum. Probatur antecedens: Nam Deus non decernit mala: sed plura futura sunt mala; ergo plura sunt, quæ Deus non decernit. Minor constat. Maior probatur: Nam Deus ea non decernit, quæ non vult fieri; sed Deus non vult fieri mala; ergo illa non decernit.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: Deus non decernit mala decreto approbatiuo, & effectiuo, concedo; decreto permissiuo, nego; sicut enim pictor plures vmbras relinquit in opere suo, vt ex earum oppositione magis fulgeant colores; ita Deus plura permittit mala, vt ex illis procuret multa bona, sed de his magis dicetur in Physica.

Instabis: Deus non permittit ea, quæ prohibet: Sed Deus prohibet omne malum, vt patet ex eius legibus: ergo non permittit mala.

Re-

Respondeo distinguo maiorem; Deus non permittit ea, quæ prohibet, permissione legali, concedo; permissione causali, nego. Explicatur: Permissio legalis est, dum aliquid subditorum nutui à legislatore relinquitur, tanquam licitum: permissio verò causalis est, dum aliquid à causa, quæ possit impedire, non impeditur: patet autem, quod Deus quidem, vt legislator sanctissimus, nullum permittit malum; attamen vt causa, plura mala non impedit, quæ posset impedire; ideoque dicitur permittere mala permissione causali, non verò permissione legali.

Obijcies tertiò: Lex contradictoriarum est, vt vna determinatè sit vera, & altera falsa: Sed istæ duæ etiam ante decretum sunt contradictoriæ: mortui resurgent: mortui non resurgent; ergo vna est determinatè vera, & altera falsa.

Respondeo distinguendo maiorem: Lex contradictoriarum de præsenti, aut præterito, concedo; de futuro, nego: Nam contradictorias de futuro expresse ab hac regula eximit Aristoteles: & ratio est, quia contradictoriæ de præsenti, & præterito habent obiectum iam determinatum: At verò propositiones de futuro ante decretum habent obiectum adhuc pendulum, & indifferens ad fore, vel non fore, vt sæpe repetit Aristoteles, & D. Thomas hic. Vnde quia propositio sequitur sortem sui obiecti, quandiu obiectum est indifferens ad fore, vel non fore, propositio est indeterminata ad hoc vt verificetur, vel non verificetur.

Instabis; Atqui etiam in contradictorijs de futuro vna est determinatè vera; ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Ista disiunctiua, Antichristus vel erit, vel non erit, est determinatè vera; ergo necesse est alteram pertem esse determinatè veram. Probatur consequentia: Nam propositio disiunctiua non est vera, nisi ratione alterius partis.

Respondeo negando subsumptum; Ad probationem, nego consequentiam. Ad eius probationem, distinguo Propositio disiunctiua non est vera nisi ratione alterutrius partis determinate, nego; indeterminatè, concedo, vt enim hæc propositio: Antichristus vel erit, vel non erit, sit determinatè vera, sufficit, quòd alterutrum sit determinandum: sicut vt ista propositio sit vera: Oculus est necessarius ad videndum, non est necesse, quod iste potiùs, quàm ille sit necessarius, sed solùm quòd alteruter indeterminatè.

Vige-

Vrgebis: Atqui etiam vna debet esse determinatè vera; ergo nulla solutio. Probatur sumbsumptum: Illa propositio de futuro est determinatè vera, quæ enunciat rem, sicuti erit; sed ex istis; Antichristus erit: Antichristus non erit, vna enunciat rem sicuti erit; ergo vna est determinatè vera.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo maiorem: Propositio de futuro est determinatè vera, quæ enunciat rem sicuti erit, pro illo statu, in quo determinatum est, quod res erit potiùs, quàm non erit, concedo; pro illo statu, in quo non est, magis determinatum, quòd res erit potiùs, quàm non erit, nego. Nam vt dicit Aristoteles, propositio sequitur obiectum, vt mensuram suæ veritatis: vnde quandiu obiectum est indifferens ad fore, vel non fore, propositio est etiam indifferens ad hoc vt verificetur, vel non verificetur.

Dices: Propositio de futuro vera est, quæ est habitura suam de præsenti veram: sed ex istis duabus: Antichristus erit, Antichristus non erit, vna habitura est suam de præsenti veram; ergo. Maior patet: Nam propositiones de futuro regulantur per suas de præsenti. Minor vero probatur: Nam ex istis duabus: Antichristus est, Antichristus non est, alterutra erit determinatè vera.

Respondeo transeat maior (posset enim distingui eodem modo, ac præcedens argumentum (& distinguo minorem; vna ex istis: Antichristus erit, Antichristus non erit, est habitura suam de præsenti veram, vna determinatè determinatione, quæ sit ante decretum, nego, determinatione, quæ fiat per ipsum decretum, concedo, & nego consequentiam. Licèt enim ex istis duabus: Antichristus erit, Antichristus non erit, vna sit habitura suam de præsenti veram, etiam determinatè; attamen illa determinatio non præcedit decretum, sed fit per decretum, quo Deus decernit, quid ex istis duobus sibi placeat euenire; vnde ante decretum non est talis determinatio. Vtramque solutionem insinuat, & vtrumque argumentum, quod est præcipuum Aduersariorum telum, egregiè euertit D. Thomas 1. Periher. l. 13. vbi ait: *Falsum est, quod omne quod est, verum esse semper verum fuerit dicere determinatè esse futurum*: Et rationem reddit, quam nos suprà fusè retulimus prob. 2.

Obijcies quartò, & simul instabis contra datam solutionem: etiam ante decretum alterutra est determinata;

ta; ergo non determinatur per decretum. Probatur antecedens: Nam inter duas contradictorias non datur medium, vt dicitur primò Post. lect. 5. ergo oportet alterutram esse determinatè veram.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo: Inter duas contradictorias non datur mediũ per modum propositionis inter vtramque partem mediantis, concedo; per modum suspensionis, & indeterminationis vtriusque extremi, nego. Explicatur. Differunt propositiones contrariæ à contradictorijs; quia inter duas contrarias, potest media propositio dari, quæ sit vera: vt inter istas: Omnis homo est malus: Nullus homo est malus: datur ista media: quidam homo est malus. Sed inter contradictorias nulla datur propositio media, quæ verificetur, vt inter istas: Petrus curret; Petrus non curret, nulla est media: Cum quo tamen stat, quod inter illas dari potest aliquid medium per modum indeterminationis vtriusque extremi, inquantum neutra pars contradictionis est adhuc determinata.

Instabis: Inter esse, & non esse nihil mediat, etiam per modum suspensionis vtriusque extremi; ergo neque inter fore, & non fore.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem: Nam obiectum præsens, aut præteritum est determinatum, cùm sit extra causam; sed obiectum futurum non est aliquid determinatum, cùm claudatur in potestate causæ, quæ adhuc indifferens ad est alterutrum. Et sanè si omnes Philosophi admittant causas indifferentes ad agendum, vel non agendum; itavt non magis propendeant in vnum, quàm in alterum, cur non admittantur obiecta indifferentia ad fore, vel non fore eiusmodi sunt, quæ sunt liberæ futura, quandiu eorum indifferentia non est exclusa per determinationem causarum liberarum. Vnde in talibus futuris, inter fore, & non fore, datur medium, scilicet indifferentia, & indeterminatio ad vtrumque.

Obijcies quinto: Ista propositio; Antichristus est determinatè futurus, falsa est ante decretum; ergo datur propositio de futuro contingenti determinatè falsa ante decretum.

Respondeo negando consequentiam: Nam ista propositio non est de futuro contingenti, sed de præsenti impossibili. Facit enim hunc sensum; iam determinata est futuritio Antichristi: Patet autem, quod ante decretum impossibile est aliquid contingens esse determinatum. Dices:

Dices; Ergo dantur duæ contradictoriæ simul falsæ; scilicet: Antichristus est determinatè futurus: Antichristus est determinatè non futurus: vtraque enim ante decretum erat falsa.

Respondeo istas propositiones non esse contradictorias, sunt enim ambæ affirmatiuæ, quamuis vna sit de prædicato infinito, id est, particula negatiua affecto.

Instabis: Inter esse futurum, & non esse futurum non datur medium; ergo ante decretum necesse est, vt Antichristus sit futurus, vel non futurus.

Respondeo distinguendo antecedens: Inter esse futurum, & non esse futurum non datur medium, si ly *non futurum*, sumatur merè præcisiuè pro eo, quod nondum est futurum; concedo; si, ly *non futurum*, sumatur priuatiuè pro eo, quod iam est priuatum omni futuritione, siue habenda, siue habita, nego. Nam inter hoc, quod habet futuritionem, & quod priuatum est omni futuritione, datur aliquid nondum futurum, id est, nondum habens futuritionem pro tunc, sed indifferens ad illam recipiendam, vel non recipiendam. Pro signo sequenti.

Vrgebis: Ergo illa propositio: Antichristus est futurus, erat falsa ante decretum. Probatur consequentia: Nam propositio est falsa, quæ dicit aliquid futurum, quod nondum est futurum; sed illa propositio dicebat aliquid futurum, quod nondùm erat futurum; ergo erat falsa.

Respondeo hanc propositionem facere posse duplicem sensum, & resolui dupliciter: Primò ad vnam de præsenti, vt sensus sit: iam datur futuritio Antichristi. Secundò potest resolui in aliam de futuro, dicendo, determinabitur futuritio Antichristi: in primo sensu propositio est manifestè falsa ante decretum: Nam falsum est, ante quàm Deus determinet producere Antichristum, quod talis productio sit determinatè futura: sed in hoc sensu propositio non est purè de futuro, sed virtualiter, & implicitè de præsenti. In secundo verò sensu illa propositio neque est vera, neque falsa ante decretum, sed adhuc expectatur determinatio Diuini decreti.

Obijciès 6. Deus ante decretum cognoscit omnes euentus futuros: ergo sunt determinatè futuri. Probatur antecedens: Ille, qui perfectè comprehendit causas, cognoscit omnes earum effectus: sed Deus etiam ante decretum perfectè cognoscit omnes causas

euen-

euentuum futurorum; ergo & cognoſcit euentus futuros.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem diſtinguo maiorem: Qui comprehendit cauſas, cognoſcit earum effectus, eo modo, quo ſunt in cauſis, concedo: alio modo, nego. Effectus autem non ſunt determinati in ſuis cauſis ante decretum, vt patet ex dictis; & ideò Deus ante decretum non cognoſcit eos, vt determinatè futuros; ſed tantùm vt poſſibiles.

Obijcies vltimò: Determinatæ eſſentiæ debent competere determinatæ proprietates: ſed veritas, & falſitas ſunt proprietates propoſitionis; ergo propoſitioni determinatæ debet competere determinata veritas, vel falſitas: Cùm igitur, etiam ante decretum, propoſitiones habeant determinatè naturam propoſitionis, debent quoque habere determinatam veritatem, aut falſitatem.

Reſpondeo primò, veritatem, & falſitatem eſſe ſolùm proprietates reſpectiuas ab obiecto dependentes: Vnde non debent competere determinatæ propoſitioni, quandiu obiectum eſt indetermi natum.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo minorem: Veritas, & falſitas ſunt proprietates propoſitionis, veritas, & falſitas actualis, nego; veritas, & falſitas aptitudinalis, concedo; id eſt, capacitas ſuſcipiendi verum, vel falſum, eſt proprietas propoſitionis, non verò quòd actu ſit vera, vel falſa ſaltèm determinatè.



TERTIA




TERTIA PARS LOGICÆ,

De Ente rationis directiuo tertiæ mentis operationis; seu de Argumentatione.

TERTIA mentis operatio est discursus, qui dirigitur per argumentationem. Argumentatio autem est Oratio, in qua vnum ex alio inferimus. Diuiditur in quatuor species, scilicet inductionem, exemplum, enthymema, & syllogismum. Harum principalior est syllogismus, de quo præcipua cura est in Logica: De eius natura, & forma egimus in tertia parte minoris Logicæ: Vnde solùm hic obseruandum est, quod syllogismus ratione materiæ, ex qua constat, diuiditur in demonstratiuum, opinatiuum, & sophisticum. Demonstratiuus est, qui constat propositionibus necessariò, & euidenter veris. Opinatiuus est, qui constat propositionibus probabilibus. Sophisticus verò, qui constat propositionibus falsis, apparenter tamen veris. Demonstratiuus generat scientiam, opinatiuus opinionem, sophisticus errorem. Vnde in hac parte primò agi solet de syllogismo demonstratiuo, probabili, & sophistico. Secundò de effectibus eiusmodi syllogismorum, præcipuè de scientia: Quia tamen de illa specialis erit quæstio in Metaphysica, ideò quæ de illa hic dici solent, scilicet quomodo pati possit fidem, & opinionem, ad Metaphysicam remittimus: Vnde.



QVÆSTIO



QVÆSTIO VNICA.

De Syllogiſmo Demonſtratiuo, Opinatiuo, & Sophyſtico.

ARTICVLVS PRIMVS,

De Demonſtratione.

Circa demonſtrationem tria explicanda ſunt; Primò quid ſit; Secundò quotuplex ſit; Tertiò quas habeat proprietates. Circa primum.

Dico primò: Demonſtratio in communi rectè definitur, ſyllogiſmus conſtans ex propoſitionibus neceſſarijs, certis, & euidentibus: ſeu, ſyllogiſmus faciens ſcire.

Prima definitio eſt eſſentialis, quia explicat demonſtrationem per partes eſſentiales: Demoſtrationis enim eſſentia conſiſtit in eo, quòd conſtet ex propoſitionibus neceſſarijs, certis, & euidentibus: id eſt, quæ ita ſint veræ, vt nullo modo ſubeſſe poſſint falſitati. Secunda verò definitio eſt deſcriptiua; quia explicat demonſtrationem per ſuum effectum, ſcilicet per ſcientiam: Cùm enim demonſtratio conſtet ex propoſitionibus neceſſariò, & euidenter veris, cauſat etiam cognitionem neceſſariò certam & euidentem, quæ vocatur ſcientia.

Dico ſecundò: Demonſtratio diuiditur in demonſtrationem *propter quid*, & demonſtrationem *quia*. Explicatur diuiſio: ſiquidem demonſtrationum alia aſſignat cauſam propriam, & immediatam concluſionis; & hæc dicitur demonſtratio *propter quid*; quam Ariſtoteles definit, ſyllogiſmum conſtantem ex veris, primis, notioribus, cauſiſque concluſionis. Alia verò probat quidem euidenter concluſionem, non tamen aſſignat cauſam propriam ipſius concluſionis; ſed vel cauſam remotam, vel effectum, vel proprietates. Res patebit exemplo: ſic dum quis probat Deum eſſe æternum, quia eſt immutabilis; vel immutabilem, quia eſt actus purus; aſſignat cauſam immediatam, & propriam harum veritatum: Et ideò, dum ſic arguimus: omne immutabile eſt æternum; ſed Deus eſt immutabilis; ergo eſt æternus:

Talis demonstratio est *propter quid*. At verò si quis probet Deum esse æternum, vel quia est infinitè perfectus; vel quia non est causatus, sic arguendo: Quod non est ab alio causatum, est æternum: sed Deus non est ab alio causatus; ergo est æternus: Talis demonstratio est solùm demonstratio *quia*; eò quòd non assignet propriam, & immediatam causam æternitatis. Similiter omnes demonstrationes, quibus probamus Deum existere, per ordinem, quem videmus in Vniuerso, sunt solùm demonstrationes *quia*; eò quòd probent Diuinam existentiam solùm per effectus.

Dico tertiò: Etiam demonstratio diuiditur in demonstrationem à priori, & demonstrationem à posteriori. Demonstratio à priori est, quæ probat effectum per suas causas: Nam causæ sunt priores effectibus; vt si quis probet animalia esse mortalia, quia subiacent actioni contrariorum; ignem esse rarum, quia est calidus, erit demonstratio à priori, & per causam: Nam actio contrariorum est causa mortalitatis, & calor est causa raritatis. Demonstratio a posteriori est, quæ probat causam per effectum: Nam effectus est posterior causa; vt si quis probet pisces non habere pulmones, quia non respirant; terram esse summè frigidam, quia est maximè densa, erit demonstratio à posteriori, & per effectus: Nam respiratio est effectus pulmonum, & densitas est effectus frigoris.

Dico quartò: Duplex præcipuè proprietas demonstrationis potest assignari: Prima, quòd effectiuè producat scientiam; secunda, quòd necessitet intellectum. Primum patet: Nam argumentum constans ex propositionibus necessarijs, & euidentibus, generat cognitionem certam, & euidentem: sed demonstratio est argumentum constans ex necessarijs, & euidentibus; scientia verò est cognitio certa, & euidens; ergo demonstratio generat scientiam. Secundum etiam constat: Nam argumentum necessarium necessariò conuincit intellectum: sed demonstratio est argumentum necessarium; ergo necessitat, seu necessario conuincit intellectum.

Obseruandum est autem, quòd cùm, vt dicit Aristoteles, cognitio discursiua fiat ex præexistenti cognitione; (discursus enim est processus à notis ad ignota) ideò vt demonstratio generet scientiam, & necessitet intellectum ad assentiendum conclusioni, tria debent esse præcognita, scilicet præmissæ, subiectum, & prædicatum conclusionis, quod Aristoteles vocat *passionem*, id est, proprietatem, eò quòd in demonstratione proprietas

probe-

probetur de subiecto. Circa subiectum conclusionis debemus scire *quid sit*, & *an sit*; cum ex eius definitione sumatur principium ad demonstrandum passionem, seu proprietatem ipsi conuenire: De prædicato verò debemus scire *quid sit*, quantùm ad significationem nominis; nō enim possumus scire, an aliquid conueniat alteri, nisi sciamus, quid eius nomen significet. De præmissis autem debemus præcognoscere eas esse veras: siquidem vt veritas conclusionis certò inferatur ex veritate præmissarum, debemus esse certi de illarum veritate. Imò quia, vt dicit Aristoteles, *propter quod vnumquodque tale & illud magis* (si tamen sit capax vt sit tale; nam vinum non est ebrium, quia incapax est ebrietatis, licèt homo sit ebrius propter vinum) cùm conclusio innotescat per præmissas, præmissæ debent esse notiores, quàm conclusio.

Dupliciter autem præmissæ possunt innotescere. Primò per discursum, inquantùm deductæ sunt ex alijs prioribus, & notioribus: sicuti præmissæ, quibus Musica probat suas conclusiones, innotescunt per principia Arithmeticæ: Secundò per simplicem intelligentiam, inquantùm tales propositiones sunt de se euidentes; vnde impossibile est, vt quando nobis proponuntur, eis non assentiamur; cuiusmodi sunt istæ: *Quodlibet est, vel non est: quidquid dicitur vniuersaliter de aliquo, dicitur de omni contento sub ipso: ab æqualibus si æqualia demas, remanent æqualia: totum est maius sua parte: bonum est amandum*: Tales propositiones dicuntur per se notæ, & prima principia; ad quæ proinde vltimatò resolui debent omnes demonstrationes.

Quæres, quænam sit regula ad cognoscendam propositionem per se notam, & quæ sit primum principium?

Respondeo generalem regulam assignari à Diuo Thoma, dum dicit illam propositionem esse per se notam, cuius prædicatum per se conuenit subiecto, saltem in primo modo perseitatis: Quadrupliciter enim prædicatum dicitur per se de subiecto: Primo modo, inquantùm est de essentia subiecti, vt rationale *per se* dicitur de homine. 2. modo, inquantùm est eius proprietas, vt risibile *per se* dicitur de homine. 3. modo, inquantùm prædicatum est aliquid substantiale; nam substantia dicitur *per se* subsistens. 4. modo, inquantùm prædicatum est propria operatio subiecti; vt Medicus *per se* curat, & Musicus per se cantat. Quotiescumque ergo prædicatum per se conuenit subiecto in primo modo perseitatis; id est, ita vt sit de essentia subiecti, tunc propositio

dicitur per se nota, saltem illi, qui cognoscit subiectum: Sic istæ sunt per se notæ: Homo est rationalis: iustitia est virtus: bonum est amandum, &c.

Circa duas proprietates demonstrationis quæri solet, quomodo demonstratio generet scientiam, & necessitet intellectum: quæ speciali paragrapho exponenda sunt.

PARAGRAPHVS VNICVS,

Quomodo Demonstratio generet scientiam, & necessitet intellectum.

CErtum est demonstrationem producere scientiam, solùm difficultas est de modo, quo producit: Pro intelligentia.

Nota, in demonstratione tres esse assensus, maioris, minoris, & conclusionis, qui propriè dicitur assensus scientificus. Fatentur omnes assensum conclusionis aliquomodò dependere ab assensu præmissarum; sed difficultas est, vtrum dependeat tanquam à causa efficienti. Pro resolutione.

Dico primò: In demonstratione assensus præmissarum efficienter causat assensum conclusionis. Ita D. Thomas primo Post. lect. 3. vbi dicit, *præmissas habere rationem causæ efficientis, & actiua respectu conclusionis*.

Probatur conclusio: Nam actus, per quem intellectus se mouet, & applicat ad alium actum, censetur concurrere effectiuè ad productionem illius alterius actus: Sed per assensum præmissarum intellectus se mouet, & applicat ad assensum conclusionis; ergo assensus præmissarum concurrit effectiuè ad assensum conclusionis. Maior videtur certa: Nam illud, per quod causa efficiens se mouet ad agendum, censetur concurrere effectiuè. Minor verò est D. Thomæ, & manifesta est, quia in eo consistit discursus demonstratiuus; vt ex vna cognitione intellectus se moueat ad aliam.

Explicatur magis hæc ratio: sicut enim in corporalibus videmus ex vno motu procedere alium propter colligationem; vt ex motu cordis oritur motus in alijs membris; & ex motu cæli deriuatur motus sublunariũ: ita quoque in intellectu, ex cognitione principiorum artificiosè in modum syllogismi dispositorum, deriuatur cognitio conclusionum per quandam propagationem luminis intellectualis; inquantùm conclusio est connexa cum principijs: Vnde sicut motus cordis, motus cæli, & alij motus corporales, concurrunt effecti-

uè ad alios motus ex illis deriuatos; ita quoque cognitio principiorum concurrit effectiuè ad cognitionem conclusionum.

Dices: Assensus præmissarum non est in illo instanti, in quo producitur assensus conclusionis; ergo non causat ipsum. Patet antecedens: nam duæ cognitiones non possunt esse simul in eodem intellectu: Consequentia verò videtur certa; quia quod non est, non causat.

Respondeo primò non repugnare illas cognitiones esse simul, quarum vna oritur ex alia, cuiusmodi sunt assensus præmissarum, & assensus conclusionis.

Respondeo 2. Quod licet assensus præmissarum non existeret formaliter in instanti, quo assentimur conclusioni, existit tamen virtualiter, inquantùm relinquit quamdam impressionem in ipso intellectu, & illuminationem in conclusione, quam manifestat: sicut dum manus pellit lapidem motus manus remanet virtualiter in lapide, quandiu lapis mouetur, in quantùm relinquit in lapide impressionem causantem eius motum.

Respondeo 3. Quòd ad hoc, vt aliquis motus causet alium, sufficit, vt immediatè præcesserit: sicut alteratio immediatè præcedens causat generationem substantialem, vt dicetur in secunda parte Physicæ.

Dico 2. In demonstratione posito assensu præmissarum, intellectus nullo modo potest dissentire conclusioni. Ita docet D. Thomas 1. parte, quæst. 82. art. 2. cùm ait, *naturaliter, & ex necessitate inhæret intellectus principijs, & conclusionibus habentibus necessariam connexionem cum illis.*

Probatur conclusio ratione: intellectus non potest dissentire vero manifesto, & euidenti. Sed posito assensu præmissarum veritas conclusionis fit manifesta; ergo intellectus non potest dissentire tali conclusioni. Minor constat: Nam conclusio demonstratiua manifestè, & necessariò sequitur ex præmissis: Vnde si præmissæ concedantur euidenter veræ, conclusio erit necessariò, & manifestè vera. Maior verò probatur: Nam intellectus est potentia naturalis, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest suspendere suum actum: Vnde, sicut oculus apertis palpebris non potest non videre obiectum illuminatum sibi propositum; ita intellectus non potest non assentiri vero manifesto, sibi congruè proposito: Et sicut voluntas, licèt possit impedire, ne aperiantur palpebræ, attamen illis apertis non potest cohibere visionem; ita quoque eadem vo-

luntas potest quidem impedire, ne intellectus cogitet de præmissis; attamen semel posito earum assensu, non potest impedire, ne assentiatur conclusioni.

Confirmatur: Nam conclusio virtualiter includitur in minori; vnde assensus minoris inuoluit assensum conclusionis; v. g. dum dico: Omnis virtus est bona: sed iustitia est virtus: hoc ipso, quòd aliquis concedit minorem, concedit etiam iustitiam esse bonam: alias concederet omnem virtutem esse bonam, & tamen aliquã virtutem non esse bonam, quod implicat; ergo fieri non potest, vt qui assentitur præmissis, dissentiatur conclusioni.

Dices: Ergo voluntas non applicat liberè intellectum ad assentiendum conclusioni.

Respondeo distinguendo: Non applicat liberè, absolutè, nego; ex suppositione assensus præmissarum, concedo; sicut enim voluntas applicat quidem liberè oculum ad videndum, quia ab illa pendet aperire palpebras, vel claudere; attamen ex suppositione, quod velit aperire palpebras, non est libera ad cohibendam visionem; ita quoque est libera, vt applicet intellectum ad cogitandum de præmissis; ex suppositione tamen, quod permittat illarum assensum, non potest impedire assensum conclusionis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Syllogismo probabili.

SYllogismus probabilis est, qui probat conclusionem per medium probabile; id est, quod aliquando potest esse verum, & aliquando falsum: vt si quis ita discurrat; Melancholici sunt suspiciosi; sed Petrus est melancholicus; ergo est suspiciosus. Syllogismus est probabilis: Nam licèt sæpiùs contingat, vt melancholicus sit suspiciosus, potest tamen aliquando esse falsum: solent autem assignari decem loci, ex quibus desumi possunt argumenta probabilia: Qui ideò dicuntur *argumenta topica*, id est, localia, eò quòd ex istis locis eruantur. Loci eiusmodi sunt: à causis, ab effectibus, à subiecto, ab adiunctis, à contrario, à simili, à nomine, à definitione, à diuisione, & à testimonijs, seu ab authoritate.

Primus locus à causis, est dum aliquid probatur à sua causa; seu materiali, vt si probetur excellentia artefacti à præstantia materiæ; seu formali; vt si idem commen-

detur à præſtantia formæ; vel efficienti, vt ſi idem commendetur ab induſtria artificis, qui tale opus fecit; vel finali, vt ſi idem commendetur ex nobilitate finis; ad quem ordinatur.

Secundus locus ab effectibus, eſt dum cauſarum præſtantiam probamus per effectuum excellentiam; vt ſi quis probet Solem eſſe præſtantiſſimum ſiderum, eò quòd præſtantiſſimos effectus producat in ſublunaribus: Et virtutem eſſe omnium rerum vtiliſſimam, eò quòd afferat infinitos fructus, vt pacem conſcientiæ, beneuolentiam Dei, & hominum, ſpem certam beatitudinis, &c.

Tertius locus a ſubiecto, eſt dum nobilitas accidentis probatur ex noblitate ſubiecti; vt ſi quis probet prudentiam eſſe nobiliſſimam virtutum moralium, eò quòd ſit in intellectu, qui eſt nobilior alijs potentijs animæ.

Quartus locus ab adiunctis, ſeu à circunſtantijs, eſt dum aliquid de re probatur ex ijs, quæ ipſi adiunguntur; vt v. g. ſi probemus aliquem eſſe bonum, quia cum bonis conuerſatur, quia modeſtè induitur, quia domeſticos habet bene morigeratos.

Quintus locus à contrarijs, eſt dum probamus ex ijs, quæ vni contrario conueniunt, oppoſita conuenire alteri contrario, iuxta illud axioma: *Contrariorum contraria eſt ratio*; vt ſi quis probet frigus addenſare, eò quòd calor extenuet, & rarefaciat: virtutem eſſe amabilem, eò quòd vitium ſit omnibus odioſum.

Sextus locus à ſimili, eſt dum ſimile à ſimili colligimus; vt Suſannam in ſe confidentem Deus à calumnia liberauit; ergo, & te liberabit, ſi in eo confidas: Miles pro rege vitam exponit; ergo à fortiori debes pro Deo cuncta pericula ſubire.

Septimus locus à nomine, eſt dum aliquid de re probamus, ex ipſa rei nuncupatione; vt ſi quis probet Angelos eſſe Dei nuncios, eò quòd ἀγγελος grecè ſit idem quod *Nuncius* latinè: Seraphinos eſſe ardentiſſimos in charitate, eò quòd ab ardore nomen habeant: Nam apud Hæbræos, eſt *ardere*.

Octauus locus à definitione, eſt quando arguimus ab ijs, quæ conueniunt definitioni ad definitum; vt ſi quis probet ſolum hominem inter animalia vti ratione, eò quòd ſolus definiatur *Animal rationale*.

Nonus locus à diuiſione, eſt dum ex partibus ſufficienter enumeratis arguimus ad totum, vel econtrà, vt

ſi quis

si quis probet verecundiam non esse virtutem, eò quòd nec inter intellectuales, nec inter morales recenseatur: Paradisum terrestrem ampliùs non extare; eò quòd nec in Asia, nec in Europa, nec in Africa, nec in America reperiatur, & credibile non sit, illum esse sub frigidissimis regionibus polaribus.

Decimus locus à testimonio, est dum aliquid probamus ex authoritate Sapientum. Præcipuè autem in Philosophia auditur Aristoteles; in Theologia post Deum, Ecclesiæ Patres, Conciliorum decisiones, & Pontificum decreta; in vtraque verò D. Thomas, quem Theologorum, & Philosophorum Principem vnanimi consensu omnes fatentur; ipsi etiam qui eius sententijs non adhærent.

ARTICVLVS TERTIVS,

De Syllogismo sophistico.

Sophisma est syllogismus captiosus, seu constans ex propositionibus ita captiosè ordinatis, vt præseferant speciem veritatis, cùm tamen falsæ sint. Omne autem sophisma decipit, vel in forma, vel in vocibus, vel in rebus: Vnde triplex est fallacia, scilicet formæ, vocis, & rerum. Circa fallaciam formæ nihil dicendũ occurrit, nam in tertia parte Logicæ minoris satis exactè tradidimus regulas discernendi formam legitimam ab illegitima. Circa fallaciam vocum, & rerum quædam breuiter dicemus.

Fallacia vocum est, dum quis, vt decipiat, abutitur vocibus; id est, has vsurpat in sensu fallaci. Quinque præcipuè sunt modi fallendi in vocibus: æquiuocatio, amphibologia, variatio sensus compositi, aut diuisi, accentus, & figura dictionis.

Æquiuocatio est, dum quis vtitur in argumento voce æquiuoca; vt si quis ita arguat; aries est animal: sed machina bellica est aries; ergo machina bellica est animal: Nam istud nomen, Aries, æquiuocè sumitur pro animali, & pro machina bellica, qua Antiqui muros deijciebant.

Amphibologia est, dum quis vtitur phrasi ancipitis sensus, vt sæpè solebant antiqua Gentilium oracula: Sic Pirrho quærenti, an Romanos superare posset, respondit oraculum: *Aio, te Æacida Romanos vincere posse*: Nam ista phrasis æquè significat Pirrhum à Romanis vincendum, vel Romanos à Pirrho superandos.

Fallacia

Fallacia sensus compositi, aut diuisi est, dum quis arguit à sensu composito ad diuisum, vel econtrà; vt si dicas: Qui habet potentiam ambulandi, potest de facto ambulare: sed Petrus sedendo habet potentiam ambulandi: ergo sedendo potest ambulare.

Fallacia accentus est, dum quis vtitur voce ex accentus diuersitate sensum variante; vt si quis dicat: Qui occidit, moritur: sed gladius occidit; ergo gladius moritur.

Fallacia dictionis est, dum ab vno genere ad aliud fit transitus; vt si quis dicat: omne corpus visibile est coloratum: sed paries est visibilis; ergo paries est coloratum: Nam ibi variatur genus masculinum in neutrum. Hæc porrò fallacia omninò puerilis est.

In rebus plures fallaciæ contingere possunt; præcipuè autem septem enumerantur. Quarum prima est fallaccia accidentis, seu prædicati; quando scilicet prædicatum variat suppositionem; vt si quis dicat, animal est genus: sed homo est animal; ergo homo est genus. Risibile est proprietas: homo est risibilis; ergo homo est proprietas.

Secunda fallacia est à simpliciter ad secundùm quid; & econtrà, dum quis scilicet arguit ab eo, quod simpliciter verum est ad secundùm quid; vt v. g. arma sunt restituenda domino: sed iste furibundus est dominus talium armorum; ergo sunt restituenda isti furibundo. Quamuis enim maior sit vera simpliciter, non est tamen vera secundum quid; licèt enim arma sint absolutè restituenda domino, non tamen in aliquo casu, si nempè sit furibundus.

Tertia fallacia est contradictionis; quando scilicet infertur contradictio, vbi nulla est contradictio, vt si quis dicat Æthiops est albus secundùm dentes: sed non est albus secundùm alia membra; ergo est albus, & non albus; ergo in Æthiope contradictoria verificantur; falsum enim est, quòd ibi sit contradictio, quia non est albus, & non albus secundùm idem.

Quarta fallacia est petitio principij, cùm scilicet quis aut arguendo, aut respondendo assumit conclusionem probandam pro medio, vel solutione; vt si quis post longam disputationem, in qua probaret Deum esse in prædicamento, tandem huc deuenisset, quod in Deo potest formari conceptus genericus, & differentialis, quam propositionem ita probaret: Quidquid est in prædicamento, habet conceptum genericum: sed Deus est in prædicamento; ergo habet conceptum genericum,

esset

esset petitio principij, quia probaret vltimam proposi-tionem negatam per id, à quo incepit disputatio. 4.

Quinta fallacia dicitur consequentis, quando quis arguit conuersim in his, quæ non conuertuntur; vt si currit, mouetur; ergo si non currit, non mouetur: si est homo, est animal; ergo si non est homo, non est animal.

Sexta fallacia dicitur non causæ vt causæ, quando scilicet quis tribuit effectum ei, à quo non causatur; vt si quis dicat; inebriari est malum: sed vinum inebriat; ergo vinum est malum. Et, seditiones sunt malæ: sed propter Euangelium excitantur seditiones; ergo Euangelium, &c. Non enim vinum est causa ebrietatis, sed malus eius vsus: Nec Euangelium est causa seditionum, sed malitia hominum fidem persequentium, aut Euangelij, prætextu Rempublicam turbantium.

Septima fallacia dicitur interrogationis, dum quis de oppositis simul interrogando, vnam pro vtroque responsionem elicit; vt si quis ita quærat; virtus, & iniquitas estne bona, vel mala? Si enim respondeatur, bona; inferet; ergo iniquitas est bona: & si respondeatur, mala; inferet; ergo virtus est mala.

Sed horum omnium, vt iam vix aliquis est vsus, ita quoque ipsis non est prolixius inhærendum: fusius de illis egit Aristoteles, quia eius temporibus vigebant Sophistæ, quorum tota cura occupabatur in excogitandis versutijs, quibus incautos vel deciperent, vel implicarent.

Et hæc circa primam Philosophiæ partem sufficiant. Cæterum, si vis expeditiorem Logicam, quæ te ad veritatem certiùs, & faciliùs ducat, ama Deum, qui veritas est; contemne creaturam, quæ vanitas est; suspira ad cœlum, vbi patria lucis est, & veritatis; & innocentis vitæ conatu ad beatam æternitatem contende, vbi nihil licebit ignorare.

Finis Logicæ.




Digitized by Google

